EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS.

Pergite, tu, dilecte fili, tuique in scribendo socii, pergite, ut facitis, tam bene de religione mereri, atque operam Nobis vestram summo in Ecclesiam obsequio probare.

(Leo Pontif. XIII).

Fili hominis, pone cor tuum, et... auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.

(Ezechiel. 44. 5).

ANNUS OCTAVUS — VOLUMEN OCTAVUM

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
EL
Alma, California

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA A PACE, PHILIPPI CUGGIANI
In Vico a Pace num. 35.
1894.

41123

Annus VIII. N. 1. Ianuar. 1894.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE ALMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

I.

Dioecesis suae paroecias reducere coactus fuit ob Sacerdotum penuriam Anselmus Episcopus: hinc factum est ut parochi vel oeconomi quidam, proprio marte, in aliquibus Ecclesiis quae antea parochiali titulo decorabantur, quaeque infra limites novarum parochiarum degunt, SS. Eucharistiae Sacramentum continuo asservent, ne ex Ecclesia actu parochiali, aliquando dissita, cogerentur Viaticum sumere ad infirmos alendos: quin tamen Cappellanus ibidem continuo resideat, aut missam (nisi semel vel saltem bis in mense) ibidèm celebrent vel celebrari curent, ad Sacras renovandas Species. Haec cum a viro quodam regulari non una vice tantum observarentur, cum Caeremoniarum Magistro Ecclesiae Cathedralis dictae dioecesis sermonem instituit; a quo accipit illud tolerari posse, etiam inconsulto Episcopo, spectata necessitate aliisque rationibus non certe spernendis: sed potius se admodum mirari ex eo quod in Ecclesiis

Regularium innumerabilium locorum, nec ipsa excepta Urbe, plerumque Tabernaculum cum Sacramento in quolibet altari laterali seu inferiori potius quam in maiori, prout Rituale Romanum innuere videtur pro Ecclesiis Cathedralibus ac Collegiatis inferioribus, collocari solet.

Quaeritur :

1. *Quid dicendum circa asservationem SS. Eucharistiae Sacramenti, quoad Ecclesias et altaria, spectata veteri disciplina ?*

2. *Quid circa utrumque ex praesentibus sanctionibus dispositum sit: nec non de Episcoporum vel Parochorum iuribus super utrumque ?*

3. *Quid ergo iudicandum de praxibus in casu expositis ?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Sidonii Velch alumni ex Pontif. Collegio Urbano de Propag. Fide, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 23 Novembris 1892: acta Epitoma a Rmo Dom. Dom. Iosepho Piazza, ex Praelatis Romanis (1).

I. Primum quaesitum postulat quid ferat antiqua disciplina circa asservationem SS. Sacramenti. Consuetudo asservandi in recondito loco extra tempus Missae Eucharistiam, adeo antiqua est, ut ad primum Ecclesiae saeculum ascendat. In epistola enim ad Iacobum fratrem Domini S. Clemens hanc praxim nominat illis verbis: " Reliquias fragmentorum Corporis Domini custodire debent, ne qua putredo in eis inveniatur ".

---

(1) Piissime obiit in Christo die 24 Aprilis 1893.

Quae ceterum hoc super negotio ecclesiasticae nos docent historiae, singulatim ac in totum referre impossibile foret; ad rem nostram propius accedentia tantummodo attingimus.

Consuetudinem examinantes circa locum, quo Sacrae asservabantur Species, videamus imprimis an leges extiterint in peculiaribus locis, Eucharistiae asservationem mandantes. Indubium est, primis Ecclesiae saeculis licitum fuisse fidelibus ex sacra aede, in qua Conventibus interfuerant, secum ferre sacrosanctum Christi Corpus, illudque domi custodire, eoque propriis manibus, instante persecutione, vesci. Imo et in longinquis peregrinationibus, eadem militante ratione, idem ipsis fuisse datum, Ambrosius testatur in laudatione funebri Satiri fratris sui.

Verum, pace Ecclesiae reddita, et fidelibus a periculis ereptis, pristinus fervor sensim evanescere cepit; et plerumque accidit, ut Sacrae Species domi asservatae, non omnimodam ab omnibus ac debitam reverentiam acciperent.

Hinc ad novos arcendos abusus satis congruum duxit Ecclesia omnem amovere occasionem. Ut sub Hormisda Pontifice, vel iuxta alios, sub Damaso I, in Concilio Caesaraugustano decrevit: " Si quis Eucharistiae gratiam acceptam in Ecclesia non consumpserit; anathema sit ". Non ideo tamen putandum est, privatos tunc fideles fuisse quotidiano cibi huius divinissimi usu; Occidentales enim post citati canonis promulgationem, in Ecclesiis custodire ceperunt sacrosanctum Christi Corpus, haud solum ad fideles hoc angelico cibo qualitercumque alendos, verum ad aegrotos etiam reficiendos, atque hocce divino Viatico in extremo agone roborandos. Hinc Toletanum Concilium I. (*c. 14, De Custodia Euchar.*) praecipit, ut in omnibus Ecclesiis

Sacrae Species asserventur. Istudque decretum, brevi ob consuetudinem ubique receptam universale evasit. Progressu vero temporis haec generalissima lex a regionalibus Conciliis aliquantulum immutata fuit; donec ad normas legesque deventum sit, quae in praesentiarum hocce negotium moderantur.

Ut vero plene huic primo quaesito faciamus satis, aliquid de altaribus, in quibus Sacrae recondebantur Species, dicendum venit. Ab initio altaria minime requirebantur pro Eucharistiae asservatione, sed locus quicumque dummodo conveniens intra ambitum Ecclesiae, satis erat. Huiusmodi autem loca ad Eucharistiae asservationem destinata, ad tria potissimum reduci queunt iuxta Martenium. Primo enim servata fuit in capsulis aureis, quae in aureis vel argenteis columbis recludebantur, uti nunc quoque mos est apud graecos, vel etiam in armariolis affabre elaboratis in parietibus Ecclesiae ut in pluribus defixis, et in loco quam maxime recondito, quem *Sacrarium* appellabant, positis. Perantiquus hic mos ad tempora usque divi Hieronymi perduravit. Hic enim memorat in commentario super Ezechielem prophetam " sacrarium in quo iacet Corpus Christi, qui verus est Ecclesiae et animarum nostrarum sponsus, proprie thalamum seu παστοφόριον appellari (*c. 40*) „. Monimenta relato posteriora desunt, de continuitate huiusce consuetudinis testantia.

Secundo asservata fuit Eucharistia in armariolis ad dexterum cornu altaris positis, ac in eminentiori parietis loco, ita ut ab omnibus conspici potuerint, fixis. Haec autem consuetudo in Galliis maxime viguit ac etiam in Italia, sicuti manifeste patet ex decreto Hieronymi Famagostani Episcopi a S. Carolo pro sua dioecesi promulgato (*In Decret. General. Ta-*

bernaculum ligneum pro SS. Sacramento conservando). In quo decreto consuetudo praedicta asservandi Sacramentum in eiusmodi armariolis inhibetur. Priscae istiusmodi consuetudinis vestigium adhuc manet in Urbe, in pervetusta Basilica Sessoriana, S. Crucis in Hierusalem vulgo appellata, ubi in ipso medio absidis armariolum conspicitur ad Eucharistiam asservandam destinatum.

Tertio denique Eucharistia asservata ubique fuit, uti nunc quoque fit, in ciborio in medio altaris posito. Ultimus tamen hic mos perraro in antiquitate reperitur. Imo et cum eius usus incepit, haud omnes Ecclesiae eadem se ratione gerebant. In quibusdam enim Ecclesiis armariolum ad pedes Crucis in medio altari collocabatur, columbam reserans vel calicem Panem consecratum continentem; in aliquibus vero columbae super altare appensae erant cuidam baldachino; qui aliquando ciborii nomen obtinebat.

Sed cui ex altaribus honorem veteres tribuebant Eucharistiae custodiendae? Pro primis Ecclesiae saeculis haud difficile responsum; cum omnes Ecclesiae, paucissimis exceptis, unicum tunc possiderent altare.

Postea vero cum pluribus altaribus Ecclesiae ornari ceperunt, non ita liquidum responsum evadit. Attamen etiam post altarium multiplicitatem mos adhuc perseveravit conservandi Eucharistiam eo in altari uti antea, quod fuit maius deinde dictum. In actibus namque Ecclesiae Mediolanensis legitur: " Episcopus diligentissime curet, ut in Cathedrali, Collegiatis, Parochialibus et aliis quibusve Ecclesiis, ubi sacrosancta Eucharistia custodiri solet vel debet, in maiori altari collocetur, nisi necessaria vel gravi de causa aliud ei videatur (*Pars IV, de Rubric. " De Eucharistiae Sacramento*) „.

II. Hisce delibatis quoad veterem disciplinam asservandi SSm̃um Eucharistiae Sacramentum, ad secundum progrediamur quaesitum: ut videamus quid circa praedictam asservationem, seu Ecclesiis seu altaribus inspectis, ex praesentibus sanctionibus dispositum sit, nec non de Episcoporum et Parochorum iuribus super utroque.

Et primum de Ecclesiis verba faciamus, quibus ius competit Eucharistiae servandae. In hac tamen enucleanda quaestione, haud solum ius positivum, dispositiones ac leges S. R. Congregationis referemus, sed et rationes perscrutabimur quibus permota Ecclesia suas leges iussit. Iam inde ab incunabulis, vidimus, Ecclesiam permisisse, ut nonnullae ex consecratis particulis custodirentur domi in eorum commodum, qui persecutionum saevitate, sacrae interesse Sinaxi praepediti erant. Verum huiusmodi persecutionum rationibus haud amplius militantibus, talem facultatem denegavit Ecclesia. Atque uni quod nunc instare potest periculo, repentini nempe ac lethalis morbi, optime consuluit, mandans, ut in omnibus et singulis Parochialibus Ecclesiis Sacrae praesto sint Species, ne infirmi sine communione decedant. Parochialibus eapropter Ecclesiis primarium competit ius Eucharistiae servandae: confirmatur etiam S. Concilii Congregationis decreto (*Urbinaten. 22 Mart. 1594*). Praeterea ob paritatem rationis praedictum competit ius et Cathedralibus, veluti primariis Dioecesis parochiis, et Regularium Ecclesiis, quae pro Regularibus ipsis verae sunt parochiae. Ita etiam S. R. Congregatio (*Marianen. 16 Apr. 1644*). Ideoque, praeter memoratas, nulla alia Ecclesia de iure conservare potest SS. Eucharistiae Sacramentum: ex facultate tamen S. R. Congregationis, vel etiam ob consuetudinem immemorabilem

ius acquiri potest. Quomodocumque vero ius Eucharistiae servandae acquisitum sit ab Ecclesiis, semper onus iis incumbit celebrationis Missae quotidianae: ita S. R. Congregatio (*Firmana 16 Mart. 1833*).

Sed quaenam regulae pro sanctissimi Sacramenti asservatione? Certum est imprimis, duobus in altaribus numquam, perpetuo saltem, asservari posse in eadem Ecclesia. Ex verbis Ritualis deducitur, ubi de altari loquitur pro dicta asservatione, etenim unum altare pro ea semper nominat. Insuper id explicite docet S. R. Congregatio (*S. Iacobi de Chile 16 Mart. 1861*).

Imo eadem S. Congregatio progreditur, declaratque, Eucharistiae asservationem in duobus vel pluribus altaribus nedum occasione novendialis, aut alicuius festivitatis licitam esse.

In apricò ergo positum est nonnisi in uno altari Eucharistiam esse asservandam. Sed statim exurgit quaestio: cuinam altarium honor asservationis huius tribuendus? Rituale vult, ut in altari commodiori atque aptiori asservetur: „in altari quod cultui tanti sacramenti commodius ac decentius videatur sit (*Sacramentum*) collocatum (*Tit. IV, c. 1, n. 6*)". Duo igitur altari, pro dicta asservatione destinato, convenire debent, commoditas atque prae aliis decentia. Hinc ob defectum primae proprietatis illud altare asservationi inservire nequit, quod divinis officiis consecratum est, uti altare maius Basilicarum ac Cathedralium Ecclesiarum. Continuitas enim officiorum non raro officere posset ipsi reverentiae Sacramento debitae, et libero atque expedito usui Sacrarum Specierum, qui aliquando nec minimam patitur moram. De huiusmodi casu loquitur etiam Caeremoniale Episcoporum: „Licet SS. Domini Nostri Iesu Christi Corpori, omnium sacramentorum fonti, praecellentissimus ac no-

bilissimus omnium locus in Ecclesia conveniat, tamen *valde opportunum est,* ut illud *non collocetur in maiori vel in alio altari, in quo Episcopus vel alius est Missam seu Vesperas celebraturus* (*Lib. I, c. 12, n. 8*) „. Et cl. Lucidi in eximio suo opere " De Visitatione Sacrorum Liminum „ sequens affert S. Congregationis Episc. et Regularium decretum: " Tabernaculum SS. Sacramenti in Cathedralibus non debet esse in altari maiori propter functiones particulares quae fiunt renibus versis ad altare „. In istis igitur Ecclesiis, ubi altare maius pro Eucharistiae asservatione praepeditum est, aliud est eligendum quod ornatius atque decentius prae ceteris reperiatur.

In ultima huiusce quaesiti parte de iuribus inquiritur Episcoporum vel Parochorum circa Sacramenti asservationem. Communiter a Canonistis receptum est, neque Episcopum neque Parochum ullo modo Eucharistiae asservationem indulgere posse Ecclesiis, aliis ab enumeratis. Ordinarius quippe, multo minus Parochus, canones Ecclesiae immutare profecto non potest, cum hoc solius sit Romani Pontificis, utpote supremi legislatoris. Ita docent Barbosa, Pignatelli, aliique. Insuper S. Concilii Congregatio non semel decreta emanavit contra eiusmodi Episcoporum aut Parochorum arbitria super hanc rem. Sequens decisio dictae S. Congregationis anni 1609, a Genuense et Petra in Comm. ad Const. Ap. pag. 304 relata, satis erit. Inquiritur: „ 1. An Episcopus possit concedere Ecclesiae non parochiali ut in ea retineatur SS. Sacramentum solum pro adoratione, an requiratur auctoritas Papae? 2. Praesupposito quod Episcopus concesserit licentiam huiusmodi, an Episcopus successor licentiam revocare possit? Sacra porro Congregatio respondit: huiusmodi licentiam fuisse nullam, ac propterea ei non esse ne-

cessariam revocationem „. Et haec quidem pro Ecclesiis, ad altaria autem quod spectat, diximus iam neque Rituale neque Caeremoniale aliquid statuere pro altari SS. Sacramenti. Ad arbitrium ergo Parochorum, vel aliorum Ecclesiarum curam habentium, vel certe Episcoporum, relinquitur huiusmodi altaris selectio. Equidem docuerunt plures, in Ecclesiis non Cathedralibus asservandam Eucharistiam esse in altari principe. Ita Cavalerius (*Tom. IV, Decr. 102*), qui duo affert decreta S. C. Episcoporum 10 Febr. 1579, et 29 Nov. 1594: ita pariter De Herdt (*Prax. Sacr. Liturg. pars 6, n. 180*), eidem Cavalerio innixus. At, quidquid de antiquitate sit, impraesenti statuendum est, illud eligendum esse pro Eucharistia asservanda altare, quod iuxta Rituale commodius est magisque exornatum. Namque Decretum *Gandaven.* 18 Maii 1878 inquirit: " An tabernaculum in quo asservatur SS. Sacramentum; debeat in altari maiori Ecclesiae collocari? „ Responsum vero est: " Regulae in casu servandae, prudenti arbitrio Ordinarii determinentur (*ad Dub. 1*) „.

III. Sed ad tertium iam descendamus quaesitum, et ad trutinam praxes in casu expositas revocemus. Atque imprimis certum est parochos nostros vel oeconomos, sacros canones violasse cum, proprio marte, SS. Sacramentum in Ecclesiis haud amplius parochialibus reposuerint; imo et in alium inciderunt errorem, celebrationem Missae omittentes.

Nam etiamsi pontificio gauderent indulto pro Eucharistiae asservatione in Ecclesiis non parochialibus, semper tamen residentiae obligarentur atque Missae quotidianae celebrationi vel per se vel per alios praestitae. Neque audiendae sunt eorum excusationes. Dato enim Ecclesiam parochialem revera aliquando

dissitam esse, et revera urgere, aliquo casu, Viaticum loco propinquiori habendi nonne Episcopus praesto aderat? nonne poterat iste veniam concedere, usquedum pontificio munirentur indulto? Sacra enim Rituum Congregatio declaravit, urgente necessitate, hanc temporaneam facultatem Episcopos concedere posse.

Ex hoc eruitur etiam non recte Caeremoniarum magistrum respondisse; necessitas quippe in casu exposita ad agendi rationem Parochorum cohonestandam minime sufficit, Episcopo enim ipsis recurrendum erat. Si vero necessitas ita urgeret, ut ne dilationem veniae Episcopo petendae pateretur, tunc certe SS. Sacramentum in quacumque Ecclesia collocari posset.

Ad querimonias tandem Caeremoniarii ex eo quod in Ecclesiis Regularium innumerabilium locorum, nec ipsa excepta Urbe, plerumque Tabernaculum cum Sacramento in quolibet altari potius quam in maiori, prout Rituale Romanum innuere videtur pro Ecclesiis Cathedralibus, ac Collegiatis inferioribus, collocari solet, respondetur: Haud veritati consonum, Rituale praelationem maiori altari pro Sacramenti asservatione dare; imo insinuare videtur maius altare non praeferendum, ob non pauca incommoda, quae ex hoc derivare possent. Et revera illius verba sunt, " *vel* in altari maiori *vel in alio* „.

Ut probe ergo de Regularibus illis iudicium feratur, videndum profecto, an asservatio Sacramenti in maiori altari ipsis incommoda sit necne. Verum quod in eorum agendi ratione reprehensione fortasse dignum videtur, Tabernaculum est *in quolibet altari laterali seu inferiori* collocatum. Romanum namque Rituale peroptat ut in ornatiori ac decentiori altari Sacramentum reponatur, maiori tantum excepto altari pro sacrarum functionum commoditate. Dignior ergo atque

prae ceteris pretiosior, artisque apparatu magis ornatum, altare SS. Sacramenti sit, utpote mysterium ac dogmatum summae, ac charismatum omnium fontis perennis. Hinc praefati Regulares ferventioris fidei signum maioremque Rubricarum peritiam praeberent, si Tabernaculum haud in quolibet inferiori altari, sed in nobiliori ac ornatiori collocarent.

FESTA PRIMARIA ET SECUNDARIA

EIUSDEM RITUS ET CLASSIS

DIVERSO ORDINI IURE MERITOQUE ADSCRIBENDA SUNT

S. R. C. Decretorum 2 Iulii et 27 Augusti

COMMENTARIUM ET CONSECTARIA

(*Continuatio*)

Consectarium VIII. Cum hodie festa *primaria* constituant ordinem nobiliorem super *secundariis* eiusdem ritus et classis; licet festum particulare, in paritate ritus, universali festo praeferatur, nihilominus, si particulare festum est *secundarium*, et festum universale *primarium*, hoc illo praecedit. Ratio est, quia, sicut festum universale maioris ritus vel classis, festo particulari antecedit, si minoris sit ritus vel classis, ita antecedere hodie debet, si est primarium, primarii enim qualitas nobilius festum reddit. Hoc tamen dicendum est de Ecclesiis quorum calendaria reformanda vel

revidenda sunt, quia calendaria hodie adprobata, non debent denuo desturbari, uti in similibus S. R. C. iussit aliquando: de hoc consectario alter *Ephemeridum* adlaborator optime scripsit in N. Octobris elapsi.

Consectarium IX. Sicuti pluries docuimus, argumentando ex S. R. C. decreto (*29 Martii 1760, N. 4286*), dicente quod in paritate ritus festi, praefertur octava festi dignioris; ex affatu omnibus accepto Radulphi Tungrensis (*propos. 19*) quod octava nihil aliud est nisi prorogatio festi; atque ex probatissima sententia Guyeti (*lib. 4, c. 6, 9, 5*), quod octava sequitur festum sicut accessorium sequitur naturam principalis, dies octava alicuius festi, dignitatem retinet sui festi. Si ergo festum habens octavam est *primarium*, eius etiam octava, duplex primarium erit, et viceversa. Hinc ex. gr. Tolentini festum celebratur S. Nicolai cum octava, ideoque dies XVIII Septembris est octava illius Sancti; cum vero pridie, nempe die XVII, agatur Impressio Stigmatum S. Francisci, duplex *secundarium*, Vesperae integrae erunt de seq. octava S. Nicolai cum commemoratione praec. Impressionis S. Francisci. Ex adverso Apuae celebratur cum octava, Commemoratio solemnis Passionis D. N. I. C., quod festum inter *secundaria* S. R. C. adscripsit; eius ergo octava, pariter erit duplex secundarium, in concurrentia ergo cum alio duplici, quod sit *primarium*, Vesperae integrae erunt de concurrenti duplici cum commemoratione octavae Passionis.

Consectarium X. Ex eodem principio arguentibus nobis certum videtur, quod sicut dies octava Assumptionis B. M. V. duplex *primarium*, utpote

maioris dignitatis, praefertur in concurrentia sequenti festo duplici item *primario* sed inferioris dignitatis S. Philippi Benitii (*Rubr spec.*); ita et dies octava Ss. Apostolorum Petri et Pauli, duplex primarium et maioris dignitatis, praeferenda erit in concursu sanctis Cyrillo et Methodio, pariter duplex primarium, sed inferioris dignitatis. Itaque die V Iulii Vesperae erunt integrae de seq. die octava Ss. Petri et Pauli cum commemoratione praec. Ss. Cyrillo et Methodio. Id certum esse nobis apparet, quia licet aliqua S. R. C. decreta aequiparent Octavas dies cum caeteris duplicibus minoribus; exceptis octavis Domini et B. M. V. (Vide Tabellam concurrentiae et Rubricas speciales octavae Assumptionis, et diei S. Luciae ante reformationem) nihilominus, sicut per recens decretum 2 Iulii, plurimis aliis decretis S. R. C. derogavit, ita et in casu nostro derogasse dicendum est; alioquin rem incompletam sacrum tribunal reliquisset et legem occurrentiae et concurrentiae definitive et in omnibus non tetigisset, sicut voluit omnimode et absque ulla exceptione.

Consectarium XI. In Catalogo a S. R. C. adprobato Festorum, quae uti *primaria et secundaria* retinenda sunt, inter duplicia maiora secundaria recensentur ex. gr. festum Ss. Redemptoris et Commemoratio Omnium Summorum Pontificum; licet ergo alicubi Ss. Redemptoris festum ritu colatur duplicis 2 classis, et Commemoratio Summorum Pontificum, ritu duplicis minoris, nihilominus qualitatem *secundarii* retinent. Ratio enim, cur S. R. C. festa adscripsit inter *primaria* vel *secundaria*, sita non est in eorum ritu, bene quidem in natura cuiusque festi. Quam ob rem sicut

erraret qui suo marte in calendario ritum reduceret a duplici 2 classis ad duplicem maiorem festi Ss. Redemptoris, quia hoc ultimo ritu recensetur in Catalogo; sicut quoque erraret, qui item ritum elevaret in suo calendario a duplici minore ad duplicem maiorem, Commemorationem Ss. Pontificum, quia inter maiora adscribitur in eodem catalogo; ita erraret profecto qui suum ritum retinens horum festorum, ad qualitatem *primarii* illa pertinere iudicaret.

Haec sunt consectaria quae ex duobus S. R. C. decretis 2 Iulii et 27 Augusti nuper elapsi, iure ac liquido profluunt. Nunc vero ad consectarium VII redeamus; quod respicit distinctionem festorum in ordines diversos, quae distinctio principale est huius nostrae dissertationis obiectum. Omnibus notum est, festa quae ab Ecclesia Christi per annum recoluntur, diversa solemnitate ac ritu, pro diversa eorum nobilitate ac dignitate celebrari.

Hinc habentur festa ritus *duplicis*, *semiduplicis* ac *simplicis*. Ritus vero duplex dividitur in duplex 1 classis, duplex 2 classis, duplex maius et duplex minus.

Cum autem inter festa eiusdem ritus et classis, alia aliis vi Rubricarum, et hodie vi distinctionis festorum in *primariis* et *Secundariis*, alia aliis praeferantur, opportunum ducimus, ut lex clarior evadat et simplicissima existat, duas tabellas hic subiicere tyronibus, ex quibus OMNES CASUS occurrentiae et concurrentiae facillime resolvuntur.

Prius tamen subdivisio festorum in ordines erit ponenda, ut usus tabellarum facilior sit.

Duplicia 1. Classis.

Duplicia 1. classis, in quatuor ordinibus distinguenda sunt. Ad *primum ordinem* pertinent illa festa solemnissima quae ab universa Ecclesia hoc ritu celebrantur, et nunquam omittuntur. Etenim Sancta Mater Ecclesia, vult ut populus et Clerus per totum orbem terrarum iis diebus idem obiectum colant et venerentur. Haec sunt numero novemdecim.

Duplicia 1. Classis 1. ordinis.

1-6. Pascha cum tribus praecedentibus et duobus sequentibus diebus.

7-9. Pentecostes cum duobus sequentibus diebus.

10-12. Epiphania, Nativitas et Ascensio Domini.

13. Festum Corporis Christi.

14-15. Assumptio et Immaculata Conceptio B. M. V.

16. Nativitas S. Ioannis Baptistae.

17. Festum S. Ioseph.

18. » Ss. Petri et Pauli.

19. » Omnium Sanctorum.

Ad *secundum ordinem* spectant illa duplicia I. classis quae in particularibus ecclesiis celebrantur hoc ritu et cum feriatione; haec enim festis primi ordinis cedunt, sed praeferuntur aliis particularibus.

Duplicia 1. Classis 2. ordinis.

1. Patronus loci praecipuus.
2. Cetera duplicia 1. classis quae cum feriatione celebrantur.

Ad *tertium ordinem* pertinent duplicia 1. classis *primaria* quae sine feriatione celebrantur, nec non festum Sacratissimi Cordis Iesu, quod licet *Secundarium* praecedit omnibus duplicibus 1. classis, quae sine feriatione coluntur.

Duplicia 1. Classis 3. ordinis.

1. Festum Sacratissimi Cordis Iesu.
2. Dedicatio propriae Ecclesiae.
3. Titulus propriae Ecclesiae.
4. Cetera duplicia 1. classis *primaria*, quae alicubi celebrantur absque feriatione.

Ad *quartum ordinem* pertinent duplicia 1. classis quae alicubi forte celebrantur, et ordinibus praecedentibus adscribi nequeunt.

Duplicia 1. Classis 4. ordinis.

1. Dedicatio alienae Ecclesiae (ex. gr. Cathedralis extra ipsam, aut omnium Ecclesiarum dioecesis vel ordinis in Ecclesia non consacrata).
2. Patronus regni, provinciae, in locis ubi specialis habetur diversus Patronus.
3. Titularis Cathedralis, extra ipsam.
4. Cetera duplicia 1. classis *secundaria*.

Duplicia II. Classis.

In tribus ordinibus dividuntur; ad *primum ordinem* pertinent illa duplicia 2. classis quae nunquam omittuntur, etiamsi occurrat duplex aliquod 1. classis.

Duplicia 2. Classis 1. ordinis.

1. Circumcisio Domini.
2. Festum Ss. Trinitatis.
3. Annunciatio B. M. V. quando transfertur cum feriatione (1).

Ad *secundum ordinem* pertinent duplicia 2. classis *primaria*.

Duplicia 2. Classis 2. ordinis.

1-3. Nativitas, Purificatio, et Visitatio B. M. V.

4. Annunciatio B. M. V. in sua die 25 Martii, et cum transfertur sine feriatione.

5. Dedicatio S. Michaelis Archangeli.

6-14. Natalitia Apostolorum.

15-16. » S. Marci, et S. Lucae Evang.

17. Festum S. Stephani Protomartyris.

18. » Ss. Innocentium.

19. » S. Laurentii.

20. » S. Ioachim Patris B. M. V.

21. » S. Annae Matris B. M. V.

22. Cetera festa *Natalitia* Sanctorum, quae alicubi sub ritu duplicis 2. classis celebrantur.

---

(1) Suo Decreto 2 Iulii 1893 S. R. C. statuit, Festa S. Ioseph, Nativitatis S. Ioannis Baptistae et Annunciationis B. M. Virginis, quando transferuntur, cedere locum *tantummodo duplicibus 1. classis, ceu Dedicationis, ac Titularis Ecclesiae locique Patroni quando haec sub duplici praecepto fiant;... suppressis quibuscumque anterioribus Decretis diversum seu contrarium disponentibus.* Quum vero Annunciatio B. M. V. transferatur cum feriatione ex. gr. in die qua aliquo in loco occurrat Titulus Ecclesiae, sine duplici praecepto; iuxta Decreta in *Aquen.* 2 Sept. 1741 ad 1, et 25 Martii 1817 ad 1 et 2, nec non 23 Aug. 1890 adhuc praefertur Annunciatio. In hoc aliquantisper moderanda est conclusio unius ex Coadiutoribus *Ephemeridum*, N.° 10 vol. VII pag. 586.

Ad *tertium ordinem* spectant Duplicia 2. classis quae praedictis cedunt, utpote *secundaria.*

Duplicia 2. Classis 3. ordinis.

1. Festum Ss. Nominis Iesu.
2. Inventio Ss. Crucis.
3. Festum Pretiosissimi Sanguinis.
4. » Rosarii B. M. V.
5. Patrocinium S. Ioseph.
6. Cetera festa, quae alicubi celebrantur, sub ritu 2. classis, sed sunt *secundaria*, uti ex. gr. Inventio, Translatio etc. alicuius Sancti.

DUPLICIA MAIORA.

Hae duplicia dividuntur in duos ordines. Ad primum ordinem adscribuntur duplicia maiora *primaria*, quae *secundariis* praeferuntur, ad *secundum ordinem* recensentur *secundaria.*

Duplicia Maiora 1. ordinis.

1. Transfiguratio Domini.
2. Dedicatio Basilicae Ss. Salvatoris.
3. » S. Mariae ad Nives.
4. » Basilic. Ss. Petri et Pauli.
5. Festum Ss. Angelorum Custodum.
6. » S. Barnabae Ap.
7. » S. Benedicti Ab.
8. » S. Dominici Conf.
9. » S. Francisci Conf.

Et pro aliquibus locis.

10. Festum S. Gabrielis Archang.
11. » S. Raphaelis Archang.
12. Cetera festa Sanctorum natalitia vel quasi natalitia quae ritu duplici maiori recoluntur.

Duplicia Maiora 2. ordinis.

1. Exaltatio S. Crucis.
2-3. Duo festa Septem Dolorum B. M. V.
4-7. Festa Ss. Nominis, B. M. V., De Mercede, de Monte Carmelo, eiusque Praesentatio.
8. Apparítio S. Michaelis Archang.
9. Decollatio S. Ioannis Baptistae.
10-12. Utraque Cathedra S. Petri eiusque festum ad Vincula.
13-14. Conversio et Commemoratio S. Pauli.
15. Festum S. Ioannis ante portam latinam.

Et pro aliquibus locis.

16. Officia Instrumentorum Passionis D. N. I. C.
17. Festum Ss. Redemptoris.
18. » Sacrae Familiae.
19. » S. Cordis B. M. V.
20-23. Desponsatio, Maternitas, Puritas, Patrocinium B. M. V.
24. Translatio Domus lauretanae.
25-28. B. M. V. De Bono Consilio, Auxilium Christianorum, de Cinctura, de Gratia.
29. Apparitio B. M. V. Immaculatae.
30. Cetera festa secundaria B. M. V. aliorumque Sanctorum, quae ritu duplici maiori celebrantur.

DUPLICIA MINORA.

Haec dividuntur in sex ordines pro diversa eorum nobilitate. Ad *primum ordinem* pertinent ea quae praeferuntur omnibus festis etiam 1. classis.

Duplicia minora 1. ordinis.

1. Dies Octava Epiphaniae.
2. Dies Octava Paschatis seu Dominica in Albis.

Ad *secundum ordinem* pertinet duplex minus quod numquam omittitur, nisi occurrente duplici 1. classis.

Duplicia minora 2. ordinis.

1. Dies Octava Corporis Christi.

Ad *tertium ordinem* pertinent quaecumque alia dies octava cuiuscumque festi tam universalis quam particularis Ecclesiae; eius enim officium in occurrentia praefertur duplicibus maioribus et minoribus, et in occurrentibus duplicibus 2. seu etiam 1. classis commemorantur.

Duplicia minora 3. ordinis.

1. Octava dies cuiuscumque festi.

Ad *quartum ordinem* pertinent festam Doctorum Ecclesiae, quae licet nulla praeferentia gaudeant super ceteris duplicibus, nihilominus, cum impediuntur iure gaudent translationis.

Duplicia minora 4. ordinis.

Festa omnia Doctorum Ecclesiae.

Ad *quintum ordinem* adscribuntur omnia festa Sanctorum tam universalia quam particularia, quae ritu duplici minori celebrantur, quae sint *primaria*.

Duplicia minora 5. ordinis.

1. Festa *primaria* per annum Sanctorum.
2. Commemoratio Ss. quorum Reliquiae in Ecclesiis recoluntur.

Ad *sextum ordinem* spectant duplicia minora Sanctorum, *secundaria* quae cedunt primariis.

Duplicia minora 6. ordinis.

1. Festa Sanctorum Secundaria, ut ex. gr. Translatio, Inventio etc. quae alicubi ritu duplici celebrantur.
2. Impressio Stigmatum S. Francisci.
3. Commemoratio Ss. Pontificum.

SEMIDUPLICIA

Officia quae ritu semiduplici celebrantur, in septem ordines partiuntur. Ad primum ordinem pertinent quae numquam omittuntur, et praecedunt duplicibus ipsis 1. classis.

Semiduplicia 1. ordinis.

1-4. Dominicae I. Adventus, I. Quadragesimae, Passionis et Palmarum.

5-8. Feriae IV, V, VI et Sabbatum infra octavas Paschatis.

9. Vigilia Pentecostes.

10-13. Feriae IV, V, VI et Sabbatum infra octavam Pentecostes.

Ad *secundum ordinem* pertinent semiduplicia quae non omittuntur nisi in occurrentia duplicium 1. classis, et praeferuntur ceteris festis etiam Duplicibus 2 classis.

Semiduplicia 2. ordinis.

1-3. Dominicae II, III et IV Adventus.

4-6. Dominicae Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae.

7-9. Dominicae II, III et IV Quadragesimae.

10-15. Sex dies infra octavam Epiphaniae.

Ad *tertium ordinem* spectant Semiduplicia quae cedunt officiis omnibus duplicibus, sed praeferuntur ceteris semiduplicibus.

Semiduplicia 3. ordinis.

1. Dominicae omnes minores per annum.
2. Sex dies infra octavam Corporis Christi.

Ad *quartum ordinem* adscribuntur Semiduplicia quae cedunt semiduplicibus 3. ordinis sed aliis praeferuntur.

Semiduplicia 4. ordinis.

Festa Sanctorum per annum *primaria*, quae ritu semiduplici recoluntur.

Ad *quintum ordinem* pertinent Semiduplicia, quae iisdem iuribus gaudent ut Semiduplicia 4. ordinis, iisdem tamen cedunt in occurrentia et concurrentia.

Semiduplicia 5. ordinis.

1. Inventio S. Stephani.
2. Cetera festa Sanctorum semiduplicia, *secundaria*, uti ex. gr. Translatio, Inventio etc.

Ad *sextum ordinem* pertinent semiduplicia quae omnibus praecedentibus cedunt.

Semiduplicia 6. ordinis.

1. Vigilia Epiphaniae.
2. Dies infra octavas omnes, (exceptis Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi).
3. Feria VI post octavam Ascensionis.

Ad *septimum ordinem* spectant semiduplicia infimae dignitatis, scilicet illa quae omnibus officiis duplicibus et semiduplicibus semper cedunt.

Semiduplicia 7. ordinis.

1. Officia *ad libitum.*
2. Officia votiva per annum.

FESTA SIMPLICIA.

Dividuntur in octo ordines. Ad *primum ordinem* pertinent quae praeferuntur etiam duplicibus 1. classis.

Simplicia 1. ordinis.

1. Vigilia Nativitatis.
2. Feria IV Cinerum.
3-5. Feriae II, III, et IV maioris hebdomadae.

Ad *secundum ordinem* pertinent simplicia, quae praeferuntur, semiduplicibus 7. ordinis, nempe ad libitum et votivis, et commemorantur in omnibus festis etiam 1. classis.

Simplicia 2. ordinis.

1. Feriae Hebdomadae Passionis.
2. Feriae occurrentes a die 17 ad 24 Decembris.

Ad *tertium ordinem* pertinent, simplicia, quae cedunt omnibus duplicibus et semiduplicibus cu-

iuscumque sint ordinis, sed commemorantur etiam in duplicibus 1. classis, praeferuntur tamen duplicibus 3. ordinis, et semiduplicibus 6. ordinis, nempe diebus octavis et diebus infra octavas.

Simplicia 3. ordinis.

Feriae Quadragesimae usque ad Passionem.

Ad *quartum ordinem* adscribuntur simplicia quae cedunt prorsus omnibus festis, sed commemorantur etiam in duplicibus 1. classis.

Simplicia 4. ordinis.

Feriae Adventus usque ad diem 17 Decembris.

Ad *quintum ordinem* pertinent simplicia, quae in occursu cum duplicibus 1. classis omittuntur, in occursu vero cum quibuscumque aliis festis, semper commemorantur, atque quando incidunt in Dominica anticipantur.

Simplicia 5. ordinis.

Vigiliae communes sive non privilegiatae.

Ad *sextum ordinem* pertinent simplicia, quae omittuntur in occurrentia cum omnibus festis, etiam cum simplicibus praecedentibus, praeferuntur tamen simplicibus sequentis ordinis.

Semiduplicia 6. ordinis.

Officium B. Mariae in Sabbato.

Ad *septimum ordinem* pertinent simplicia, quae cedunt omnibus festis et officiis supra enumeratis sed de iis fit commemoratio in quocumque officio occurrenti, excepto duplici 1. classis.

Simplicia 7. ordinis.

Festa sanctorum simplicia.

Ad *octavum* denique *ordinem* pertinent simplicia illa de quibus agitur officium quando deficit aliud quodcumque.

Simplicia 8. ordinis.

1. Feriae communes, post octavam Epiphaniae usque ad Cineres.
2. Feriae communes post octavam Paschatis usque ad Ascensionem.
3. Feriae communes post octavam Pentecostes usque ad Adventum.

Notanda circa sequentes tabellas.

1. Ex undecim regulis Tabellae occurrentiae, et ex sex regulis Tabellae concurrentiae, plane resolvuntur omnes casus occurrentiae et concurrentiae.
2. Non amplius opus est apponere novem notanda quae leguntur in Breviario post Tabellam occurrentiae, neque alia, quae inibi inveniuntur post Tabellam concurrentiae, neque ipsum notandum circa separationem sociorum Titularis.
3. Quamquam dies infra octavam Nativitatis Domini non praeferantur semiduplicibus Sanctorum, nihilominus advertendum est de dicta octava semper faciendam esse commemorationem, licet occurrat duplex 1. classis.
4. Item feria VI, post octavam Ascensionis, inter semiduplicia 5. ordinis adscripta est, nihilominus ipsa cedit in occurrentia semiduplicibus Sanctorum, et infra octavas.

TABELLA PRO OCCURRENTIIS

QUANDO OCCURRIT

	et Simplex 8 ordinis.	et Simplex 7 ordinis.	et Simplex 6 ordinis.	et Simplex 5 ordinis.	et Simplex 4 ordinis.	et Simplex 3 ordinis.	et Simplex 2 ordinis.	et Simplex 1 ordinis.	et Semiduplex 7 ordinis.	et Semiduplex 6 ordinis.	et Semiduplex 5 ordinis *perpetuo.*	et Semiduplex 5 ordinis *accidentaliter.*
Duplex 1 classis 1 ordinis	6	6	6	6	4	4	4	1	6	6	11	6
Duplex 1 classis 2 ordinis	6	6	6	6	4	4	4	1	6	6	11	6
Duplex 1 classis 3 ordinis	6	6	6	6	4	4	4	1	6	6	11	6
Duplex 1 classis 4 ordinis	6	6	6	6	4	4	4	1	6	6	11	6
Duplex 2 classis 1 ordinis	0	4	0	0	0	0	0	0	6	0	11	4
Duplex 2 classis 2 ordinis	6	4	6	4	4	4	4	1	6	6	11	4
Duplex 2 classis 3 ordinis	6	4	6	4	4	4	4	1	6	6	11	4
Duplex maius 1 ordinis	6	4	6	4	4	4	4	1	6	4	11	4
Duplex maius 2 ordinis	6	4	6	4	4	4	4	1	6	4	11	4
Duplex minus 1 ordinis	0	4	0	0	0	0	0	0	6	4	11	4
Duplex minus 2 ordinis	0	4	0	0	0	0	0	0	6	4	0	4
Duplex minus 3 ordinis	6	4	6	4	4	5	5	5	6	4	11	4
Duplex minus 4 ordinis	6	4	6	4	4	4	4	1	6	4	11	0
Duplex minus 5 ordinis *accidentaliter*	6	0	6	4	4	4	4	3	6	4	0	0
Duplex minus 5 ordinis *perpetuo*	6	4	0	4	4	4	4	0	6	4	11	4
Duplex minus 6 ordinis *accidentaliter*	6	0	6	4	4	4	4	3	6	4	0	0
Duplex minus 6 ordinis *perpetuo*	6	4	0	4	4	4	4	0	6	4	11	0
Semiduplex 1 ordinis	0	4	0	0	0	0	0	0	0	4	0	4
Semiduplex 2 ordinis	0	4	0	0	0	0	0	0	0	4	11	4
Semiduplex 3 ordinis	0	4	0	0	0	0	0	6	0	4	0	4
Semiduplex 4 ordinis *accidentaliter*	6	4	6	4	4	4	4	3	0	4	0	0
Semiduplex 4 ordinis *perpetuo*	6	4	6	4	4	4	4	0	0	4	11	0
Semiduplex 5 ordinis *accidentaliter*	6	4	6	4	4	4	4	3	0	4	0	0
Semiduplex 5 ordinis *perpetuo*	6	4	0	4	4	4	4	0	0	4	9	0
Semiduplex 6 ordinis	6	4	6	4	4	0	0	6	6	7	3	3
Semiduplex 7 ordinis	6	4	6	4	4	4	0	5	0	5	5	0
Simplex 1 ordinis	0	4	0	0	0	0	0	0	6	4	0	4
Simplex 2 ordinis	0	4	0	0	0	0	0	0	0	0	3	3
Simplex 3 ordinis	0	4	0	0	0	0	0	0	0	0	3	3
Simplex 4 ordinis	0	4	0	4	0	0	0	0	3	3	3	3
Simplex 5 ordinis	6	4	6	0	3	3	3	0	3	3	3	3
Simplex 6 ordinis	6	4	0	5	0	0	0	0	5	5	5	3
Simplex 7 ordinis	6	7	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3
Simplex 8 ordinis	0	5	5	5	0	0	0	0	5	5	5	5

1. Translatio vel Repositio de primo officium de secundo.
2. Translatio vel Repositio de secundo officium de primo.
3. Commemoratio de primo officium de secundo.
4. Commemoratio de secundo officium de primo.
5. Nihil de primo officium de secundo.
6. Nihil de secundo officium de primo.
7. Officium de digniori commemoratio de minus digno.
8. Officium de digniori translatio vel repositio de minus digno.
9. Officium de digniori repositio de minus digno.
10. Repositio de primo officium de secundo.
11. Repositio de secundo officium de primo.

ACCIDENTALIBUS ET PERPETUIS.

EADEM DIE.

et Semiduplex 4 ordinis *perpetuo.*	et Semiduplex 4 ordinis *accidentaliter.*	et Semiduplex 3 ordinis.	et Semiduplex 2 ordinis.	et Semiduplex 1 ordinis.	et Duplex minus 6 ordinis *perpetuo.*	et Duplex minus 6 ordinis *accidentaliter.*	et Duplex minus 5 ordinis *perpetuo.*	et Duplex minus 5 ordinis *accidentaliter.*	et Duplex minus 4 ordinis.	et Duplex minus 3 ordinis.	et Duplex minus 2 ordinis.	et Duplex minus 1 ordinis.	et Duplex maius 2 ordinis.	et Duplex maius 1 ordinis.	et Duplex 2 classis 3 ordinis.	et Duplex 2 classis 2 ordinis.	et Duplex 2 classis 1 ordinis.	et Duplex 1 classis 4 ordinis.	et Duplex 1 classis 3 ordinis.	et Duplex 1 classis 2 ordinis.	et Duplex 1 classis 1 ordinis.
11	6	4	4	1	11	6	11	6	2	4	4	0	2	2	2	2	0	2	2	2	8
11	6	4	4	1	11	6	11	6	2	4	2	1	2	2	2	2	1	2	2	8	1
11	6	4	4	1	11	6	11	6	2	4	2	1	2	2	2	2	1	2	8	1	1
11	6	4	4	1	11	6	11	6	2	4	2	1	2	2	2	2	1	8	1	1	1
11	4	4	0	0	11	4	11	4	2	0	0	0	2	2	2	2	0	2	2	2	0
11	4	4	1	1	11	4	11	4	2	4	1	1	2	2	2	8	1	1	1	1	1
11	4	4	1	1	11	4	11	4	2	4	1	1	2	2	8	1	1	1	1	1	1
11	4	4	1	1	11	4	11	4	2	1	1	1	2	8	1	1	1	1	1	1	1
11	4	4	1	1	11	4	11	4	2	1	1	1	8	1	1	1	1	1	1	1	1
11	4	4	0	0	11	4	11	4	2	0	0	0	2	2	2	2	0	2	2	2	0
0	4	0	0	0	0	4	0	4	2	4	0	0	2	2	2	2	0	3	3	3	3
11	4	4	3	3	11	4	11	4	2	7	1	3	2	2	3	3	0	3	3	3	3
11	0	4	1	1	9	0	9	0	0	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1
0	0	4	3	3	0	0	0	0	0	3	3	3	3	3	3	3	3	5	5	5	5
11	0	4	10	0	11	0	9	0	9	10	0	10	10	10	10	10	10	10	10	10	10
0	0	4	3	3	0	0	0	0	0	3	3	3	3	3	3	3	3	5	5	5	5
11	0	4	10	0	9	0	10	0	9	10	0	10	10	10	10	10	10	10	10	10	10
0	4	0	0	0	0	4	0	4	2	4	0	0	2	2	2	2	0	2	2	2	2
11	4	0	0	0	11	4	11	4	2	4	0	0	2	2	2	2	0	3	3	3	3
0	4	0	0	0	0	3	0	3	3	3	0	0	3	3	3	3	3	3	3	3	3
0	0	3	3	3	0	0	0	0	0	3	3	3	3	3	3	3	3	5	5	5	5
9	0	0	10	0	10	0	10	0	10	10	0	10	10	10	10	10	10	10	10	10	10
0	0	3	3	3	0	0	0	0	0	3	3	3	3	3	3	3	3	5	5	5	5
10	0	0	10	0	10	0	10	0	10	10	0	10	10	10	10	10	10	10	10	10	10
3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	5	5	5	5	5	5	5
5	0	5	0	0	5	5	5	5	5	5	5	5	5	5	5	5	5	5	5	5	5
0	4	0	0	0	0	4	0	4	2	6	0	0	2	2	2	2	0	2	2	2	2
3	3	0	0	0	3	3	3	3	3	0	0	0	3	3	3	3	0	3	3	3	3
3	3	0	0	0	3	3	3	3	3	0	0	0	3	3	3	3	0	3	3	3	3
3	3	0	0	0	3	3	3	3	3	0	0	0	3	3	3	3	0	3	3	3	3
3	3	3	0	0	3	3	3	3	3	3	3	0	3	3	3	3	0	5	5	5	5
5	5	0	0	0	5	5	5	5	5	5	0	5	5	5	5	5	5	5	5	5	5
3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	5	5	5	5
5	5	0	0	0	5	5	5	5	5	5	0	0	5	5	5	5	0	5	5	5	5

TABELLA CONCURRENTIAE.

QUANDO CONCURRIT.

	cum Simplici.	cum Semiduplici 6 et 7 ordinis.	cum Semiduplici 5 ordinis.	cum Semiduplici 4 ordinis.	cum Semiduplici 3 ordinis.	cum Semiduplici 1 et 2 ordinis.	cum Duplici minori 6 ordinis.	cum Duplici minori 3, 4 et 5 ordinis.	cum Duplici minori 1 et 2 ordinis.	cum Duplici maiore 2 ordinis.	cum Duplici maiore 1 ordinis.	cum Duplici 2 classis 3 ordinis.	cum Duplici 2 classis 1 et 2 ordinis.	cum Duplici 1 classis 4 ordinis.	cum Duplici 1 classis 3 ordinis.	cum Duplici 1 classis 2 ordinis.	cum Duplici 1 classis 1 ordinis.
Duplex 1 classis 1 ordinis	2	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	6
Duplex 1 classis 2 ordinis	2	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	6	3
Duplex 1 classis 3 ordinis	2	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	6	3	3
Duplex 1 classis 4 ordinis	2	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	6	3	3	3
Duplex 2 classis 1 et 2 ordinis	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	6	3	3	3	3
Duplex 2 classis 3 ordinis	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	6	3	3	3	3	3
Duplex maius 1 ordinis	4	4	4	4	4	4	4	4	3	4	6	3	3	3	1	1	1
Duplex maius 2 ordinis	4	4	4	4	4	4	4	4	3	6	3	3	3	1	1	1	1
Duplex minus 1 et 2 ordinis	4	4	4	4	4	4	4	4	0	4	4	3	3	3	3	3	3
Duplex minus 3, 4 et 5 ordinis	4	4	4	4	4	4	4	6	3	3	3	3	3	1	1	1	1
Duplex minus 6 ordinis	4	4	4	4	4	4	5	3	3	3	3	3	3	1	1	1	1
Semiduplex 1 et 2 ordinis	4	4	4	4	0	0	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3
Semiduplex 3 ordinis	4	4	4	4	0	0	3	3	3	3	3	1	1	1	1	1	1
Semiduplex 4 ordinis	4	5	4	5	5	5	3	3	3	3	3	1	1	1	1	1	1
Semiduplicia 5 ordinis	4	5	5	3	5	5	3	3	3	3	3	1	1	4	1	1	1
Semiduplicia 6 et 7 ordinis	4	5	5	5	5	5	3	3	3	3	3	1	1	1	1	1	1

1. Totum de sequenti nihil de praecedenti.
2. Totum de praecedenti nihil de sequenti.
3. Totum de sequenti commemoratio praecedentis.
4. Totum de praecedenti commemoratio sequentis.
5. Capitulum de sequenti commemoratio praecedentis.
6. Totum de digniori, dignitate personali, commemoratio minus digni. Si autem aequalia sunt in dignitate capitulum de sequenti, commemoratio praecedentis.

Doct. PETRUS PIACENZA.

DE ORDINE COMMEMORATIONUM IN VESPERIS

ANIMADVERSIONES cl. PETRI LAFRASSE

QUIBUS CONCISE PER SUBIECTAS ADNOTATIONES SATISFACIMUS

Attente perlectis quae in duobus ultimis *Ephemeridum Liturgicarum* fasciculis allata fuerunt contra communem sententiam circa ordinem in commemorationibus servandum, quasdam ibi reperimus difficultates quibus satisfaciendum duximus. Ad hoc nos invitat et amor veritatis, et Directionis *Ephemeridum* benevolentia, qua hucusque scripta nostra benigne excepit et in paginis praedictae publicationis libentissime inseruit, de quo plurimas grates ei palam referimus. Confidimus etiam fore ut nobis parcant lectores, si necessitate coacti propositam quaestionem iterum aggredimur; horum autem ne defatigemus patientiam, brevitati simul et perspicuitati quoad fieri poterit consulemus.

Quaenam est prima commemoratio facienda in Vesperis post orationem officii de quo actum est saltem a capitulo? En unica quaestio de qua acturi sumus, quippe quae sola est in qua ab adversariis dissidemus. Ipsi autumant primam commemorationem semper esse faciendam de officio concurrenti; nos vero huic commemorationi talem per se deberi praecedentiam negamus.

I. Dicimus itaque in faciendis commemorationibus, non exclusa commemoratione concurrentis officii, eum esse sequendum ordinem quem

statuit Rubrica (Tit. IX n. 11). Id arguimus ex ipsa Rubrica, ex S. R. C. Decretis, ex unanimi Liturgicorum consensu et ex ratione.

1.° Sane, uti alias demonstravimus, Titulus IX Rubricarum agit de commemorationibus officiorum tum occurrentium tum concurrentium, quamvis ut completa habeatur doctrina de commemorationibus recurrendum sit etiam ad Tit. X et ad Tit. XI, prout commemorationes officiorum occurrentium aut concurrentium sunt. Quum igitur de utrisque commemorationibus sermo sit in praecedentibus numeris praefati Tituli IX, de utrisque etiam sermo est in num. 11; nullam enim restrictionem ponit Rubrica. Praeterea procul dubio de commemoratione concurrentis officii loquitur Rubrica Tabellae concurrentiae supposita; atqui in hac idem ordo statuitur servandus (1).

Citata Rubrica per modum regulae generalis se habet. Est, ut alibi iam exposuimus, obnoxia limitationibus quas exigunt peculiares rationes. Ut taceamus de commemoratione S. Ioseph, ubi concessa est, in festo Desponsationis B. M. V. et de commemoratione S. Pauli in festis S. Petri et vice versa, duas admittit exceptiones sequentes: *A*) Si quod officium dimidias habuerit Vesperas, de hoc primum facienda commemoratio est: namque, ut aiunt Gavantus et Cavalerius, in Vesperis commemoratio illius, quod ultra com-

(1) Reponimus, titulum IX loqui praecipue et ex professo de commemorationibus festorum, quorum feri nequit officium integrum: ut ex eo non possit certa norma sumi pro ordine commemorationum concurrentis officii, quamvis de iis quandoque ex necessitate agat.

memorationem habet dimidium earumdem Vesperarum, praeferenda est commemorationi illius quod in iisdem Vesperis non habet nisi meram commemorationem (1). *B*) Cum festum occurrit in dominica aut feria quae illi praevalere debet in occurrentia, si de ambobus facienda commemoratio est, praecedere debet commemoratio dominicae aut feriae, ad mentem Rubricae de Concurrentia, Tit. XI, n. 10, et iuxta Decretum S. R. C. d. d. 15 nov. 1890: etenim, ut sapienter notat Gavantus, aequum est ut dominica privilegiata sedem sibi acquisitam conservet. Non alias patitur exceptiones praefata Rubrica, ut magis patebit ex dicendis (2).

2.° Certe nobis favere S. R. C. Decreta alibi, breviter quidem sed sufficienter, ostendimus; et quamvis Decreta in Gardelliniana collectione contenta nunc sint sub revisione, arbitramur fas esse illa in probationem adducere iisque inniti, donec non fuerint expuncta: alioquin nulla impraesentiarum allegari possent Decreta. Quod si a decisis recedat postea S. R. C. et nos a nostra sententia libentissime recedemus, quum nihil nobis antiquius sit quam illius auctoritati nos plene conformare, uti in praesenti ita etiam in futuro (3).

(1) Haec ratio non probat, quia notum decretum, non de dimidio vesperarum loquitur, sed de iure ad easdem: quo, etsi dimidias non habeat vesperas festum, gaudet tamen.

(2) Gavanti auctoritati inclinamus caput; sed Rubrica de hac exceptione tacet; legem ergo casus allatus constituit non exceptionem, nos credimus, ob concurrentiam Dominicae vel feriae.

(3) Et nos censemus ex aliquibus decretis rem satis demonstrasse: ad ea quod attinet, quae contraria sunt, tempus responsum dabit.

3.° Sententiae nostrae adstipulantur omnes ad unum Liturgici qui ante exortam praesentem controversiam scripserunt, inter quos citare iuvat praestantissimos Gavantum et Cavalerium, qui pro more suo solidis suam assertionem munierunt rationibus. Post exortam controversiam plerique, ut nobis videtur, ne quid amplius dicamus, pro nostra steterunt sententia. In eam abierunt ipsae *Ephemerides Liturgicae*, quae breviter rem tetigerunt (Vol. V. pag. 95). Non aliter quaestionem resolvit ipsamet Academia Liturgica Romana, in dissertatione quae habita fuit die 2 Iulii 1890 a Rev. Dom. P. Pallamare, acta Epitoma per Reverendissimum Dom. Dom Ciocci ex Apostolicarum (1) Caeremoniarum Magistris: quam dissertationem videre est in *Ephemeridibus Liturgicis*, vol. V, pag. 677 et seqq.

4.° Denique rationi plane consentanea est sententia nostra. Nihil enim sapientius ordine quem inter plures commemorationes servari praecipit Rubrica: quo ordine fit ut illud prius commemoretur officium quod alteri antecellit ritu aut dignitate. Duas memoratas exceptiones postulat quoque ratio, ut supra breviter demonstravimus. Iam vero hanc sapientem Rubricae dispositionem sine causa ab adversariis inverti paucis ostendamus (2).

II. Ad suam adstruendam thesim, sic argumentantur dissidentes: Illius officii quod potio-

(1) Vera esse quae hic exponuntur non diffitemur, sed applicari hic posset: sapientis est mutare consilium.

(2) Sapientius esse iudicamus ut praeferatur comm. concurrentis officii, etsi inferioris ritus, quam ut inter commemorationes concurrentes aliae admisceantur, quae iure concurrentiae destituuntur.

ris est iuris prius facienda est commemoratio; atqui officium concurrens potioris est iuris quam officium occurrens; ergo. Nos maiorem huius argumenti concedimus: minorem vero negamus in sensu quo ipsam intelligunt adversarii, nempe in eo sensu quod officium concurrens qua tale potioris sit iuris quam officium occurrens. Praedictam vero minorem sic illi probare nituntur: Officium quod ius habet ad Vesperas integras, vel ad Capitulum, vel ad dimidium, potioris est iuris quam illud quod nonnisi ad commemorationem ius habet; atqui officium concurrens ius habet ad Vesperas integras, vel ad Capitulum, vel ad dimidium, officium vero occursu impeditum nihil iuris habet nisi solam commemorationem. Ergo.

En in tota vi sua adversariorum argumentatio, quorum etiam verbis usi sumus. Sedulo inspiciamus vim praedicti syllogismi. Transmissa maiore, minoris priorem partem negamus. Etenim vel agitur de iure radicali officii concurrentis, vel de illius iure expedito, de illo nempe quod retinet consequenter legibus concurrentiae. Si prius, officium concurrens ius habet ad Vesperas integras, nullatenus vero ad Capitulum tantum aut ad dimidium; sed in hac hypothesi iam patet adversarios perperam inniti S. R. C. Decreto 18 Decembris 1779, quod manifeste ipsis adversatur, nedum faveat. Si posterius, aperte edicunt Rubricae officio concurrenti ius inesse aut ad Vesperas integras, aut ad dimidias, aut ad meram commemorationem, aut ad nihil. Iam vero si ius habeat ad integras Vesperas, aut si ad nihil ius habeat, insulsum foret quaerere quonam loco sit commemorandum, ut liquet; si ius habet ad di-

midias Vesperas, tunc quidem ante quaecumque officia occurrentia, etiam ritu praecellentia, est commemorandum, ob rationem supradictam; si ius denique habet ad solam commemorationem, tunc par omnino est eius conditio conditioni officiorum occursu impeditorum, ideoque ante vel post haec commemorandum, prout postulat diversitas ritus aut dignitatis, iuxta Rubricae praeceptum (1).

Ita enim Gavantus (*sect. III, c. 8, n. 14*) docet: « Si (dominica privilegiata in qua occurrit dies octava) concurrat cum semiduplice, tunc Vesperae erunt de dominica cum commemoratione diei octavae ut in secundis Vesperis festi, deinde semiduplicis ut in primis eiusdem Vesperis, quia IN PARI GRADU COMMEMORATIONIS NOBILIOR EST DIES OCTAVA QUAM FESTI SEMIDUPLICIS COMMEMORATIO ». Adversarios rogamus ut bene perpendere velint haec ultima verba, sicut etiam et sequentia Cavalerii. Inquirit quid sit faciendum quando dies octava incidit in dominicam privilegiatam, et in sequenti feria secunda occurrit festum novem lectionum. « Si festum, inquit, est semiduplex, Vesperae erunt de dominica cum commemoratione primum de die octava quam sequentis semiduplicis, quia SUMUS IN CASU SOLIUS COMMEMORATIONIS DE UTROQUE, ET CONSEQUENTER COMMEMORATIO DUPLICIS PRAEFERENDA EST COMMEMORATIONI SIMPLICIS » (*Tom. II, c. 18, decr. 1*). Ita loquuntur haec

(1) Par non est ratio concurrentis officii, et non concurrentis, etiam quoad solam commemorationem; quia primi com. est vel principium vel complementum officii: secundi vero com. est omnino ad recitatum vel recitandum officium impertinens.

duo praeclara rei liturgicae lumina; adeo perspicua sunt eorum verba, adeo solidae rationes ut nihil amplius desiderari possit (1).

III. Nos arguunt adversarii quod non satis distinguamus inter impedimentum occurrentiae et impedimentum concurrentiae; sed inter utrumque magnum discrimen intercedere omnino admittimus. Negamus tamen ex hoc discrimine rite inferri posse commemorationem officii concurrentis semper primo loco faciendam esse. Ratio est quia unum et idem officium creat impedimentum concurrentiae et impedimentum occurrentiae, ita ut unum impedimentum sine altero amoveri nequeat. Ut res facilius intelligatur, sint duo casus quos proponit cl. Doct. Piacenza:

In ecclesia B. in dominica Septuagesimae agendum est festum duplex maius Sacrae Familiae et redigenda ad ritum simplicem S. Agnes; in sabbato autem actum est officium semiduplex S. Liberatae. Nos ita Vesperas ordinamus: Vesperae de S. Familia, cum commemoratione dominicae et S. Agnetis ac S. Liberatae: amoto enim impedimento S. Familiae, Vesperae forent dimidiae de S. Liberata, et a capitulo de dominica Septuagesimae. Reponit autem cl. Piacenza: amoto impedimento occurrentiae, concedo; amoto impedimento concurrentiae, nego. Sed res quam ipse supponit plane impossibilis est, nempe amoveri posse unum impedimentum sine altero. Etenim festum S. Familiae quod impedit dominicam in

(1) Tantis auctoribus, ut uni Gavanto supra, caput pariter inclinamus, sed ex alibi dictis momentum allatum non satisfacit.

occursu, impedit etiam Vesperas S. Liberatae in concursu: si amoveas impedimentum occurrentiae, videlicet festum S. Familiae, necesse est ut hoc ipso amoveas impedimentum concurrentiae. Ergo non est attendenda, quod ad rem praesentem attinet, praefata distinctio quae repugnantiam involvit. Libenter quidem concedimus Vesperas S. Liberatae in casu citato haud impediri festo S. Agnetis, quod utique iure caret ad Vesperas, bene vero impediuntur festo S. Familiae; sed nihil interest utrum ab uno an ab altero impediantur; reapse impediuntur, ideoque solum retinent ius ad commemorationem (1).

Alter casus hic est: In ecclesia F. in primo sabbato mensis Iunii agitur festum duplex majus Sacri Cordis B. M. V. Hoc sabbatum occurrit die 4 Iunii, nempe in festo duplici S. Francisci Caracciolo, ideoque die 5 est dominica de qua agitur officium. Quomodo ordinandae erunt Vesperae? « Erunt, inquit cl. Piacenza, integrae de S. Corde B. M. V. cum comm. dominicae seq. ac postea de S. Francisco; quia amoto impedimento concurrentiae, scilicet, nisi obstarent Vesperae digniores S. Cordis B. M. V. a capitulo essent de dominica ». Sed aut amovetur festum S. Cordis B. M. V. aut non. Si amovetur, iam non impeditur festum S. Francisci, quod in concursu dominicae integras suas Vesperas habebit cum commemoratione eiusdem dominicae. Si non amovetur, impediuntur

---

(1) **Impedimentum occursus gignere concursus impedimentum, ut alterum sine altero dari nequeat, admittendum certo est. Sed vero aeque certum est alterum non esse alterum, et inter duo optime distinguendum.**

pariter et festum occurrens S. Francisci et primae Vesperae dominicae; et tunc, ut ait Cavalerius, « sumus in casu solius commemorationis de utroque, et consequenter commemoratio duplicis praeferenda est commemorationi semiduplicis ». Ergo fiat commemoratio primum S. Francisci, dein dominicae (1).

IV. De reliquis difficultatibus quas nobis opponit cl. Doct. Piacenza quædam etiam fortasse nobis dicenda forent; sed si prae oculis habeantur quae superius exposita fuerunt, facile evanescunt, et nostra agendi ratio, si ex nostris principiis iudicatur, dignoscitur plane rationi consentanea et sibi perfecte cohaerens, quamvis pro varietate casuum aliquando applicanda sit regula generalis, aliquando autem exceptiones supra memoratae. Unde in praesenti, brevitatis causa, opportunum non ducimus diutius in his insistere.

Ad calcem pag. 608 nos rogant *Ephemerides Liturgicae* ut dicamus quomodo festum Ss. Rosarii concurrere possit cum S. Sergio, de quo in crastino agitur tantum commemoratio. Sed noster loquendi modus non est apud Liturgicos inusitatus: eo utuntur vel eximii scriptores, uti Cavalerius; imo fundamentum habet in ipsa Rubrica Breviarii post Tabellam concurrentiae (2).

---

(1) Impediuntur quidem et S. Franciscus et primae Vesperae Dominicae in casu, sed diversa ratione: illa in occursu proindeque et in concursu, istae vero in concursu tantum; ergo hae praevalent S. Francisco, de quo non factum est officium, nec par est ratio commemorationis, ut supra diximus (v. not. 8).

(2) Esto, eiusmodi loquendi modum non esse inusitatum; sed inconveniens per eumdem loquendi modum demonstrari non poterat: quod fiebat.

V. Diximus incommodis obnoxiam esse sententiam quam impugnamus. Id praesertim procedit quando commemoratio simplicis concurrentis anteponenda foret commemorationi duplicis (etiam maioris cum superest) simplificati aut dominicae. Duo gravia incommoda tunc evenirent, ut ipse notavit cl. Doct. Piacenza (*Ephem. Lit., vol. II, pag. 228*). Non sinit tempus nos hanc rem prosequi et evolvere; id tamen praestare conabimur si ferat necessitas (1).

Rogamus adversarios ut ad superius exposita serio attendere velint. Quod si votis nostris annuerint, in spem erigimur fore ut quorum sentiendi modum nonnisi aegre impugnavimus, eos nobiscum habeamus consentientes; quod eo gratius nobis accidet quo magis eorum peritiam in ceteris omnibus suspicimus (2).

PETRUS M. LAFRASSE.

---

(1) Duplex incommodum, quod hic innuit cl. Lafrasse, negligendum arbitramur, quia nullius momenti.

(2) Oppositus sentiendi modus magis nobis arridet, magisque apparet liturgico sensui consonus; ut nisi aliter tenere nos cogat competens auctoritas, ab illo non discedamus.

DE LUMINIBUS AC FLORIBUS

ALIISQUE HONORIS SIGNIS IN FUNERIBUS ADHIBERI SOLITIS

UTRUM RATIONEM SUFFRAGII NEC NE HABEANT

DISSERTATIUNCULA

Ab uno e Consociatis nostris humanissimis rogati, ut mentem circa superius enunciatam quaestionem adaperire, atque sententiam nostram in medium adducere velimus, melius iustis Rev. Consociati desideriis fatisfieri haud posse iudicavimus, quam sequenti dissertatiuncula.

1. Ipsi humanae naturae sensus quidam pietatis venerationisque erga defunctos inditus est.

Confer humanitatis historiam, versa manibus primam, historiarumque principem, sacros libros Moysis, et in ipsis humani generis exordiis Abraham reperies, qui electum sepulchrum ab Ephrom quadringentis siclis argenti probatae monetae publicae sibi emit (*Genes. c. XXIII*): Iosephumque invenies, qui servis suis medicis praecipit, ut aromatibus corpus Iacob patris sui condiant (*Genes. c. L*). Consule quoscumque alios historiae libros, et omnes uno ore praedicabunt, apud Aegyptios sicut et apud Hebraeos, apud Graecos sicut et apud Romanos, magno semper in honore ac veneratione defunctorum corpora habita fuisse.

2. Sed quia humanae naturae conditio haec est: ut nonnisi per sensibilia, signaque externa internos

animi affectus exprimere valeat: hinc et ad venerationis pietatisque manifestandos intrinsecos animi sensus erga extinctos, lumina et aromata, flores ac cyparissos, ornamenta aurea et argentea, lapides ac ligna pretiosa ubique invenies.

3. Et sancta Mater Ecclesia semper vestigiis divini Fundatoris fideliter insistens, qui solvere non venit, sed adimplere, etiam hoc super negotio sapienti illa et prudenti divinae gratiae oeconomia, quae naturam perficit, haud vero destruit, persequuta est. Hinc omnia signa illa externa pietatis venerationisque erga defunctos, sua fecit Ecclesia; imo pietatem liberalitatemque fidelium etiam fovit. Nam si prisca patrum monimenta interroges, et lumina ac flores, aromata et pretiosa ligna apud fideles invaluisse respondent, iam inde ab Ecclesiae incunabulis.

4. Et sane: ex actis Sanctarum Praxedis et Pudentianae sub nomine Pastoris (*apud Mombrit. Tom. 2*) colligitur, quod mos fidelium fuit, antequam corpora sepelirent, simul convenire in Exequiarum celebratione. De exequiis enim Pudentis Senatoris ibi dicitur: " Quod audientes christiani, una cum sancto Pio Episcopo undique confluxerunt, et exequias iuxta traditionem ecclesiasticam in hymnis et canticis celebrantes etc. „. Sed ante celebrationem Exequiarum fideles corpora lavabant, uti in Actis Apostolorum legimus de Tabitha fuisse servatum: " Factum est autem in diebus illis, ut infirmata (Tabitha) moreretur. Quam cum lavissent etc. (*Act. Ap. c. 9, v. 37*) „.

Neque deerant aromata, quibus post lotionem corpora ungebantur: hinc Prudentius (*lib. 10 ad defunct. exeq.*):

Aspersaque myrrha, Sabaeo
Corpus medicamine servat.

Et Spondanus (*num. 91 et seq.*): " Christianorum corpora unguentis delibuta insepulta remanere duobus, vel tribus diebus, et interim orationes et suffragia fiebant „.

Linteaminibus postea corpora sic respersa, etiam tunc mos fuit involvere; unde illud Prudentii (*in Apotheosi*):

Solvite iam laetae redolentia vincla sorores.
Solus odor sparsi spiramen aromatis efflat.

Sed ne in infinitum orationem protrahamus nostram, innumera praeterimus veterum testimonia de aliis ornamentis testantia, quibus defunctorum exequiae ornabantur; uti de vestibus sacerdotalibus pro ecclesiasticis, de coronis floreis pro virginibus, de frondibus denique, de aqua et oleo benedicto, de crucibus, de palmis aliisque dignitatum insignibus. Praeterire tamen minime volumus quae ad rem nostram propius accedunt. Et imprimis Baronius ipse (*ad ann. 310*) testatur, quod ethnicorum sublata formidine, ac Ecclesiae reddita pace, fidelium defunctorum corpora magna pompa sublata fuere, cum hymnis, cereis et incensis. Et S. Gregorius Nissenus subiungit, quod Clerici ordine progredientes, cereos accensos manibus gestantes funus deducebant (*Epist. ad Olimpium de morte sororis suae Macrinae*). S. Hieronymus pariter (*in Epist. ad Eust. de morte Paulae*): " Cum alii Pontifices lampades cereosque praeferrent „: et in Epitaphio eiusdem Paulae: " Sacerdotes lampades, cereosque praetulerunt funeri „. Et haec pro luminibus. Pro floribus autem sint haec S. Ambrosii in oratione funebri de obitu Valentiniani: " Non ego floribus tumulum eius aspergam: sed spiritum eius Christi odore perfundam „ : et alia S. Hieronymi: " Ceteri mariti super

tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos etc. (*Epist. ad Pammachium de obitu uxoris*) „. Ex quibus omnibus abunde colligere licet, iam ipso Ecclesiae in limine flores ac lumina, aromata ac cetera ornamenta apud christicolas in funeribus adhibita fuissa, ipsa suprema auctoritate Ecclesiae vidente ac tacente, imo et fovente.

5. Hisce breviter delibatis, ad propositum tandem veniamus quaestionis nodum solvendum. Inquiritur ergo num flores, lumina, aromata etc. in funeribus maxime magnatum adhibita, omnino vana et civilia signa sint honoris, an potius aliquo modo etiam rationem suffragii habeant. Non haesitamus, relicto primo propositionis commate, alterum amplecti. Et imprimis impar mens nostra esset intelligendo, quomodo Ecclesia, prudentia et sapientia haud ulli secunda, ansam praeberet, imo mendacium grandiumque vanitatem foveret, si flores, lumina ceteraque huiusmodi in funeribus adhiberi solita nullo modo rationem dicant suffragii. Ex superius enim enunciatis satis superque patet, Ecclesiam pompam funeream et permisisse, et adhibuisse. Sed sententiam nostram auctoritas omni exceptione maior confirmat, Doctoris scilicet Angelici. Sanctus enim Doctor inquirens (*4 Sent. dist. 45, quaest. 2, art. 3, quaest. 3 in corp.*), an prosint ea quae ad ornatum sepulturae exhibentur, respondit, quod illa quae ad ornatum sepulturae exhibentur, prosunt quidem vivis inquantum sunt vivorum solatia; *sed possunt et defunctis prodesse*, non quidem per se sed per accidens: inquantum scilicet per huiusmodi homines excitantur ad compatiendum, et per consequens ad orandum: vel in quantum ex sumptibus sepulturae, vel pauperes fructum capiunt vel Ecclesia decoratur: sic enim Tobiae sepultura inter ceteras eleemosynas com-

putatur. Et ibidem (*ad 1*) pariter inquirens in quo sensu verum sit, quod D. Damascenus in sermone de dormientibus ex D. Athanasio dixit, ne renue oleum et ceras Dominum invocans in sepulcro accendere: accepta enim sunt ista Deo, et multam ab eo recipientia retributionem, similiter respondet, quod oleum et cera ad sepulcra defunctorum perlata per accidens defuncto prosunt; vel in quantum Ecclesiae offeruntur, sive pauperibus dantur; vel in quantum huiusmodi in reverentiam Dei sunt: unde verbis praemissis subiungitur: oleum enim et cera holocaustum sunt. Ita breviter, sed perspicue S. Doctor.

6. Quod autem de praefatis signis dictum est, de aliis omnibus pariter intelligas; semper enim eadem comprobatur ratio. Namque eiusmodi adhibere signa, opus est bonum, pietatis, caritatis, alteriusve virtutis, uti ex. gr. eleemosynam facere etc. Iam vero quicumque actus bonus in se continet meritum, quod sibi acquirit illum faciens; sed etiam quamdam includit satisfactionem, quae optime defunctis applicata iuvare potest. Hinc cantus, sonitus nolarum, flores aliaque similia iure merito suffragii rationem habere tenendum est.

7. At fortasse obiices: S. Ioannes Chrysostomus (*hom. 85, in cap. 20 Matth.*) et S. Augustinus (*lib. 1 de Civit. Dei c. 11 et 13 et lib. de cura agenda pro mortuis*), nonne affirmant, *Sepulturam et funeris pompam solatia esse vivorum non mortuorum subsidia?* Utique, verum est quod praedicti Sancti haec dicant; verum eorum verba eo modo interpretanda sunt, ut scilicet sepultura aliaque omnia ad eius ornatum pertinentia, per se non sint praesidium ad salutem aeternam: per accidens tamen prodesse possunt propter preces amicorum vel propter alias rationes; uti etiam observarunt idem S. Augu-

stinus in libro de cura pro mortuis agenda, et S. Gregorius (*lib. 4 Dialog. c. 50*). Uno verbo, sancti Patres non sepulturae solemnia damnarunt, sed luxuriam et superfluam ambitionem; modumque in sumptibus adhibendum suadent.

Stat ergo sententia nostra, flores, lumina, ceteraque omnia huiusmodi non mera et vana esse honoris signa, sed aliquo modo, per accidens scilicet, rationem habere suffragii. Et hanc credimus opinionem in praxi tenendam, utpote pietati fidelium bonoque Ecclesiae quam maxime faventem.

8. Inferes: 1. Sententiam contrariam iudicandam esse falsam, seu recto rationis fidei innixae sensu, seu archaeologia liturgica, seu Ecclesiae praxi inspectis. 2. Rectorem quemcumque Ecclesiae, vel quemcumque Sacerdotem, non posse praefatam nostrae oppositam sententiam sine admiratione et scandalo docere, piis enim auribus ad minus offensionem inferret, atque etiam ipsi Ecclesiae iniuriam, quae non solum doctrina quid agere fideles debeant instruit, sed etiam exemplo. 3. Optime se gerere Sacerdotes, qui ad hos pietatis omnigenae actus erga defunctos christianam plebem inducunt, doctrina et exemplo piissimam matrem Ecclesiam imitantes, quae animas piacularibus flammis addictas multis variisque modis iuvare contendit, divinae eosdem pietatis actus misericordiae commendans, ut ex multiplicibus diversisque suffragiis, quae illi magis placent applicare defunctis velit.

CONSULTATIO
DE SECUNDA ORATIONE AD LIBITUM IN MISSIS QUOTIDIANIS DEFUNCTORUM

1. Duo Sacerdotes quaestionem instituerunt inter se, et nobis resolvendam tradiderunt. Equidem haud tanti nobis momenti apparet, ut ab aliis etiam gravioribus separata in *Ephemeridibus* pertractetur. Cum nihilominus Venerabili cuidam Sodali nostro ita placeat, et nos ei facere satis opportunum iudicamus. Quaestio secundam respicit Orationem, in Missis quotidianis defunctorum dicendam. Alter enim asserit, hanc secundam Orationem posse dici *pro patre et matre,* pro amico, pro offerente eleemosynam, verbo: ad libitum. Alter vero dicit, et contra primum, qui, eo iudice, asserit tantum, probare contendit, standum esse ordini in Missali assignato, ac debere dici: *Deus veniae largitor.* Utri favet veritas?

2. Quidquid sit de mero asserto absque ullo momento allato, cui fulciatur: quidquid sit de alio, quod probatur assertum; ad nos quod attinet, et quantum videmus, sequentem thesim ponimus, quam demonstraturos esse confidimus: IN MISSIS QUOTIDIANIS DEFUNCTORUM SECUNDA ORATIO EST AD LIBITUM. Cumque thesis contraria nonnullis rationibus innitatur, eas post thesim demonstratam lectoribus, prouti iacent, referemus, iisque respondebimus.

3. Praemittimus, hic agi exclusive de Missis *quotidianis* adeo ut aliae Missae excludantur a

quaestione. Itaque excluditur: 1. Missa, sive cantata sive lecta Commemorationis Omnium fidelium defuctorum; haec enim unicam tantum admittit Orationem, prouti in ipso Missali videre est. Excluditur 2. Missa cum cantu in die obitus seu depositionis, vel etiam lecta, si ritus tamen permittit; quippe quae nonnisi unam pariter admittit Orationem, ut in Missali. Excluditur 3. Missa cum cantu in die, sive anniversaria, sive tertia, septima et trigesima (idem de lecta dicas, si permittat ritus): haec namque recitari potest et debet, uti praescribitur in Missali. Excluditur 4. quaecumque Missa cum cantu, quae, excepta tantum conventuali pro prima die mensis, vel feria secunda non impedita, cum unica semper Oratione dicitur, uti ex S. R. Congñis Decretis clarescit (*V. De Herdt pars 1, num. 65*). Hic ergo tantum agìtur de Missa quotidiana, et quidem lecta, prout in Missali quarto loco inscribitur: et quae dici generaliter potest quando Ritus officii recitati duplici minori est inferior. In hac itaque Missa, uti demonstrabimus, potest recitari semper, loco secundae Orationis, alia ad libitum ex his, quae pro defunctis in Missali habentur.

4. De re positiva tractamus; lege ergo positiva utendum est. Porro dubitari non debet, secundam Orationem *Deus veniae largitor*, in aliam ad libitum Sacerdotis mutari posse, si id lex positiva permittat; atqui, ergo. Minoris probatio nullius videtur negotii. Namque in *Aquen.* S. R. C. expetita fuit: « In Missis quotidianis defunctorum... Oratio secunda potestne mutari, scilicet dici v. gr. pro patre, prae notata *Deus veniae largitor*? » Iam nunc data responsio affirmativa est, ait enim:

» Aliquando pro illa (*Oratione*) *Deus veniae largitor* impune subrogabitur alia, v. gr. pro patre, pro matre etc. (*2 Sept. 1741, ad 4*) ». Lex eiusmodi permissiva, alia confirmatur, seu Decreto *Briocen.* 12 Aug. 1854 ad 10.

Super quo Decreto *Aquen.* animadvertas velim: *a*) petitionem esse generalem, *b*) aliam non supponere causam mutationis, praeter libitum Celebrantis, *c*) Orationem denique *pro patre* adduci tanquam in exemplum mutationis, de qua inquiritur. Iam vero petitionem generalem non coarctat non limitat responsio. Ponit quidem verbum *aliquando,* sed uti patet, id petitioni cohaeret; agitur enim de libertate id agendi, qua quis modo utitur, modo non utitur, prout illi placet. Non ergo ponendum est, id semper evenire, sed *aliquando:* videlicet, *qualche volta, alcuna volta, talora, talvolta,* seu quod idem est, quando id Celebrans opportunum iudicat. Secus, cum nulla exprimatur in responso causa aut tempus mutationis agendae, quid *aliquando* significaret, nemo intelligeret. Insuper, peculiari animadversione dignum est exemplum unum in petitione allatum, duplex vero in responso. Notum est enim, in Missali haberi unam Orationem pro utroque parente, et aliam quae Duobus aequivalet distinctis: alteram nempe pro patre et alteram pro matre. Quaerebatur autem apud S. Tribunal, num Orationi *Deus veniae largitor* subrogari alia posset v. gr. pro patre; et responsum est, posse aliam subrogari, *v. gr. pro patre, pro matre.* Imo additur *etc.*, quod profecto ostendit, Orationes pro patre, et pro matre, esse duo exempla, ad quorum similitudinem aliae quoque

recitari aliquando possunt: secus ut quid addere *etc.*? Vel quinam esse posset sensus *etc.*?

Denique responsum dicit id posse fieri *impune:* hoc est, sine damno legis, seu sine laesione Rubricarum, seu sine periculo defectus contra Rubricas. Quid amplius desiderari potest pro intelligentia Decreti, pro intentione S. R. Congñis, pro libertate Celebrantis in casu? Ergo probata manet minor, nempe: lex positiva permittit, ut secunda Oratio *Deus veniae largitor* in aliam quamcumque mutetur ex iis, quae pro defunctis in Missali inscribuntur.

5. Hunc esse sensum petitionis et responsionis, de quibus supra, videlicet factam esse revera Celebrantibus facultatem, ut hanc secundam Orationem pro lubito in aliam mutent, liturgici universi docent, qui post relatum Decretum scripserunt. Praesto sunt nobis sequentes: *a*) Aloisius a Carpo, qui dicit: «quod ad Missam attinet quotidianas sine cantu, Orationes leguntur ibi assignatae, EXCEPTA SECUNDA *Deus veniae*, IN CUIUS LOCUM ALIA INTERDUM SUBROGARI POTEST, UT PUTA PRO QUIBUS MISSA APPLICATUR, PRO PATRE, PRO MATRE ETC. (*Bibliot. Liturg. Pars I*, cap. III, n. 45)». *b*) De Herdt, qui scribit: «secunda (*Oratio*) est *Deus veniae largitor* quae in Missa quotidiana secundo loco ponitur: STRICTE AUTEM PRAECEPTA NON EST, QUIA A S. R. C. DECLARATUR, ALIQUANDO PRO ILLA IMPUNE SUBROGARI ALIAM V. G. PRO PATRE PRO MATRE ETC., ITA UT ALIAM CELEBRANS EIUS LOCO SUBSTITUERE POSSIT (*Pars I, n. 65*)». *c*) Fumagalli, qui ait: «LICET AUTEM PRO 2.ª *Deus veniae largitor* ALIAM DICERE, sive pro eo, pro quo Missa celebratur, sive *pro patre aut matre* etc.

(*Pars I, cap. 2, n. 11*)». *d*) Zualdi, qui singularius quam ceteri se exprimit de Missa tractans quotidiana: «Prima Oratio est *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes* etc. SECUNDA PRO QUO CELEBRATUR (*Caer. Missae pag. 145*)». Ita fortasse loquitur, supponens neminem velle ex Celebrantibus Orationem omittere in eius iuvamen, pro quo celebrat, et cuius ratione eleemosynam accipit; nihilominus quid nimis nobis videtur. Sed relati sufficiant, ut Wapelhorst praetereamus, Caeremoniale Romano-Seraphicum, Foppiano, *Ephemerides* nostras etc. etc. etc. Namque graviter dubitandum, num unus, post Decreti superius expositi evulgationem, extet auctor, qui de hoc negotio pertractet, et contrarium sentiat. Omnium nihilominus eorum seriem, maximae notae liturgici iure compleant. Et primo Meratus (*Pars I, Tit. V, n. XII apud Gavant.*), inde Lonher (*pars 4. Tit. 3. § 2, n. 4.*), postea Quarti (*pars 1, Tit. 5. Dub. 1, vers. Resp. n. 7*), tandem Cavalerius (*Tom. III, Decr. VII, n. X*). Nonne felix esset error, tot tantisque auctoribus communis?

6. Lege positiva, aequa illius interpretatione, et competentium auctoritate perpensis, placet et rectum liturgicum sensum consulere, ut videamus, quid et ipse respondeat. Sacrificium altaris uni Deo offertur, Missa autem Sacrificii naturam sequitur: quippe quae complexio est precum cum ritibus et caeremoniis, quae sacrificium comitantur, et cum quibus illud offertur. Nihilominus aeque indubium est Missam Deo quidem offerri, uti sacrificium, cum quo nunc liceat unum et idem illam considerare; sed vero ambigendum non est, eamdem et Deo persaepe offerri in ho-

norem Sanctorum. Legas Theologos praeter Liturgicos, ipsasque Ascetas, sive antiquiores, sive recentes; perspiciesque, nil habitum semper in Ecclesia fuisse solemnius, quam Missas in honorem Sanctorum celebrare. Haec quidem ne sanctissimae nostrae fidei excelsiorem provinciam ingrediamur. Iam nunc prima prex Missae, prex, inquam, illa quae exclusivum propemodum nomen Orationis sibi vindicat, quodnam habet obiectum? Inspice vel maximam relationem inter Missam et Orationes. Deus est, et ad Deum dirigitur, in honorem tamen Sancti, vel Sanctorum, quorum intercessione bona expetita a Deo expectamus. Revera, si Missa de Sancto est, de hoc quoque prima dicitur Oratio, cui altera secreta respondet, nec non tertia, seu Postcommunio.

Nunc autem animadvertendum, Missam de requie non dici in honorem Sanctorum, quamvis per eam semper sicuti Deus ita et sancti honorentur; sed dici in suffragium animae alicuius vel plurium animarum, quae piacularibus flammis addictae sunt. Hinc iuvamen animarum in purgatorio detentarum, in Missa de requie, stat pro honore Sanctorum in Missa vivorum, quae de iisdem Sanctis dicitur. Verum prima Oratio in Missis de Sanctis ad illum pertinet, in cuius honorem Missa agitur; qua ergo de causa, nulla Oratio illius erit propria animae, in cuius iuvamen dicitur Missa?

7. Tanti facienda credimus nunc allata momenta, ut iisdem fortasse innixi melioris notae auctores uno ore sustinuerint, primam Orationem in Missa quacumque de requie, sive cantata sive lecta, esto etiam quotidiana, pro ea esse dicen-

dam anima, pro qua applicatur. Lege Meratum (*Ap. Gavant. Tom. I, pars I, Tit. V, n. XI*), lege Guyetum (*Lib. IV, cap. XXIII, quaest. 29*), lege Cavalerium (*Tom. III, Decr. VII, n. XI*); et praeter Lhoner, Iansens, Romsée, Brassine, legendus etiam De Herdt in peculiari hac super materia dissertatione (*Tom. 3, Edit. 4, fol. 361*). Denique perpendenda quoque erit quaestio Ritualis, quae in nostra Academia pertractata fuit, et de qua *Ephemerides* nostrae lectores docuerunt anno 1887, pag. 207 et seq. In hac namque quaestione eadem defenditur thesis gravissimisque munitur argumentis. Idque, addimus, haud obstantibus ordine Orationum in Missali posito, et Decretis pluribus S. R. Congñis: qui ordo et quae Decreta congrue explicantur.

8. Verumtamen transeat, dicimus, ut prima Oratio in casu non sit pro anima, cui applicatur specialis Sacrificii fructus. At quaenam urgens oriri potest causa, et nulla vere particularis, saltem secundo loco, dari Oratio debeat illi animae, pro qua Sacrificium offertur? Hoc prorsus non intelligitur. Quaevis enim Missa, aut de mysterio est, et tres honoratiori loco de eodem mysterio Orationes habet: aut de Sancto, et tres habet, eodem loco, Orationes peculiares de illo: aut de feria, et tres pariter, ut supra, de feria Orationes in Missa leguntur. At, sodes, Missa de requie, neque de mysterio, neque de Sancto est, neque de feria, sed de defuncto; ergo et ipsa tres habeat, secundo saltem loco, particulares Orationes pro eodem defuncto. Adeo ut, sicut in primis mysteria, Sancti, vel feriae speciali honore habentur, ita particulari iuvamine in alteris ani-

mae piacularibus flammis addictae recreentur oportet.

9. Huiusmodi autem sentiendi modus S. R. Congregationi innititur. Prima, quia duo iam exposita Decreta in *Aquen.* et in *Briocen.* ita dicunt, secundum omnium Liturgicorum interpretationem. Secundo, quia id quoque iure inferri potest ex pluribus aliis Decretis Missas cum cantu respicientia: quas videlicet ut trinam propriam Orationem habeant, eadem Decreta disponunt.

Nec valet difficultas ex cantu Missae desumpta; Missa enim de requie, sive cantetur, sive legatur, semper eamdem rationem habet; ut vel pro uno, vel pro pluribus defunctis semper dicatur. Si ergo cantata Orationem propriam habet; non est ratio, cur lecta communes tantum Orationes ex praecepto habere debeat.

Tertio, quia haec est in tota Liturgia continuo observata consuetudo, ut Oratio scilicet propria, et trina, in Missa semper habeatur. Quare ergo exceptio in casu unico, de quo est sermo, fieri tantum debeat, non intelligeretur.

Dices quidem, hoc nimis probare, consequenter nihil; sed frustra. Equidem hoc probaret, Orationem propriam semper esse dicendam, quod falsum est; namque in hypotesi secunda Oratio propria, semper esset ad libitum ex Decretis. Sed respondemus primo, iuxta auctores alibi citatos ultimum consectarium nos libenter admittere, nempe Orationem propriam semper dicendam esse: adeo ut, si quod exposuimus, hoc quoque probat, tanto melius pro nobis. Secundo, si hoc nihilominus consectarium nolint dissidentes concedere, saltem concedant primum: ut scilicet loco secun-

dae Orationis non propriae, aliam propriam recitare Celebrantes possint. Qua enim de causa adeo velint esse severi, ut ista propria Oratio neque debeat dici, neque possit, omnino inintelligibile est.

10. Verum ad momenta deveniamus, quibus innituntur dissidentes, ut iudicent secundam Orationem in Missis quotidianis defunctorum nullo pacto esse mutandam. Primum est series Decretorum a Benedicto XIV ad Pium Papam IX, in quibus tres Orationes praescribuntur dicendae, et quidem ordine in Missali assignato. Respondemus 1. Decreta huiusmodi admittimus, sed legem ipsa positivam constituunt; nihilominus alia duo extant superius citata, quae etiam legem constituunt permissivam. Si ergo illa admitti debent, et ista respui non possunt. Uti consequenter vi illorum tres dicendae sunt Orationes ordine in Missali assignato; ita vi istorum Celebrans, quando sibi placeat, aliam secundae Orationi sufficiet. 2. Ordo in Missali assignatus non eodem modo ab omnibus intelligitur; et nos cum Guyeto ita ipsum explicavimus, ut sententiae propugnatae, quam veritatem credimus, apprime faveat (*V. Ephem. Vol. I, pag. 215, sub fine*).

11. Alterum est exceptio, quam ponunt duo Decreta *Aquen. et Briocen.* sed exceptio firmat regulam in contrarium. Hinc habetur verbum *impune,* quod ostendit legem revera infringi, quando secunda Oratio mutatur in aliam. Attamen non adeo est strictum vinculum legis, ut numquam possit dissolvi: potest intervenire iuxta causa excipiendi: sit tamen rationabilis et rara: quod includitur in verbo *aliquando.* — Respondemus, De-

creta de exceptione verba non facere, sed legem permissivam statuere: vi cuius Celebrantibus fit potestas aliam dicendi Orationem ab illa, quae secundo loco assignatur in Missali. Quid verbum *impune* significet quid *aliquando* iam alibi dictum est (*n. 4*), ut proinde non dissidentibus, sed nobis eiusmodi verba suffragentur. Ceterum animadvertimus, nullam urgere necessitatem tam severe interpretandi praedicta verba, quasi dicam in damnum illius vel illarum animarum, quibus Missa applicatur. Gratis ergo asseritur, per verbum *impune* infractionem legis significari, cum oppositum e contra sit verum. Multo autem magis asseritur gratuito, requiri causam *rationabilem* et quidem *raram* pro secunda Oratione mutanda. Unde enim hoc? Num ex verbo *aliquando?* Sed eiusmodi verbi significatio iam fuit exposita (*n 4*), ex eaque nihil erui pro dissidentibus potest. Ceterum Lex ex Decreti verbis, prouti iacent, constituitur, haud vero ex hominum ratiocinantium et inferentium ingenio. Atqui Decretum seu *Aquen.* seu *Briocen.* ne verbum quidem habent de rationabili causa in quaestione, multoque minus de eiusmodi causae raritate. Ergo nulla ex lege requiritur causa, sed sufficit Celebrantis voluntas, cuius libertati remittitur, ut secunda Oratio in Missis quotidianis pro defunctis mutari possit in aliam.

12. Ut autem necessitatem statuant oppositores trium Orationum dicendarum, ut in Missali assignantur, addunt sequentem animadversionem. Sane vix potest intelligi, quae rationabilis causa impediat Orationes illas, quae in Missali notantur, ut alia secundae *Deus veniae largitor* sufficiatur. Namque Oratio, quae loco secundae dici vellet,

recitari potest ante ultimam *Fidelium*, uti aliae quae addi possunt, quin defuncti anima ullum patiatur damnum. Ergo. — Respondemus primo, de causa rationabili nil nostra referre, utpote de qua tacet lex Decreti. Lex permittit, ut alia Oratio aliquando impune substituatur secundae: id satis est nobis. Secundo, quod pertinet ad damnum dicimus, satis esse melius atque utilius, ut anima, ante fratres, propinquos et benefactores, et reliquos, peculiari Oratione adiuvetur; eo magis, quod maius illa quam aliae animae habere ius potest. Profecto animam prius adiuvare quam aliam, semper est utilius, et contrarium proinde minus utile, ut quoddam damnum inferat. Recole quae alibi innuimus pro prima Oratione dicenda, ut citius peculiariter sublevetur anima, in cuius suffragium Missa dicitur, satis enim ad rem faciunt.

13. Quaedam adducitur paritas ex ordine deprompta, qui in Horis Canonicis dicendis requiritur. Certe, dicitur, Prima recitanda est ante Tertiam, Sexta post Tertiam etc. At data rationabili causa, inverti ordo poterit. A pari in tribus Orationibus, de quibus est sermo: ordo servandus ut in Missali; sed data rationabili causa, licite invertitur ordo. — Reponimus primo, data et non concessa paritate, causam rationabilem *raram* esse necessario debere in Horarum Officii inversione, quis Moralistarum docet? Secundo Lex Decreti, ut pluries diximus, de causa rationabili tacet, quae ceterum semper esse posset Celebrantis devotio, vel ius animae, pro qua Sacrificium applicatur. Tertio, negari potest paritas; nam in inversione Horarum semper requiritur aliqua causa, ut vel levis evitetur culpa, quia eiusmodi inver-

sionem nulla lex permittit. In casu vero nostro nulla requiritur causa rationabilis, cum lex permissiva habeatur, cui se conformantes Sacerdotes nullam ne levissimam quidem culpam admittunt.

14. Tertium momentum est: In semiduplicibus nunquam secunda Oratio est ad libitum; sed semper vel *A cunctis*, vel de Spiritu Sancto, etc. Cur ergo eiusmodi exceptio in Missis quotidianis defunctorum? — Respondemus primo, exceptionis causam esse ipsam legem permissivam, quae aliis momentis superius allatis apprime innititur. Secundo, Missa de requie potiusquam Missis de semiduplicibus, quae festivae quoque esse possunt, votivis assimilatur, est enim vere votiva. Nihilominus est sui generis, quia omnem cum officio relationem excludit, dum in aliis votivis privatis semper relatio habetur cum eodem officio, cuius fieri commemoratio debet. Hinc secunda Oratio in his Missis est semper diei currentis. Quid ergo mirum, si exceptio fiat in Missis quotidianis defunctorum, et ad libitum lex permittat secundam ex Orationibus? Rationes autem huiusce permissivae legis iam pluries dictae sunt, neque hic eas fas est repetere.

15. Ultimum momentum in eo consistit, quod aliqui ex Sacerdotibus eruditione et pietate praestantes, qui huius secundam Orationis mutandae consuetudinem contraxerant, re maturius perpensa, consuetudinem ipsam mutaverunt, et nunc ordini adhaerent in Missali assignato: nisi rationabilis et rara causa illis oppositum suadeat.

In hos Sacerdotes animadvertere nos nec possumus nec volumus. Sed tantum dicimus, eos laude tunc fuisse dignos, cum legi *permissivae* inhae-

rebant, at neque impraesenti vituperandos esse, imo potius commendandos, cum legem *positivam* adimpleant. Cavendum nihilominus est ipsis, ne eos, qui secus agunt, censura notent; hi enim communem legis permissivae interpretationem sectantes, iure suo utuntur. Quod si illi iudicarent, se licite, alios oppositum agentes illicite operari, toto caelo errarent, uti demonstratum est. Ceterum, sperne si velis et possis, quae hucusque exposita et probata fuere, et quae nobis adeo graviora momenta videntur, ut sententiam in veritatem convertant; ultimum superest, quod ineluctabile est. Secundum ea omnia quae diximus, lex quae tenet, alteram Orationem in Missis quotidianis defunctorum mutari non posse ad libitum Celebrantis, satis est dubia, sive intrinseca sive, et multo magis, extrinseca argumenta perpendas. Atqui lex dubia non est lex; ergo omni cum securitate sententia a nobis proposita, quae ceterum longe probabilior est, teneri potest. Ergo IN MISSIS QUOTIDIANIS DEFUNCTORUM, SECUNDA ORATIO EST AD LIBITUM: *quod erat demonstrandum.*

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Cracovia.* **De colore paramentorum, exposito Sacramento in honorem Passionis Domini.** In Quadragesimae Dominicis devotio quaedam Vespere hic peragitur ex consuetudine in honorem Dominicae Passionis, coram Sacramento exposito. Quaeritur: cuiusnam coloris debent esse stola et pluviale?

Resp. Satis notum ponimus plurium vi decretorum, sicuti paramenta altaris, Sacramento exposito, respondere debent colori eiusdem Sacramenti, ita paramenta ministrorum colori officii diei respondere debere. Quod si immediate ante vel post officium diei aliqua agenda esset functio, sive liturgica sive extraliturgica, tunc indubium quoque est, eumdem ac in officio colorem in ea retineri posse, etiam coram Sacramento exposito. Excipias velim nihilominus semper colorem nigrum, qui coram Sacramento omnino prohibetur.

In casu, uti ex dubii expositione constat, agitur de functione omnino extraliturgica, quae cum officio diei nullam habet relationem, ab eoque est prorsus separata : quinam ergo in paramentis functionem agentis adhibendus color ? Natura functionis videtur exigere colorem rubeum, vel potius violaceum : Sacramentum vero expositum e contra colorem album videtur requirere : quid ?

En noster ratiocinandi modus: In functionibus ab officio separatis, dum Sacramentum est expositum, colorem album decreta praescribunt, utpote Sacramenti proprium ; atqui ... ergo .... Et iure merito, fit enim sacra functio coram Sacramento; imo ob eamdem idem Sacramentum exponitur; ergo decet omnino ut ratio Sacramenti, proindeque color albus, praevaleat rationi functionis, licet dominicam Passionem pro obiecto ipsa habeat. Praeterea animadvertas velim, Sacramentum Eucharistiae maximam dicere Passioni relationem, quippe quod huius est memoriale perpetuum, cum in illo recolatur memoria Passionis Christi. Sed rem denique aperte declarat Decretum *Matriten.* d. d. 20 Sept. 1806 ad 1, quod pro casu simillimo album colorem praecipit. In Ecclesia enim Toletana quotannis

in die Ascensionis ad vigiliam usque Pentecostes inclusive sacrum decendium celebrabatur cum Expositione Sacramenti. Canebantur videlicet Vesperae, post quas variae recitabantur preces et orationes in honorem Spiritus Sancti, tamquam ad festum Pentecostes praeparatio. Quaerebatur autem, utrum color paramentorum respondere deberet festo Pentecostes, an potius Sacramento. Iam audi responsum: " Ad 1. Quatenus Sacerdos, qui Vesperas paratus celebravit, non recedat ab altari, et assistat cum concioni tum precibus, reservationem (*functionem*) faciendam esse cum paramentis coloris respondentis officio diei, et velo humerali coloris albi, si illud adhibeatur. Quatenus vero recedat, et reservatio habeatur tamquam functio omnino separata et distincta ab officio Vesperarum, utendum esse paramentis coloris albi ". Hic ergo negligendam praecipit S. R. C. rationem functionis, quae rubeum potius quam album exigebat colorem; ergo et in casu nostro ex eodem motivo negligenda est ratio functionis rubeum vel violaceum colorem exigentis, alboque colore utendum ratione Expositionis. Confer etiam quae alibi dicta sunt in Ephemeridibus (*an. 1890 pag. 702-703, Dub. VII*).

Nota. Quando aliquid agere vetamur in re liturgica, ratione necessitatis, ex quibus aliquando facere contra legem permissum est, Moralis scientia iudicat. Alibi dictum est, ministris, qui Vesperis parati assistunt, non licere deferre dalmaticam loco pluvialis (*Vid. Ephemerid. an 1890, pag. 211, Dub. XV*). Decretum citavimus *Alexanen.* (*in quo num. illius 2014 corrigas quaeso in 2114*), quod eiusmodi paramenta prohibet, et ad Caeremoniale remittit: haec veritas. Utrum autem ex quatuor rationibus, quas affert adm. Rev. Inquirens agere liceat contra decretum in casu, quid

respondendum nescimus. Nobis, ut verum fateamur, satis infirmae apparent; sed Episcopus potius iudicet, ad quem libenter negotium remittimus.

II. *E Galliis.* **De Missa pro populo applicanda in festis patronalibus.** In Constitutione Urbani VIII, quam Pius Papa IX renovavit, praescribitur agendum esse festum " unius ex principalioribus patronis in quocumque regno, sive provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et celebrari contigerit „. Quaeritur: Sub nomine regni vel provinciae venit ne etiam dioecesis, ita ut locus particularis patronum particularem habens, teneatur etiam Missam applicare pro populo in festo patroni dioecesis?

Resp. Certum est ex relatis verbis Constitutionis Universa Urbani VIII duo tantum posse celebrari patronorum festa in unoquoque loco, saltem ex iure communi, sub duplici praecepto audiendi Sacrum, abstinendique ab operibus servilibus. Ex his duobus festis alterum pertinet ad patronum universalem, si habeatur, alterum ad patronum particularem: cuius, si desit, vices supplere potest patronus dioecesis. Hic enim haud inter generales, sed inter particulares enumeratur. Praeter haec duo praefata festa sub duplici praecepto celebranda, populus aliud de patrono festum celebrare non debet. Namque supradicta Urbani VIII Constitutio prosequitur: " Ad reliquorum dierum observantiam, quos hactenus, sive in universa Ecclesia, in quavis Natione aut Regno, Provincia, Dioecesi, aut loco, quomodocumque, sive ex praecepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione Christifideles tamquam festivos celebrarunt, nequaquam ex praecepto ipsos teneri, auctoritate apostolica decernit et declarat „. Porro obligatio applicandi Missam pro populo gigni-

tur ex obligatione illam audiendi in populo. Animadvertendum nihilominus est, iuxta Constitutionem Amantissimi Redemptoris Pii Papae IX (*3 Maii 1858*): " Parochos aliosque omnes curam animarum gerentes, sacrosanctum Missae Sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere, tum omnibus Dominicis aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam qui ex huius apostolicae Sedis Indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo vigore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur et transferrentur ". Hinc certum credimus cum Guyeto, imo cum cl. Lambertinio, Decretum Urbani vim non habere nisi in posterum: " ab eo videlicet die, quo ipsum latum est, adeoque quibus iam locis certi iampridem, ac determinati habebantur Patroni, nihil prorsus est innovandum (*Lib. I, cap. III, decr. I, n. IV*) ".

Post dicta quaerimus: Patronus dioecesis in casu recolitur ne ex consuetudine in loco sub duplici praecepto, habeatur, vel non, patronus particularis loci? Si negative respondeas, nos quoque ad propositum dubium respondemus: negative. Si vero affirmative respondeas, affirmative respondemus et nos, videlicet: Patronus dioecesis, etsi recolatur patronus loci particularis, sub duplici praecepto recolendus est, tenet enim consuetudo. Consequenter tenetur et Parochus eiusmodi die Missam applicare pro populo.

III. *Ex eodem loco.* **De commemorationibus in Missa de festo solemni in Dom. sequentem translata**. Cum post Rubricas reformatas omnes commemorationes videantur exclusae in officio dupl. 1. classis, quaeritur: Utrum eadem tenenda regula in Missa de festo so-

lemni, quae in Galliis ex peculiari Indulto transfertur in Dominicam sequentem ?

Resp. Iuxta quaestionem, quam cl. Doct. Piacenza resolvit in his Ephemeridibus (*Vol. 1. pag. 665 et seq.*), si severius loquamur, Rubricae super commemorationibus agendis nullam post earumdem reformationem passae sunt mutationem. Quam doctrinam et nos sequentes arbitramur, etiam impraesenti occurrere posse in officio dup. 1. cl. aliquas commemorationes agendas, illas nempe, quas recenset praedictus Doct. Piacenza (*n. III, pag. 667 in loc. cit.*). Hae autem non solum in officio agendae sunt, sed et in Missa, quamvis haec solemnis esse possit.

Quo posito, dubium propositum resolvimus, uti alias simile resolutum fuit (*V. Ephemerid. Vol. III. pag. 272 et seq. Dub. IV, Resp. 2*): hoc est, in Missa, de qua est sermo, faciendas esse commemorationes de officio diei, et reliquas, si occurrant, quae nunquam omittuntur. Nec attendendum ad id, quod eodem in volumine postea emendatum fuit (*pag. 336 et seq. Dub. VI circa finem*), quia alium respicit casum. Et in hac solutione concordem habemus cl. De Herdt (*pag. 1, n. 45, Resp. 2*), Guyetum atque Meratum, qui ibidem citantur. Item innitimur quoque Decreto *Lucionen.* d. d. 29 Dec. 1884 ad Dub. I, quod in hac Missa excludit commemorationem de die infra octavam et de Simplici occurrenti, nec non alii Decreto *Tornacen.* 22 Iul. 1848 ad 1, commemorationes Dominicae et festi occurrentis explicite iubenti. Hoc quidem in hypothesi, quod alia non habeatur, sive cantata sive lecta, Missa conventualis in loco : secus quaecumque commemoratio omittitur, uti praefatus De Herdt iure animadvertit (*loc. cit.*). Ita qui-

dem agendum credimus, usque dum nova prodeat Decretorum Collectio.

IV. *E Dioecesi Veronensi.* **De non omittendis alleluia in Introitu Missae votivae SS. Cordis Iesu.** Duo extant Decreta in Authentica Collectione: *Cameracen.* ad 5, d. d. 16 Sept. 1865, et *Lincien* ad 10, d. d. 3 Iun. 1892, quorum illud affirmat, istud negat, duo *alleluia* ad Introitum in Missa votiva Cordis Iesu debere omitti. Quid agendum?

Resp. Quantum videmus, recentiori Decreto standum est. Primo, quia ex regula generali recentiora Decreta revocare antiqua possunt, sed non viceversa, nisi explicite id doceat competens auctoritas. Secundo, quia Missae votivae per se *alleluia* non excludunt: adeo ut tempore paschali in illis recitentur, sicut in aliis festivis.. Tertio, quia quamvis *alleluia* tempore paschali multiplicentur; nihilominus pluries in Missis, quae sunt extra hoc tempus, *alleluia* habent, sicuti paschali tempore. Ex. gr. Missa de Immaculata Deiparae Conceptione *alleluia* habet ad offertorium: Transfigurationis Missa pariter, sicut Exaltatio Sanctae Crucis etc. Item Missa SS. Nominis Iesu, tam ad offertorium, quam ad Communionem etc. Quae profecto ostendunt, duplicem *alleluia* ad Introitum, alterum ad offertorium, et alterum ad Communionem, legem generalem constituere pro Missis tempore paschali dicendis; sed etiam extra id tempus pluries in Missis haberi hanc iubilationis vocem, quando scilicet laetitiae sensus veluti superabundans est in praefatis partibus Missae, eaque utitur Ecclesia.

Fatendum nihilominus, decretum primum *Cameracen.* magis nobis liturgico sensui apparere conforme. Quia ipsa Missa de SS. Christi Corpore, quae *alleluia* habet secundum morem paschalis temporis, eadem est,

quae votiva prostat in fine Missalis; et nihilominus *alleluia* non habet ad Introitum, neque ad Offertorium, neque ad Communionem. Allata autem superius exempla, pro *alleluia* ad Offertorium et Communionem valent; sed nullum reperivimus in Missis universis Missalis Romani exemplum de duplici *alleluia* ad Introitum extra tempus paschale. Quod demonstrat, id adeo esse proprium illius temporis, ut extra illud locum non habeat. Idem proinde foret concludendum de Missa SS. Cordis Iesu, cuius ritus circa *alleluia* quasi octavam protrahit SS. Corporis Christi. Hinc de hac Missa quatenus votiva, idem iure concludi posset, quod de Missa SS. Corporis Christi, quando uti votiva recitatur.

Ex dictis inferimus, cum duo extent ea super re decreta, fortasse laudandum credimus, qui recentiori, sed nec vituperandum, qui antiquiori decreto se conformat, saltem donec nova Collectio decretorum absolvatur.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1894.

OB · FAVSTITATEM · ANNI · $\overline{L}$ · AB · INITO · EPISCOPATV

D. N. LEONIS · $\overline{XIII}$ · PONT. MAX.

TEMPORIBVS · ALIENISSIMIS
PRAETERITORVM · MEMORES
ANXII · TREPIDIQVE · FVTVRORVM
O · AETATIS · NOSTRAE · DECVS · ET · PRAESIDIVM

LEO · $\overline{XIII}$ · PONTIFEX · MAXIME

TE · IN · ISTO · DIGNITATIS · FASTIGIO
DIVINITVS · POSITVM · EIQVE · PAREM
NEC · HVMANIS · MODO · LAVDIBVS
SED · ET · SVPERV̂M · PRODIGIIS · CELEBRATVM
TE · PATRONVM · CHRISTIANI · ORBIS
PASTOREM · CVSTODEM · PARENTEM
SVSPICIMVS · ADCLAMAMVS

CIVES · CIVIBVS · TE · SOSPITE
TAMQVAM · DE · COMMVNI · BONO · GRATVLAMVR
IN · SPEM · BONAM · ERECTI
FORE · VT · IPSE · VELVTI · SOL · SVPERVENIENS
POST · ATRAM · TVRBIDAMQVE · TEMPESTATEM
OMNIVM · VVLTVS · EXPLICES
TERRISQVE · PACEM · REDDAS
DIV · VIVAS · PATER · OPTIME
ET · QVANTVM · VALES · ANIMO
TANTVM · CORPORIS · ETIAM · VIRIBVS
ET · VALETVDINIS · FIRMITATE
VALEAS

DAVID FARABVLINI
ANTISTES DOMVS PONTIFICALIS.

ARCHAEOLOGIA

DE MOMENTO ET LOCO PRAECISIS INCARNATIONIS VERBI DEI

Gratissimum facere Consociatis autumamus notitias aliquas, quamquam aliquibus abhinc annis evulgatas, velut ad literam referentes, a cl. D. D. Barbier de Montault insigni Archaeologo aetatis nostrae acceptas. Quae adamussim determinare videntur momentum et locum, quibus praecipuum cultus omnis obiectum Christus Dominus Verbum Dei conceptus fuit. Monitos tamen lectores nostros volumus, hac evulgatione, nos nec addere nec minuere aliquid ponderis velle argumentis pro rerum veritate afferendis.

Latina versio. Rev. Abbas *Lury* in *Bulletin Archeologique* Montis Albani (1886, p. 164-170) quaestionem movit, cuius resolutio nimiam praesefert gravitatem: hoc est, de loco et momento praecisis Incarnationis Salvatoris. Arbitror, varias auctorum hac de re opiniones concordari facile posse, cum de iis coordinandis agatur.

Aperte ante omnia declarandum mihi est, non esse hic locum Theologiae; sed ob oculos lectorum ponere studeo textus et monumenta, quae scriptam et permanentem traditionem constituunt.

Admittamus oportet, ut mihi videtur, tres distinctos actus: *Salutationem* angelicam, Annuntiatio-

nem et Conceptionem Verbi in utero Virginis. Quae tria ordinario insimul coniunguntur ac si quid unum efforment, quin temporis aut loci habeatur respectus, unde error, ut arbitror.

Angelus de sero apparuit, seu occidente sole. Alma Virgo in suo versabatur horto ad aquam in quadam fonte hauriendam. En duplex factum, quod simul testantur Evangelia apocrypha, Graecorum traditio, Iconographia et institutio peculiarium precum ad solis ortum occasumque.

Evangelia apocrypha hoc nomine appellantur, non quod falsa contineant, sed quia inter canonicos libros non recensentur, quos de fide est fuisse divinitus inspiratos. Nunc autem ea explicitam perspicuamque mentionem faciunt de fonte, de admiratione, qua correpta Virgo permansit in voce audienda, cum solam se esse arbitrabatur, demum de labente sole seu noctis initio. Hos ipse textus citavi in Ephemeride *Bulletin Monumental*, occasione nacta ab *Inventaires* et a *Trésor de Monza*.

Graeci schismatis sectatores etiamnum ostendunt in crypta Ecclesiae *S. Gabriel* in civitate Nazareth fontem, propre quam sancta Virgo salutationem prima vice accepit ab Archangelo (*p. 168*). Templum caelestis Nuntii vocabulo appellatum, quod eo in loco fuit constructum, satis superque significativum est, quippe quod traditionem consecrat, perpetuamque reddit.

Iconographia a V ad XV saeculum huic traditioni fideliter adhaeret, cum Mariam in actu quo annuntiatur, repraesentat prope fontem.

Celebriora hac de re monumenta duo sunt, latinum Ebur in aede maxima Mediolanensi (*saec. V*), et terra obsignata thesauri Modoetiae, quam ipse primus detexi et explicavi. Iam nunc utrumque Virginem de-

monstrant inclinantem se, ut aquam hauriat, seque convertentem, ut sibi loquentem videat.

Signum, quod *Angelus* dicitur, et media aetas agnoscebat sub nomine *Ave Maria*, quodque adhuc permanet apud Italos populos, qui idem dant signum paulo post solis occasum, retroactis saeculis, quo historia pervenit, semel tantum pulsabatur in unoquoque die, scilicet sub noctis initium. Hora et preces ubique receptae, ineluctabili significatione gaudent; et primaevus Ecclesiae hoc super negotio finis, idem luculenter ostendit.

Ergo apparitio Archangeli Gabriel, et Mariae salutatio ita aequa praecisione determinata sunt, ut uniuscuiusque menti possit satisfacere.

Maria, Graeci inquiunt, festinanter domum suam regressa est, ubi iterum caelestem missum aspexit (*P. 168*). Ratio pro ipsis stat, allocutio enim in eadem domo locum habuit, iuxta traditionem, quam praefata Evangelia apocrypha et sacrae aedis monumentum Nazareth extructum testantur.

Textus ipse citavi, ad Modoetiae thesaurum quod attinet, neque huc redeundum. Tria ex hoc facta ediscimus, nempe: Mariam domum suam fuisse ingressam, fusum accepisse ad purpurea ducenda stamina a summo Sacerdote ipsi commissa, cum iisque in manibus audiisse loquentem angelum. Haec purpura percelebris est in vetustioris aetatis iconographia, sicut et fusus, humile instrumentum, cui ad hoc usque saeculum venerationis cultum exhibet Segodunensis Ecclesia in Galliis. Itaque cum textibus consonant monumenta: quae insuper aliam virginem monstrant almam Virginem comitantem, ad huius custodiam destinatam a Summo Sacerdote. Papiae (*XI*, *XII saec.*) Virgo ostenditur, quae custodem suam aetate maio-

rem non relinquit. In Andegavensi cathedrali Ecclesia (*saec. XII*) Maria repraesentatur, quae vix ut rumoris aliquid audit, ianuam domus petit, quid acciderit dignoscendi causa. Virgo actu Annuntiationis orans est pia fides recentius exorta, quae iconographiae saeculo XV anteriori non respondet: ut orantem Virginem nonnisi eo in actu videamus, quo Verbum Dei concepit.

Maria, ex antiquissimis monumentis in interiori domus sedens apparet, quandoque surgens ex reverentia in caelestem nuntium, vel ut suam obedientiam ostendat. Si traditionem consulamus, haec pars domus interior, pars esset posterior habitationis Mariae, id est caverna quaedam in rupe effossa. Duae columnae locum designant, ubi erant Maria et Gabriel. Hic stabat ad cavernae ingressum, seu in liminaribus, quae non praeterivit; illa vero aliquantulum ab angelo distabat. Eo in loco accidit, non salutatio, quae in horto dicta est, sed colloquium de quo Sanctus Mathaeus. Ibi ergo annuntiatum est Verbum, quod assumpturum erat carnem in sinu Virginis, ibique haec voluntati divinae sibi patefactae acquievit. Archangelus bis loquitur in futuro: " Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi „. Nil indicat, statim post Virginis Fiat evenisse conceptionem, seu praesente nuntio, seu illico post huius discessum. Virgo, spiritu et cogitationibus in Deum intentis, orans permansit. In interiorem exinde habitationis partem secessit, quae est sancta illa domus, " Santa Casa „ in Lauretanam Ecclesiam iam translata. Ibi Maria concepit, quemadmodum fert commemorativa inscriptio: *Deiparae domus in qua Verbum caro factum est.* Media nox erat, ut una ex vetustis Bre-

viarii romani antiphonis docemur (1), quae bis repetitur eodem die, licet cum aliquantula diversitate (2): " Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit ". Huius biblici textus (3) applicatio praefatam opinionem confirmat, cum Ecclesia eam adhibet in festo Nativitatis Domini, ostendens eadem hora novem gestationis menses fuisse absolutos. Verbum media nocte conceptum in Nazareth, media item nocte natus est in Bethlehem.

BREVIS ANIMADVERSIO
SUPER DIE VERE NATALITIA

1. Post Ecclesiam constitutam, neminem latet, natalitia Sanctorum celebrata fuisse. Quantae autem curae fuerit Ecclesiarum Antistitibus natalitiam hanc Sanctorum diem annotare, monimentisque ac litteris consignare, ut, illa adventante, singulis annis solemnis illorum memoria in sacris recoleretur mysteriis, testis est luculentissimus Cyprianus in Epistola (*37*) ad Pre-

(1) Dominica infra octavam nativitatis Domini.

(2) *Haberet* pro *perageret*, et *de caelis* ante *regalibus*. In pluribus liturgiae codicibus invenitur antiqua versio, quae *itala* dicitur, et vulgatae consona.

(3) *Sap*. XVIII.

sbyteros et Diaconos Ecclesiae Carthaginiensis. Testis est Chysostomus, qui Sanctorum sepulcra, imperatorum ac principum palatiis longe anteponens, diem quoque natalem illorum annuo ritu in Ecclesiis peragi solitam, mirifica sua illa eloquentiae vi extollit (*v. hom. 26 in Ep. 2 ad Corinth.*). Testes tandem quotquot sunt omnes de rebus ecclesiasticis scriptores.

2. Cum autem Sanctorum duplex sit nativitas, altera qua in hunc mundum editi, communem cum ceteris hominibus lucis huiusce corruptibilis acceperunt usuram, altera qua mortalis huius vitae vinculis exoluti: « In novam illam, (ait eleganter seu Eusebius Emyss. seu Eucherius Lugdunensis hom. 50 in Genesim) futuri saeculi veniunt claritatem; et filii hominum in adoptionem divinae paternitatis ascendunt », sub duplici hoc respectu dies natalis ipsorum considerari potest.

3. Ecclesia autem semper solemne habuit, haud quidem temporalis Sanctorum nativitatis diem fidelibus recolendam proponere (exceptis tantum beatissimae Christi Matris ac ipsius Christi sanctissimi Praecursoris), cum scriptum sit, omnes nasci *natura filios irae, et neminem mundum a sorde, nec infantem unius diei super terram.* Ideoque luctus potiusquam gaudii nativitatis diem habendum esse.

Sanctorum natalitia dies, a fidelibus solemni ac religioso ritu quotannis recolenda, frequentius olim dies dicebatur, qua beati Christi Martyres, invicte superatis tyrannis, palmam obtinuere martyrii. Hinc Epistola Ecclesiae Smyrnensis vocat *natalem, diem martyrii* (*vid. Euseb. Caesar. Hist. Eccl. Lib. 4, c. 15*). Et S. Augu-

stinus, S. Cyprianum laudibus prosequens, haec habet: « Quod nomen sic frequentat Ecclesia, idest natales, *ut natales vocet pretiosas martyrum mortes* (*serm. 113 de divers*). » Nihilominus in posterum *Natalis* seu *Natalitia dies* de quocumque sancto, etiam non martyre indifferenter usurpari inceptum est: ita ut dies quo quisque Sanctus sive martyrio, sive naturali morte ex hac vita decedens ad caelestem transit, Natalis proprie dicitur. Sic in Martyrologio legitur: «Natalis Sancti Pauli Eremitae (*10 Januarii*): Natalis S. Hilarii (*13 eiusd.*): Natalis S. Martini (*11 Nov.*) etc etc. Nec immerito, nam ut ait Ambrosius: « Depositionis ipsa dies *Natalis dicitur*, quod delictorum carcere liberati, libertati nascimur Salvatoris ». Et Albinus Flaccus: « Iure nasci dicuntur, qui de pressuris huius mundi, tanquam de augustiis cuiusdam ventris, ad illam spatiosissimam et lucidissimam caelestis habitationis emittuntur latitudinem (*Lib. de Div. Off. ubi de Fer. 6 Parasc.*)».

4. Nihilominus nonnunquam accidit, ut fideles spiritum Ecclesiae haud bene percipientes, temporales etiam Sanctorum nativitates ecclesiastico ritu recolere ceperint. Sed semper vigil Tribunal sacris tuendis Ritibus praepositum, ut fideles revocet, ad rectam liturgici sensus intelligentiam, sapientissimum sequens emanat:

DECRETUM GENERALE

Postremis hisce temporibus mos invalescere coepit ut centenaria commemoratio diei natalis aliquorum Caelitum persolemni pompa recoleretur.

Hinc a Sacra Rituum Congregatione petitum fuit declarari: Utrum temporalis nativitas alicuius Sancti vel Beati, excepta illa Deiparae Virginis nec non S. Ioannis Baptistae, celebrari possit liturgico ritu vel alio sacrae solemnitatis modo?

Huiusmodi Dubium quum in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, a me infrascripto Cardinale Praefecto propositum fuerit, Emi et Rmi Patres ita rescribere censuerunt:

Negative, etiamsi celebratio fieret die obitus vel alio quocumque die memoriae eiusdem Sancti vel Beati adsignato. Die 19 Decembris 1893.

Facta autem de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per meipsum infrascriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae eiusdem Congregationis adprobavit, eamque per praesens Decretum evulgari mandavit ut ab omnibus et ubivis religiosissime servetur. Die 21 iisdem mense et anno.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secret.*

BREVIS ANIMADVERSIO

SUPER SEQUENTI DECRETO

1. Antiquissimi instituti fuit, et in Ecclesia Dei memoriam posteris tradere, et nomina fortium, qui, prae aliis, laboraverunt sicuti boni milites Christi, ac bonum certaverunt fidei certamen. Brevitatis studio, innumera silemus testimonia, quae facile adduci possent, et Martyrologium Romanum tantummodo memoriae revocamus lectorum nostrorum, ecclesiasticum illud inquam monumentum vere aere perennius, gestaque fortia virorum nunc caelicolarum atque virtutes indesinenter praedicans.

2. Nihilominus non eadem omnibus, quamquam caelituum sedibus receptis, et aequalia redduntur honoris signa. Canonizatis enim alii debentur honores a Beatificatis. Hinc, ait doctissimus Bellarminus (*Lib. I de Canonizatione Sanct. c. 7*), Canonizati proprium est: primo ut eius nomen inscribatur in Catalogo Sanctorum ac publice ob omnibus habeatur dicaturque Sanctus. Secundo, ut invocetur in publicis Ecclesiae precibus. Tertio, ut templa et arae in eius memoriam extruantur. Quarto, ut Officium et Missa de eo celebretur. Quinto, ut dies festus de eo instituatur. Sexto, ut pingatur cum lumine gloriae, quod vocant. Septimo, ut eius reliquiae in thecis ad venerationem recondantur, et in publicis piis supplicationibus deferantur: quinimo et velim

animadvertas, ipsum ritum solemniorem qui Canonizatis competit, iure iis qui Beati tantum sunt declarati ex communi lege denegari. Hinc duplex primae classis, iure communi inspecto Beatis non competit; cumque eiusmodi ritus sit Patronorum proprius, S. R. C. statuit pluries, Beatos in Patronos non posse eligi (Conf. Benedict. XIV *de Canonizat. Sanct.*). Minime vero haec omnia conveniunt Beatificatis, sed tantum quaedam et pro gratia, tum respectu cultus qui pro Beatis est tantum permissivus, tum respectu aliorum plurium quae superius innuimus. Ideoque subiungit Guyetus: Beatificationem esse Canonizationem minori apparatu celebratam verum non est, nisi addatur, esse item limitatam tam respectu cultus exhibendi, quam personarum et locorum a quibus exhiberi conceditur (*Heortolog. Lib. II c. XIX quaest. 11*).

3. Hisce tamen haud obstantibus nonnunquam evenit, ut ex benignitate Romanorum Pontificum, ad fidelium fovendam fidem pietatemque populorum, etiam Beatis nondum canonizatis nonnulla indulgeantur Canonizatorum propria. Ita verbi gratia Beatos quandoque reperimus ex expressa et particulari Summi Pontificis concessione in Patronos adscitos: quandoque etiam eorum reperimus indultam Missam et Officium *propria*, necnon et eorum encomia in Martyrologio Romano inserta, quae omnia, uti diximus nonnisi Sanctis de iure competunt. Huiusmodi autem novissimae Ecclesiae concessionis, insertionis nempe encomii Beatorum in Martyrologio Romano luculentissimum nobis praebet exemplum nuperrimum sequens S. R. Congregationis:

DECRETUM

Saeculo decimo sexto, quo lues teterrima in Ecclesiæ christianaeque societatis perniciem ex perversis Lutheri et Calvini doctrinis erupit, Deus, cuius providentia omnia fortiter et suaviter gubernantur, plures sanctimonia et doctrina viros insignes excitavit. Huic praestantium virorum agmini merito ac iure adcensendus est Beatus Ioannes Leonardi, qui in Ecclesia Dei, velut lucerna in caliginoso loco splendens, in admirationem sui omnium animos oculosque convertit. Annos nempe natus sex supra viginti, statim ac a Deo ad ponendum ecclesiasticae militiae tyrocinium vocatus fuit, curis saecularibus nuncium alacriter remisit. Ad sacerdotium ex obedientia promotus, mirum quantum in aeternam hominum salutem incubuit. Eius apostolico zelo non modo in Lucensi Republica, sed etiam Romae et in aliis Italiae Dioecesibus primaeva christianorum pietas revixit. Per ipsum namque pueris hominibusque rudibus praecepta religionis explicata, homines flagitiosi ad tramitem iustitiae ac salutis reducti, puellae periclitantes in tuto positae fuerunt, et conciones ac Sacramentorum frequentia ab ipso incrementum acceperunt. Quo autem evaganti vitiorum licentiae bellum, tamquam fortis miles, indiceret, et homi-

nes ad omne pietatis officium excitaret, religiosum Clericorum sodalitium instituit, quod a Matre Dei nuncupari voluit. Quamvis in illo regendo atque amplificando multis esset curis districtus, alios tamen labores excipere pro Dei gloria non recusavit. Quum enim explorata esset eius in negotiis obeundis dexteritas, non solum ab Episcopis, verum etiam a Summis Pontificibus Sixto V, Clemente VIII et Paulo V ad dirimendas dificillimi generis quaestiones, ad nonnullasque religiosas familias reformandas vocatus fuit, cui sibi commisso muneri mirum in modum satisfecit. Inter tot tantaque quibus detinebatur negotia, graviter angebatur secum animo reputans tam multas gentes remotis in regionibus, Evangelii luce carentes sedere in tenebris et umbra mortis. Qua de re, initis cum clarissimo Praesule, cui praenomen Vives, consiliis, alacri animo fundamenta iecit praeclari illius Instituti, quod Romanorum Pontificum impensis curisque amplificatum, proferendae per universum terrarum orbem Catholicae Fidei mirabiliter inservit. Iure itaque a Sancto Philippo Nerio verus populorum reformator dictus fuit, dignusque qui ab eodem passim Sanctus appellaretur. Miraculis post obitum a Deo eius sanctimonia illustrata, fel. rec. Pius Papa IX illum inter beatos Caelites die nona Iulii anno 1861 solemniter retulit. Hisce de causis Sacra de propaganda Fide Congregatio grati animi, peculiarisque venerationis testimonia

in tam praeclarissimum Virum pro re nata exhibere studuit. Nunc vero quum a Rm̃o P. Iosepho M.ª Flora Moderatore Generali et ab Alumnis Instituti Clericorum Regularium ab ipsomet Ioanne fundati supplices preces Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII porrectae fuerint, ut encomium ipsius Beati in Martyrologio Romano insereretur, quod Nonnisi Sanctis de iure competit, Sacrum idem consilium Fidei Propagandae hasce preces enixe commendare non dubitavit, ut Eius illustrior evaderet in Ecclesia memoria, qui tam impense ad eam per orbem amplificandam incubuit. Quocirca ab Em̃o et Rm̃o Dñ̃o Cardinali Camillo Mazzella huiusce Causae Relatore in Ordinario Sacrae Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, Elogium Martyrologio Romano inserendum pro opportuna approbatione propositum fuit. Em̃i porro et Rm̃i Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re maturo examine perpensa, rescribere rati sunt: *Supplicandum Sanctissimo pro gratia; et quoad Elogium approbandum, ad Ponentem cum Promotore Fidei*. Die 19 Decembris anno 1893.

Facta de iis Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua propositum Elogium a praefato Em̃o Ponente cum R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, ut sequitur, revisum et emen-

datum, approbavit et in Martyrologio Romano inscribi mandavit: *VI Idus Octobris. Romae, Beati Ioannis Leonardi Confessoris, Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium a Matre Dei, laboribus ac miraculis clari; cuius opera Missiones a Propaganda Fide institutae sunt.* Die 21 iisdem mense et anno.

Loco ✠ Sigilli

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

VINCENTIUS NUSSI S. R. C. *Secretarius*.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE ALMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

II.

Pluribus ab annis in Civitatibus pagisque dioecesis cuiusdam usu fit, ut fideles utriusque sexus non semel ipsis Clericis intermixti, accedant ad Sacram Synaxim recipiendam ad gradus altaris, imo non raro in ipso suppedaneo genua flectentes. Praeterquamquod loco linteoli eisdem exhibere solitum est, iam a viginti fere annis, patenam quamdam grandiorem confectam ex aurichalco deauratam, quae, expleta Communione a

Sacerdote abstergitur, deponiturque vel in ipso tabernaculo una cum sacra pyxide, vel in plano eiusdem tabernaculi inferiori; eo quod aliquoties illud constet duobus planis, superiore pro pyxide deponenda, et inferiore pro dicta patena; attamen idem ostiolum utrumque claudit. Huiusmodi autem patenam quandoque singuli fideles communicantes manu accipiunt, quandoque vero aedituus vel clericus cotta indutus communicantium mento supponit; deinde post communionem ad altare abstergendam defert, uti supra dictum est.

Quaeritur:

1. *Quo ritu exteriori olim fideles ad altare accedere soliti essent ad Sacramentum recipiendum Eucharistiae; et num hodie super hoc aliquid statuatur ex iure liturgico?*

2. *Quid dicendum de patena grandiori de qua in casu, et num abstersa vel abstergenda in tabernaculo, alterutro modo in casu exposito, reponi valeat?*

3. *Quid dicendum de consuetudinibus in casu propositis?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Gustavi Corradi ex alumnis Almi Collegii Capranicensis, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 4 Januarii 1893: acta Epitoma per R.mum Dom. Dom. Robertum Marcucci ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris.

I. Prima petitio inquirit, quo ritu exteriori olim fideles ad altare accedere soliti essent ad Sacramentum recipiendum Eucharistiae; et num hodie super hoc aliquid statuatur ex iure liturgico.

Quaesitum in duas dispescitur partes: prima antiquum respicit aevum, praesens altera. Ut primae sa-

tis faciamus, breviter quidem, ritus nobis exponendi veniunt sacram Communionem spectantes, quibus per saecula iam inde ab exordio Ecclesia usa est.

Apostolorum temporibus in Eucharistiae consecratione ac perceptione ritus imitari fideles studebant, quos Christus in eiusdem Sacramenti institutione adhibuit. Hinc agapes hisce sacris semper comitabantur actionibus, uti ex Epistola eruitur ad Corinthios, in qua S. Paulus fortiter agapum reprehendit abusus: " Convenientibus vobis in unum iam non est Dominicam coenam manducare. Unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis et confunditis eos qui non habent?..... (*Ep. 1, cap. XI, v. 20, 21, 22*) „.

Hinc etiam noctu lampadum luminibus praedictae sacrae peragebantur actiones, uti in Actibus legitur Apostolorum: " Una autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque ad mediam noctem. Erant autem lampades copiosae in coenaculo ubi eramus congregati (*C. XX, v. 7, 8*) „.

Verum et in ipso aevo apostolico epochas duas distinguamus oportet: primissimam, et in hac, unanimes eruditi conveniunt, nullo determinato ritu fideles usos fuisse pro Eucharistiae Sacramento: propinquiorem alteram, in qua peculiares iam aderant ritus, uti ex vetustis monimentis fas est colligere, praecipueque ex pretiosissimo opusculo nuper in lucem restituto, *De Doctrina duodecim Apostolorum* inscripto. Opus profecto non post saeculi primi medietatem exaratum, sicuti omnigenis contendunt argumentis probare eruditi, ideoque Actibus Apostolorum, necnon ceteris Novi Testamenti

libris antiquius. Bis in ipso de Eucharistia mentio fit, dum sermo instituitur de Synaxi die dominico, vel diebus ieiunii seu Stationis agenda.

Primum (*Cap. XIV*) dicitur: " Quolibet dominico die (Resurrectionis Domini dies) in unum congregati frangite panem, postquam confessi fueritis alterutrum peccata vestra, ut sacrificium vestrum mundum fiat. Si quis iratus fuerit fratri suo, vobis non admisceatur usque dum reconcilietur, ne sacrificium vestrum contaminatum evadat; etenim illud est (sacrificium vestrum) de quo ait Dominus; in omni loco et tempore sacrifica et offer nomini meo oblationem mundam, quia magnum est nomen meum in gentibus dicit Dominus „.

Secundo loco vero: " Pro Eucharistia gratias agite hoc modo: primum super calicem; Gratias agimus tibi, Pater noster; propter vineam sanctam Davidici germinis Filii tui, quem nobis revelasti per Iesum filium tuum: tibi gloria in saecula: Postea super fragmentum: Gratias agimus tibi, Pater noster, propter vitam et scientiam quam nobis per Iesum filium tuum revelasti: tibi gloria in saecula. Sicuti fragmentum hoc per montes antea dispertitum, unum factum est, congregatum; ita Ecclesia tua a finibus terrae congregata sit in regno tuo, tua enim est gloria et virtus per Iesum Christum in saecula. De Eucharistia vestra manducet nemo vel bibat nisi regeneratus in nomine Domini: etenim etiam de hoc ait Dominus: Nolite dare Sanctum canibus „. Preces postea sequuntur gratiarum actionis, et in fine dicitur: " Prophetas sinite quantum voluerint grates rependere (*C. IX, X*) „.

Nonnulla hic adnotanda veniunt. Imprimis cum certum sit ex innumerabilium fere scriptorum testimoniis, fractionem panis sive sacrificium nonnisi do-

minico die locum habuisse, manifestum est Eucharistiam in conventibus asservatam quoque fuisse; ne fideles Corpore et Sanguine pretiosissimo Iesu Christi privarentur. Ideoque concludere licebit, Eucharistiae distributionem tam intra quam extra Sacrificium pariter factam iam inde a medietate saeculi primi. Quamquam enim in primo ex locis citatis, apertis verbis communio minime nominetur, de facili tamen deduci potest et de ipsa mentionem fieri: 1° ex eo quod in confesso apud omnes est, communionem cum agape fuisse coniunctam, saltem aliqua vice, per integrum fere saeculum primum. Hoc autem haud de communione dici valet diebus ieiunii sumenda; cum ieiunio tunc finem non imponerent nisi absoluto conventu; de communione ergo Dominicae diei dicendum est: 2° ex testimonio sanctorum Patrum asserentium fideles de sacra mensa toties participare, quoties Sacrificio adstarent: 3°. tandem ex S. Iustino, qui in sua Apologia ad imperatorem Antoninum Pium, necnon ad eius filios Marcum Aurelium et Lucium Verum directa, de communione ista dominicali apertissimis verbis sermonem instituit (*Capitulo LXVII*).

Quamquam vero peculiares preces in citato opusculo pro dominicali communione haud reperiantur, credibile tamen est, easdem esse ac a " Doctrina „ assignatas pro diebus ieiunii. Eo magis quia preces illae haud quidem solius essent consilii, verum et praecepti, uti manifestum fit ex illis verbis: " Prophetas autem sinite quantum voluerint grates rependere „. Id est solis prophetis legem circa gratiarum actionem positam non esse, cum Spiritui Sancto, qui per os illorum loquitur, fandi modum praescribere nemo valeat: ceteris vero determinatis illis liturgicis precibus standum erat.

Et haec quidem ad dies quod spectat pro communione statutos, necnon et ad preces praescriptas et ad communionis coniunctionem cum agape: aliquid nunc de modo quo fideles sacrum Christi Corpus recipiebant.

Certum exploratumque haud est, utrum adstantibus conventui communionis distributio per ipsum fieret Celebrantem vel Diaconorum ministerio. Ex testimonio tamen Iustini asserentis (*loc. cit.*), a Diaconibus absentes communionem recipere, haud certe improbabilis dicenda sententia, ab iisdem Diaconibus et conventui praesentes eam accipere affirmans.

Ceterum in aprico est, manu tunc fidelibus datum fuisse Eucharistiam accipere et deinde tempore opportuno ipsa se cibari. Audi Tertullianum sic exprobrantem eos, qui precibus in fine Stationis dicendis interesse renuebant, ob incompossibilitatem gaudii sacrorum mysteriorum cum luctu Stationis: " Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit? An magis Deo obligat? Nonne solemnior erit Statio tua si et ad aram Dei steteris? *Accepto corpore Domini et reservato*, utrumque salvum est et participatio sacrificii et executio officii „.

Apertius tamen S. Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus hunc nobis ritum describit, dicens inter alia, laevam manum in Eucharistiae participatione supponendam dexterae, quae sacrum Christi Corpus recipiebat (*Catech. Myst. V, par. 18*).

Ad locum vero quod attinet sacris mysteriis peragendis destinatum, nihil invenitur, quod certitudine gaudeat, praeter ea quae ex Actibus Apostolorum deprompsimus et citavimus. Patres namque antiquiores nimis obscure loquuntur et de *ubicatione*, ut ita dicam, conventuum pro sacris mysteriis et de loci adiunctis seu

qualitatibus. Tandem relate ad tempus, quo sacra Eucharistia sumenda erat, sedulo distinguendi veniunt tres dies Stationis a Synaxi Dominicali.

Pro primis a Tertulliano, Montanista, docemur, ad nonam catholicos conventum dimisisse, ante hanc horam eapropter communio sumenda erat. En eius verba: " De ipsis prius expostulandum unde hanc formam nonam dirimendis Stationibus praescribant. Si quia Petrus et qui cum eo ad horam nonam orationis templum introgressi leguntur, quis mihi probabit illos ea die Statione functos, ut horam nonam ad clausulam et expunctionem Stationis interpretetur (*De Jeiun. X*) „?

Pro Synaxi vero Dominicae, innuimus, in initio ipsam noctu celebram fuisse. Ob gravissimos tamen abusus ex hoc more in posterum derivatos, iam sub fine saeculi primi ipsum abrogatum invenimus et agapes a communione separatas. Ita ut, Traiano imperante, (qui anno 98 solium ascendit) Plinius testare potuerit, christianos summo mane secum convenire ac iurare ne furta facerent, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent etc. Quibus peractis, subiungit, morem sibi discedendi fuisse etc., deinde serotino tempore agapem agere.

Quamquam vero Plinius ne verbum quidem de communione faciat in matutinis conventibus sumenda, nihilominus ex S. Iustini testimonio haud difficile ipsam et in illis locum habere deduci potest. Postquam enim res a Plinio enumeratas singulatim et ipse retulerit, expresse de ipsa mentionem facit; de iisdem ergo conventibus loquuntur. Plinius autem de communione silet vel ex eo quod ethnicorum oculis haud quidem res erat ut aliquid existimari posset; vel etiam ne a suo declinaret proposito, cum unice suum esset de

rebus enarrare, quae reipublicae statum sollicitare viderentur.

Ad viciniora postea tempora descendentes mos nobis se offert populo dicendi a Diacono ante Eucharistiae distributionem: " *Sancta Sanctis* „.

Mos iste universalis quidem quoad substantiam fuit: de ipso enim Tridentinum Concilium ait: " Diu in Ecclesia mos iste fuit ut Sacerdos ad populum conversus his verbis ad sacram mensam fideles invitaret: Venite, fratres, ad communionem „. Et cl. Sala in suis notis ad Emum Bona subiungit, de ipso etiam mentionem facere " antiquum ordinarium manuscriptum Ecclesiae Lugdunemsis, Athanacensis monasterii Missale, Ordinarium Cabillonense, Carnotense Sancti Ioannis, et Rituale S. Martini Turonensis atque Ambrosianum. Immo ipse Martenius subdit praedictam antiphonam incitatoriam ad communionem hactenus in Ecclesia Turonensi cantari (*Decr. Liturg. Lib. II capitulo XVII in nota I*). Pro diversitate tamen temporum vel Ecclesiarum quoad accidentia discrepabat. In Liturgiis namque S. Iacobi Diaconus aiebat: " Cum timore et fide et caritate accedite „: In Galliis vero hoc modo invitabantur fideles: " Venite populi ad sacrum immortale mysterium et libamen agendum, cum timore et fide accedamus. Manibus mundis poenitentiae munus communicemus, quoniam Agnus Dei propter nos Patri sacrificium propositum est, ipsum solum adoremus; ipsum glorificemus cum Angelis clamantes Alleluia „.

Insuper in Graeca Ecclesia nomen exigebatur communicantis si ignotus fuisset; praxis fortasse substituens tesseram, fidelibus antea conventuum aditum aperientem.

De " Confiteor „ autem ne verbum quidem antiqua faciunt monimenta, uti observat Gavantus: a fratribus mendicantibus videtur serius inductum (*Le Brun Tom. I, pag. 644*).

En vero ordo in communione servatus: post Celebrantem Episcopi, si aderant, Eucharistiam sumebant, post Episcopos Presbyteri ac Diaconi, et post hos ceteri de Clero in ordine dignitatis; populus tandem in duas partes distributus, virorum unam, mulierum alteram. Pretiosissimum Sanguinem per seipsos Presbyteri sumebant, Diaconi per Presbyteros, Diaconorum ceteri ministerio (*Vide Roman. Ordin. ac Graec. Eucholog.*).

Quoad locum Eucharistiae sumptioni destinatum: Celebrans in medio altaris Sacro Christi Corpore se reficiebat, Diaconi retro ipsum altare, Subdiaconi et Clerici presbyterii in limine, ceteri vero extra cancellos. Apud graecos tamen Imperatori intra presbyterii ambitum communionem recipere licebat, haud vero apud latinos: de Imperatore etenim Theodosio legitur, cum quadam die, graeco more, presbyterium ingrederetur communionis recipiendae caussa, statim ei obviam iisse S. Ambrosium dicentem: Purpura Imperatorem, haud vero Sacerdotem te facit.

Insuper in actu distributionis Sacerdos dicebat: " Corpus Christi „ sumens autem respondebat: " Amen „. Hic mos in omnibus viguit Ecclesiis: de ipso loquitur auctor Apostolicarum Constitutionum: " Episcopus tribuat oblationem dicens: Corpus Christi; et accipiens dicat: Amen. Diaconus vero tribuat calicem dicens: Sanguis Christi poculum salutis, et bibens dicat: Amen (*Lib. 8, c. 13*) „. Ipsum etiam memorat Cornelius Papa in epistola ad Faustum Antiochenum (*apud Euseb. Lib. 6, Hist. Eccl. c. 43*); S. Ambrosius

apertissimis verbis: " Dicit tibi Sacerdos: Corpus Christi, et tu dicis: Amen, idest verum (*de Sacram. Lib. 4, c. 5*); Tertullianus (*de Spect. c. 25*); S. Hieronymus (*Ep. 62 ad Theophilum Alexandr.*); S. Augustinus (*Lib. 12 contra Faust. c. 10*); S. Leo Magnus (*Serm. 6 de Jeiun. sept. mens.*) innumerique alii. At vero et mos iste non semper idem per omnes fuit Ecclesias quoad accidentales differentias, idem e contra semper et ubique quoad substantiam. Tempore S. Gregorii, teste Ioanne Diacono in suis Vitis (*lib. 2*), haec adhibebatur formula: " Corpus Domini Nostri Iesu Christi conservet animam tuam ". Alcuinus aliam refert formulam: " Corpus Domini Nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam "; Elgaldus in vita Roberti Galliarum regis dicit: " A dante Sacerdote dicitur: Corpus Domini Nostri Iesu Christi sit tibi salus animae et corporis ".

Hanc formulam dicens, Sacerdos non in ore, sicuti in praesentiarum, sed in manibus Eucharistiam fidelibus tradebat. Pauca seligimus testimonia; pro latina Ecclesia S. Ambrosium habemus, qui sic Theodosium arguit Imperatorem post caedes Thessalonicenses: " Quomodo manus extendes iniustae caedis sanguine adhuc stillantes? Quomodo huiusmodi manibus corpus Christi accipies? (*ap. Theodor. Lib. 5, Hist. Eccl. c. 17*) ". Similiter Ven^{lem}. Beda qui de quodam Monacho narrans, animam agente, ait: " Qua accepta (Eucharistia) in manu, interrogavit si omnes in se placidum animum haberent ", et S. Augustinum ac S. Cyprianum. Pro graeca vero Ecclesia en S. Basilius (*epistola 289 ad Caes. Patric.*) dicens: " Nam et in ipsa Ecclesia Sacerdos partem aliquam Eucharistiae in manu tradit, et illam apprehendit qui percipit cum omni libera potestate; atque ita suis propriis manibus eam-

dem ori suo admotam ingerit „. In nuda manu Eucharistiam recipiebant viri, mulieres e contra in manu linteo quodam cooperta, quod postea *Dominicale* nomen adscitum est (*Vid. Conc. Antisiod. c. 42*).

De huiusmodi enim consuetudine mentio fieri videtur in quodam sermone antea S. Augustino adscripto; cuius tamen auctor, iuxta cl. Sala Bonae adnotatorem, Caesarius est Aurelianensis Episcopus (*saec. VI-VII*). Verum in graeca Ecclesia usus cuiuscumque instrumenti in Eucharistiae perceptione illicitus erat " quia nulla res sensibilis ipso homine eiusque manu praestantior est (*Conc. Trull.*) „.

Ceterum et in latina Ecclesia mos recipiendi in manibus Eucharistiam tunc in desuetudinem abiit, iuxta Eñi Bonae opinionem, cum exclusive in azymo celebrari inceptum est; iuxta opinionem e contra cl. Sala eiusdem Eñi adnotatoris, multo antiquius. S. Gregorius enim de S. Agapito I dicit, primum ipsum morem induxisse in ore Eucharistiae recipiendae (*Dial. 9, Lib. 9, c. 3*). Et fere eodem tempore etiam apud Graecos mos iste invaluit, pro laicis inquam, uti ex testimonio colligitur S. Lucae thaumaturgi appellati.

Ex tunc mensulae quaedam in Eucharistiae distributione apud latinos inductae videntur, quae a sacris Ministris postea spongiis abstergebantur, ne fragmenta, si forte super ipsis cecidissent, disperderentur: Graeci vero linteo quodam mundo utebantur. Ceterum etiam super hoc negotio, si consuetudinis substantiam excipias, non uno eodemque modo se gerebant Ecclesiae. Et sane nec linteum nec mensulam monaci adhibebant, sed vas quoddam, *scutella* dictum.

Ita pariter ad quodcumque irreverentiae periculum omnino removendum, satis opportunum duxit Ecclesia, communionem sub duabus Speciebus prohi-

bere. Ubi vero istiusmodi periculum haud ita timendum erat v. g. apud Monachos, communio sub utraque specie adhuc perseveravit ad tempora usque Constantiensis Concilii, a quo districte omnibus laicis inhibita fuit. Distributione tandem perdurante, antiphona canebatur a choro, *Communio* liturgice appellata, psalmus deinde a quo antiphona excerpta erat, cum *Gloria Patri* et denuo antiphona. Quando autem antiphona a psalmis originem minime ducebat introiti psalmus canebatur post antiphonam. Testantur id Ordines Romani, imo, iuxta Emum Bona, aliquod exemplum et in Antiphonario S. Gregorii reperitur. Quam consuetudinem psalmos hymnosque canendi Armeni adhuc retinent.

Ad alteram quod attinet partem, praesens ius ac consuetudines hodie in Eucharistiae administratione vigentes spectantem, ne tempus teramus, nonnullas tantum dispositiones a S. R. Congregatione emanatas referre contenti simus. 1° Eucharistiae distributio bene et in Missis defunctorum fieri valet, imo et immediate ante et post ipsam Missam in paramentis nigris licite peragi potest, aliqua interveniente causa (*Decr. Gen. 27 Iun. 1868*). 2° In Missis solemnibus Minister, ratione ministerii, prae alis praecedentiam habet in Eucharistiae sumptione (*23 Maii 1835*). 3° Episcopus formulam in distributione dicendam immutare profecto non potest, praeterquamquod in S. Ordinatione (*12 Nov. 1831, 7 Maii, 1853*). 4° Sacrae particulae bene dividi possunt si adsit necessitas (*16 Martii 1833*). 5° Celebranti usu pontificalium non gaudenti, a Diacono pyxis sustinenda non est, sicuti nec a Subdiacono submittenda patena ori fidelium in distributione Eucharistiae (*13 Iunii 1671*). 6° Post versiculum *Panem de coelo* etc. numquam omittendi sunt

alii versiculi *Domine exaudi* etc. et *Dominus vobiscum* (*24 Sept. 1842*).

Haec sunt leges quae impraesenti ritum moderantur communionis. Ad locum quod attinet Eucharistiae distributioni destinatum, quamquam verae et explicitae leges non extent, firmum nihilominus omnibus destinatumque dici potest, non licere laicos presbyterium ingredi, vel ad altaris gradus accedere ubi presbyterium non invenitur, Eucharistiae sumendae gratia. Primo quia conformius id veteri disciplinae videtur super hoc negotio rigidissimae; quamque nullum decretum usque adhuc, quantum scimus, revocavit. Secundo vero quia conformius est menti Ecclesiae. Sacra enim R. Congregatio sciscitantibus utrum Feria V in Coena Domini communio distribui potuisset Magistratibus intra presbyterium, respondit: *Posse* (*27 Mart. 1836*). Sed manifestum est de exceptione unice agi. Denuo enim interrogata, utrum idem liceret tempore Iubilaei vel magni populi concursus ad removendos abusus, qui tunc facile suboriri possunt, respondit: Negative, sed sgabella hinc inde a cancellis disponenda esse (*26 Mart. 1859*).

II. Ad alterum quaesitum: Quid dicendum de patena grandiori de qua in casu, et num abstersa vel abstergenda in tabernaculo alterutro modo in casu exposito reponi valeat; respondemus, huiusmodi patenae usum haud improbandum, sicuti manifestum fit ex sequentibus decretis: " Patena inaurata loco mappae licite utuntur communicantes, dummodo diversa sit a patenis pro Missis, et ad hunc usum tantum destinata „. Similiter S. R. Congregatio exquisita: " An in ministranda fidelibus sacram communionem liceat loco tobalearum linearum uti tabellis ex metallo, vel huiusmodi usus tolerari possit in his Dioecesibus in quibus

fuit introductus, respondit: *Non esse interloquendum*. Nihilominus non esse improbandum usum tobalearum linearum (*20 Mart. 1875*) „.

In usu tamen eiusmodi patenae nonnulla observanda veniunt. Imprimis bene inauranda est ob reverentiam tanto Sacramento debitam: secundo non debet esse caelaturis circumornata, ut facilius abstergi valeat. Insuper, sicuti sapienter nonnulli docent auctores, optimum esset, si Sacerdos ipse suis manibus patenam ad altare deferret ad eam abstergendam; ceterum nullo praescribitur decreto, nullaque lege firmatur.

Tandem ad custodiam quod spectat istiusmodi patenae, dicimus imprimis acriter improbandos eos, qui eam super loricae septum fere continue relinquunt.

Attamen non conveniunt auctores super locum huius patenae proprium: quidam enim volunt ipsam super altare prope tabernaculum, quidam vero non, cum dicant, eiusmodi patenam relationem nullam dicere sacrosancto Missae sacrificio; ideoque super altare, unice Missae sacrificio destinatum, haud ponendam. Magis nobis arridet sententia cuiusdam *Manualis Visitationis Dioecesis* tenens: istam patenam in aliqua bursa custodiendam esse. Tandem, uti quisque probe intelligit, nullimode approbandos eos imo corripiendos, qui huiusmodi patenam intra tabernaculum reponunt: ipse namque liturgicus sensus dictat, nihil aliud in tabernaculo custodiendum quam vasa Sanctissimam Eucharistiam actu reserantia. Neque audiendi sunt qui asserunt id licitum esse, cum tabernaculum duplicem possidet contignationem; semper enim unicum esset ostiolum tabernaculi, et fideles decipi possent.

III. Ad tertium demum progredientes quaesitum, reponimus:

1. Permittendum non esse, ut laici ad gradus altaris accedant, multoque minus clericis intermixti, ad sacram communionem recipiendam, tum ob consuetudinem contrariam fere ubique vigentem, tum ut Ecclesiae menti respondeatur, tum etiam ut decentiae consulatur. Quod nihilominus intelligendum est extra casum necessitatis, uti per se facile quisque videt.

2. Usum patenae grandioris ex metallo improbandum non esse, dummodo omnes comprobentur conditiones supra enumeratae: et illa praecipue prohibens eiusdem asservationem in tabernaculo.

3. Etsi laude dignus sit usus deferendi ad altare patenam per ipsum Sacerdotem, non audemus tamen eos reprehendere, qui ad hoc inservientis ministerio utuntur.

EPHEMERIDES LITURGICAE

ET

LE CANONISTE CONTEMPORAIN

ANIMADVERSIONES

Parisiensis Ephemeris, cui titulus *Le Canoniste Contemporain* in duplici mensium Octobris et Novembris numero suos Consociatos docet de iis, quae super Insignibus Canonicorum honorariorum Lauretanae Ecclesiae propriis *Ephemerides* nostrae mense Septembri vulgarunt. Insuper duo Dubia liturgica discutit resolvitque; quorum primum respicit commemorationes agendas in Missa

solemniori de festo, cuius in sequentem Dominicam translata fuit solemnitas: alterius obiectum est IX lectio simplicis occurrentis in vigilia et praevigilia Pentecostes. Opportunum iudicamus aliquid pro veritate super singulis, quae Ephemeris dicta pertractat breviori, quantum possumus, calamo animadvertere.

1. *Ephemerides* iudicarunt, Canonicos honorarios Lauretanae Ecclesiae non posse uti tibialibus et focali violaceo extra dioecesim, in qua tali dignitate fruuntur, nisi in usu civili, haud vero in sacris functionibus: saltem nisi proprius Episcopus id permittat, uti ex toto contextu satis abunde evincitur. Ephemeris parisiensis notat, conclusionem hanc sub una tantum conditione esse posse aequam, nempe si probetur tibialia et focale, etiam in sacris adhibita, non esse *ornamenta mere civilia.* Nos reponimus, id demonstratum iam in Ephemeridibus fuisse cum dixerunt, illa esse ornamenta mere civilia, quae non adhibentur in sacris. Verum tibialia et focale in iisdem sacris adhibentur; ergo mere civilia non sunt. Scimus quidem subsumi posse, tibialia et focale esse indumenta necessaria, saltem ex usu, ut, sicut in civilibus, ita in sacris omitti nequeant; et hoc sensu mere fortasse civilia posse illa dici.

Sed respondemus distinguendo: sunt mere civilia pro presbyteris, *nigro colore inspecto*, transeat: sunt mere civilia, *violaceo colore* vel *rubeo inspecto*, negamus.

Haec proinde ornameta peculiaris coloris, nullo sunt pacto mere civilia ornamenta, sed mixta: ut iis solum ea competant, quibus concessa sunt, non omnibus. Consequenter a veritate alienum

credimus quod *Le Canoniste* animadvertit, ea nempe nullam habere significationem liturgicam, vel saltem id illi probandum. Hinc ipse Grimaldi, si focale admittit posse a Canonicis Lauretanae Ecclesiae ubicumque deferri, nullam facit pro tibialibus exceptionem. Sed allata momenta nobis probare videntur, neutrum ex his, Canonicis honorariis in casu permitti. Ceterum, si S. R. Congregationi huiusmodi iisdem ornamenta permittere velit, illius, et libenter, iudicio adhaerebimus; sed interim dignitati potius credimus Episcoporum locorum favere, quam Canonicis honorariis.

2. Secundo *Le Canoniste* notat, disputationem Ephemeridum non esse iis conformem, quae ad Canonicos quod attinet Lauretanae Ecclesiae, refert Grimaldi; neque privilegiis, quae apud eumdem auctorem in apposito folio recensentur, cuius exemplar ad novos mittitur Canonicos honorarios eiusdem Ecclesiae.

Sed mirum id apparere non debet, fine perpenso quem et Grimaldi et Ephemerides proposuerunt sibi. Ille enim privilegia omnia recenset, omniaque Insignia a Summis Pontificibus collata Canonicis Sacrosactae Cathedralis Basilicae Lauretanae. *Ephemerides* vere de Insignibus tantum loquuntur peculiaribus, quorum iure fruuntur Canonici honorarii praefatae Ecclesiae. Consequens ergo erat, ut plura ille diceret, quae omittere *Ephemerides* optimo iure poterant. Hinc utrum Canonici illius Ecclesiae honorarii, Familiares sint et Commensales Summi Pontificis, tacuimus, sicuti de Rochetto et de Cappa magna a Clemente VII concessa; quae Canonicis Basilicarum

omnium sunt communia. Quod si et de serica tela rubri coloris siluimus, quam ex indulto Benedicti XIII cappae superponere possunt verno et autumno tempore Lauretani Canonici, vix a nobis haec quaerenda ratio, cum opus nostrum confecerimus super quatuor nobis exhibitis tantum pontificiis Brevibus. Ceterum iam dicta facile compleas, si quod de recensitis Insignibus dictum est, et ad non recensita applices, par est enim omnium eorumdem ratio.

3. Quod nihilominus praestat magis, est Insignium usus qui magis late patet iuxta Grimaldi, quam secundum *Ephemerides*, notat *Le Canoniste.* Animadvertimus imprimis, generaliter thesim ab Ephemeridibus defensam cum principiis convenire, quae praefatus Grimaldi statuit. Hic enim dicit: « Si hic Canonicus (*Eccl. Lauret. honorar.*), titularis est alterius Cathedralis Ecclesiae, is nequit, quando se gerit uti huius Canonicus, Canonici Lauretani Insignia deferre. Contentus is esse debet proprii habitus canonicalis etc. » Ergo, re generaliter inspecta, Grimaldi et *Ephemerides* plane concordant. Verum in specie in duobus discrepant, nempe in cruce et in focali violaceo; cum ille dicat: « Is *(Canon. Lauret.)* deferre nihilominus poterit, id mihi videtur, *ce me semble,* crucem super cappam alterius Capituli, haec enim crux consideratur veluti decoratio. » Alibi ait: « Ita, excepta cruce, quam ubique deferre possunt, ii non debent extra Dioecesim Lauretanam, nec minimum ex Insignibus assumere. Focale violaceum tantummodo excipere ab hac prohibitione, ob specialem privatam declarationem Secretarii Capituli Lauretani. »

Item paulo post: « Canonicus Lauretanus deferre ubique potest focale violaceum, et crucem: « imo addit et usum rochetti supra superpelliceum. Haec quidem praefatus auctor, contra quae aliquid nobis liceat animadvertere. Quae Grimaldi docet, conformia esse debent iis, quae Brevia concessionis dicunt, non viceversa.

Iam nunc, primo in Breve Pii VII crux conceditur Lauretanis Canonicis *tam in choro*, *et intra Basilicam et civitatem Lauretanam, quam extra eas.* Ergone etiam extra Diocesim? Non credimus; secus Breve dixisset, *ubique*. Si dixisset tantum *tum in choro quam extra*, profecto sensus fuisset: *tam in functionibus choralibus quam in aliis extra chorum,* sed intelligi non potuisset: *extra Basilicam;* hinc et *intra Basilicam* Breve addidit. Si dixisset *intra et extra Basilicam,* obvius fuisset sensus, *intra Basilicam et in civitate,* non autem extra civitatem; hinc addidit quoque *intra civitatem.* Cum ergo Breve dicat *intra civitatem et extra,* hoc tantum significat: *in aliis civitatibus praeter Lauretum*, non tamen extra dioecesim: secus aperte dixisset in tota dioecesi et extra. Hic noster est sentiendi modus, quem Brevi conformem credimus; si enim ubicumque crucis delationem Canonicis Breve concesisset, citra dubium necessarium limitem praescripsisset Pontifex Pius VII, uti Leo XIII praescripsit in aliis, quae concessit Insignibus. Qui limes cum in Breve non extet, iure concludimus, aequum esse nostram haud diversam interpretationem.

Obiicies quidem, latiorem esse interpretationem, quam dederunt Brevibus pontificiis Canonici Lauretani, uti ex consuetudine constat: vi cuius

ipsi crucem ubique deferunt, atque ita fieri posse Canonicis honorariis scripto exhibent. Respondemus primo, factum non probare ius, sed ad summum supponere; at quid dicendum si hypothesis non subsistat? Iam nunc ita revera rem se habere, dictum est superius. Ceterum ipsa invecta consuetudo deferendi extra chorum et Basilicam Lauretanam crucem minoris formae (de qua nihil in Breve), rationabilem ingerit suspicionem, Canonicos Lauretanos de crucis concessae delatione quocumque pergerent satis fuisse incertos. Quod si dicas favores ampliandos, reponimus id negando, cum agatur de damno tertii: si scilicet extra quoque dioecesim Lauretanam, dictam possent Canonici deferre crucem, iura laederentur Episcoporum, quod Summum Pontificem Pium VII noluisse iure merito praesumendum. Ratio autem *decorationis*, quam Grimaldi exhibet, satis nobis speciosa apparet, cum de Insignibus agatur honorificis, quorum usus personis ecclesiasticis in liturgicis actibus conceditur: ceterum de Insignibus Brevia loquuntur, haud vero de decorationibus. Demum quidquid sit de inducta in Canonicis titularibus consuetudine, circa crucem ubique deferendam, si vera sit, utrum ea favere possit ac debeat etiam honorariis in dioecesi, in qua titulares Canonici ipsi sunt, Emi Patres iudicabunt: ad nos quod attinet, contrarium pro nunc, et iure sentimus.

Ad focale autem peculiariter quod spectat, Grimaldi postquam dixit, esse illud forte exceptum a prohibitione ut deferri possit extra Dioecesim Lauretanam (serait excepté), ob privatam quamdam declarationem Capituli Lauretani, sic

prosequitur; « Ceterum haec permissio, aut non data est (ou est refusée), aut data est integre et indistincte (ou est donnée entièrement et sans distinction). » Quam se exprimendi rationem, si attente perpendat parisiensis Ephemeris facile concludet, nimia incertitudine laborare, sicuti crucis ita focalis violacei usum extra Lauretanam Basilicam, saltem sine Episcopi loci facultate.

5. Alia praetermissa quaestione de commemorationibus contra cuius solutionem, quam exhibet parisiensis Ephemeris, quaedam animadverti possent, ad ultimam transimus, quae sic proponitur: Liturgici unanimiter, videtur, cum Rubricis Breviarii, docent in Vigilia Pentecostes legendam esse nonam lectionem festi simplicis vel ad instar semplicis redacti. At ecce novum opus « *Ordo perpetuus et generalis* (Romae 1891) supprimit absolute hanc lectionem. Neque id oblivioni tribuendum ex parte auctoris, sed studio factum est, ut quasi thesim diceres. Neque ille supprimit tantummodo lectionem historicam in Vigilia Pentecostes, sed etiam in Feria VI praecedenti. »

Iam nunc huic difficultati *Le Canoniste* satisfit, quin ullo pacto det operam illius veritati vel falsitati discernendae. Et mirabiliter cum inquirente convenit in contradicendo *Ordini perpetuo et Generali*. Momenta, quibus motus *Ordo perpetuus* nonam lectionem in Vigilia Pentecostes suppressit hic referre longius foret, ut hic ea silere necessarium iudicemus. At inquirimus, quo iure et inquirens asserere et Ephemeris Parisiensis concedere potuit nonam lectionem simplicis omissam quoque fuisse ab *Ordine Perpetuo* in Feria VI praecedenti? Num inquirens dictam

lectionem exigebat simplicis etiam quando simplex non aderat id est in tabula I, II, IV, V, VI? Hoc profecto aequum non est, at quando simplex revera occurrit in VI Feria, tunc revera *Ordo Perpetuus* nonam illius lectionem evidenter assignat. Lege Tabulam III et invenies Feria VI nonam lectionem SS. Gordiani et Epimachi Mm.: lege Tabulam VII et videbis in eadem Feria lectionem nonam S. Bonifacii M., et forte alias quoque Tabulas, quas nobis molestum est percurrere.

Haec dicta sint veritatis studio, atque etiam ut cum quaestiones proponuntur, antequam discutiantur ab Ephemeridibus bene perpendantur, maxime si aliis dedecori vertant.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Dioecesi. Baionensi.* **De Sacerdote, alio ab agente Vesperas, processionem post easdem faciente.** Processio SS. Sacramenti agenda post Completorium vel post Missam, a qua per aliquam Horam minorem vel plures separatur, potest ne fieri a Sacerdote, qui alius sit ab illo, qui Vesperas solemnes vel solemniorem Missam decantavit? Decretum 5809 *Viglevanen. ad VIII* (*non vero 5807* Delegationis Apostolicae Peruvianae, *quod unum tantum habet Dubium, uti ex errore. fert quaesitum*) id videtur prohibere.

Resp. Quantum capimus, affirmative. Ratio est, quia processio, quae nihil obstat, quominus a Missa separari per aliam ex Horis minoribus possit, non ita Missae coniungitur, ut eius sit veluti necessaria appendix, quam unus idemque Presbyter agere debeat, seu idem Celebrans. Hoc comprobatur in benedictione Candelarum, Cinerum, et Fontis, licet ante Missam fiant: comprobatur in Absolutione ad tumulum, quae statim post Missam persolvitur. At comprobari non potest, ut credimus, in processione Sacramenti, quando per aliquam ex minoribus Horis separatur a Missa, vel per Completorium a Vesperis, cum processio nullam ad Missam vel ad Vesperas relationem dicat. Est casus similis de Sacerdote, qui Sponsos coniungit, cum alius postea Missam facit: quid possit obstare horum separationi functionum non videmus; atque ita non intelligimus qua de causa alter Missam et alter processionem agere nequeat. Caeremoniale (*Lib. II, cap. XXXIII, n. 33*) loquitur quidem de eodem Sacerdote utramque functionem agente; sed supponit, processionem statim habere post Missam locum. At si, expleta Missa vel Vesperis, alia dicatur Hora minor, nullum videmus inconveniens, si processionem peragens, idem non sit Sacerdos, qui decantavit Missam aut Vesperas.

Decretum citatum videtur certe contrarium nostrae sentiendi rationi; sed fortasse ita revera non est. Namque illud supponit in Dubii expositione, alium a Celebrante Sacerdotem ius habere posse praefatam processionem peragendi. Dicitur enim: " ius deferendi SS. Sacramentum in processione ... spectat solummodo ad Celebrantem „. Hoc autem aequum iudicamus: adeo ut, si Celebrans iuri suo non cedat alteri (excipe superiorem se, uti mox dicemus), illud nulli

alii competat. Si vero ipse Celebrans nequeat, vel iusta de causa nolit, et alteri suum ius cedat, non est inconveniens, ut alius munere illius fungatur. Hoc sensum esse Decreti, ex responsione patet, quae dicit : " Negative, nisi sit Episcopus vel alia Dignitas ". Circa quam animadvertas, functiones quae a Missa celebranda vel celebrata nequeunt separari, et ab eodem Celebrante persolvendae sunt, uti benedictio Candelarum, Absolutio ad tumulum etc. hae, inquam functiones nullus potest Sacerdos peragere, nec ipsa Dignitas, nisi Missam ipsemet celebraverit vel celebraturus sit. Id potest solus Episcopus, et quidem Dioecesanus, uti in Decreto adhuc inedito, et nondum vulgato statuitur (*4 Iul. 1892 ad 2*). Nunc autem Decretum *Viglevanen.* supercitatum idem ius etiam Dignitati tribuit. Ergo, si negative Decretum respondet, hoc facit in gratiam tantum Celebrantis, ad ius illius servandum, non vero ut prohibeat alium Sacerdotem, nisi Episcopus sit vel Dignitas Celebrante superior, ab hac processione agenda, Celebrante assentiente. Hinc patet et ratio responsionis nostrae affirmativae, et quare eidem nequaquam opponatur Decretum *Viglevanen.*

Nota. Quando Benedictio cum SS. Sacramento ita sequitur Vesperas, ut Celebrans illam persoluturus sit postquam in sacrarium sit reversus ad pluviale induendum, color paramentorum tam Celebrantis quam ministrorum albus esse debet : ita Decreta plura.

II. *E Dioecesi Labacensi in Austria.* **De Missa conformi, vi Indulti, officio proprio pro Sacerdotibus Cong.nis Missionis, dup. I vel 2 cl. non occurrente in dioecesi.** Sacerdotes Congñis Missionis, ubique locorum degant, etiam in Imperio austriaco, verum ne est, posse, cum celebrant in Ecclesiis vel Oratoriis publi-

cis Filiarum Caritatis domibus adnexis, Missam conformare officio proprio, si dup. 1 vel 2 cl. in dioecesi non occurrat?

Resp. Affirmative, eiusmodi eis facta potestate a Summo Pontifice Leone XIII per peculiare Indultum d. d. 5 Mart. 1879, quod in particulari Calendario pro dictis alumnis legere est. Namque ibi dicitur: „ Nostri (*Sacerdotes*) quotidie vel fere quotidie Sacrum litantes in Ecclesiis vel publicis Oratoriis adnexis Domibus piarum feminarum, ex. gr. *Puellarum Caritatis*, legere possunt Missam officio nostro conformem, etsi alii Sacerdotes Missam ibidem celebrent suo calendario respondentem, exceptis tantum festis 1 vel 2 classis earumdem Ecclesiarum, vel Oratoriorum publicorum „. Ergo in omnibus festis duplicibus, seu maioribus seu minoribus, et reliquis inferioris ritus semper licebit praefatis Sacerdotibus Missam dictis in locis facere officio proprio conformem.

Quaestionem posuimus de iure, non de obligatione, ita faciendi. Quia Rmus Praepositus Gen. Congñis Missionis eiusmodi ius, seu licentiam, a S. R. Congñe petiit, obtinuitque, ob rationes in petitione expositas, quam ante oculos habemus. Ex quo tamen non sequitur, praefatos Presbyteros, in Missa proprio Calendario conformi recitanda ex solo semper iure agere; cum aliquando ad idem ex vera obligatione quoque teneantur, uti facile patet.

Inferes, sicuti licitum est semper dictis sacerdotibus Missam proprio Calendario conformem facere, quoties ritus in dioecesis Calendario recurrens est dupl. 2 cl. inferior; ita illicitum iisdem esse in duplicibus 1 et 2 classis proprium Calendarium in Missa celebranda sequi. Ratio patet, quia in primo casu adest permissio, in altero casu adest vetitum, cui limitatio

permissionis aequivalet. Res adeo plana est, ut uberiori discussione non egeat.

Quod autem diximus de hac Missa in Ecclesiis vel Oratoriis publicis adnexis domibus filiarum Caritatis, vel etiam aliarum Communitatum piarum foeminarum, pari intelligendum est ratione de Ecclesiis, quae licet nostrae non sint proprietates, nihilominus residentiis nostris sunt adnexae. In his enim Ecclesiis, etiam parochialibus, seu in Gallia seu alibi extantibus, praedicti sacerdotes Missionis *Missam privatam celebrare valent singulis diebus anni conformem officio respondenti Calendario Congñis propriae, exceptis tamen duplicibus 1 et 2 classis.* Ita permittente decreto S. R. Congñis d. d. 8 Maii anni 1879, secuti facultatem aliam, de qua superius, concedit Decretum eiusdem S. Tribunalis, d. d. 5 Martii eiusdem anni.

Inferes, praefata duo privilegia indubie valere pro omnibus sacerdotibus Congñis Missionis, ubicumque morentur, sive in Gallia, sive in Italia, sive in Imperio austriaco, sive alibi, et etiam in Missionibus exteris, cum petitio et responsio generalissimae sint et non particulares: dummodo in iisdem versentur dicti sacerdotes locorum adiunctis, de quibus supra. Etnim, cum Indulta perspicue loquantur, nullus dari potest dubitandi locus. Sunt ergo ad praefatum dubium responsio, et illationes deductae tanta certitudine praeditae, ut et possint, et etiam debeant, ratione inter eiusdem Congñis alumnos uniformitatis, in praxim omni securitate deduci.

III. *E Neapoli.* **De Diacono vices gerenti Sacerdotis in ministrando viatico.** Diaconus, deficiente Presbytero, et concurrente licentia Vicarii Apostolici, administrat in exteris Missionibus Viaticum infirmis; et ex Decreto *Tunquini Occidentalis* d. d. 4 Aug. 1870

ad 1. aspergit, dicit *Misereatur*, *Indulgentiam*, benedicit infirmum, etiam cum Sacramento etc. Nonne ergo hic Diaconus se gerit ut Presbyter, adeo ut reditus in Ecclesiam, si redeundum sit, cum Sacramento benedicere etiam populo debeat, aliaque omnia facere, uti Rituale praescribit?

Resp. Ita credimus, et affirmative reponimus. Negotium enim huiusmodi haud in se ipso considerandum, quod sonaret ordinis inversionem, et exercitium potestatis, qua non pollet Diaconus, sed tantum iudicari debet secundum peculiaria adiuncta rerum, quae necessitatem dicunt. Notum profecto est, Diaconum idem esse ac ministrum, ministrum quidem Sacerdotis, qui illo est satis longe superior, et cui proinde inservire seu ministrare debet. Ea autem facere, quae Sacerdotis sunt propria, uti in sacris ministeriis publicis Orationes dicere, aspergere peculiariter autem benedicere etc. non esset ministrare sed potestatem sacerdotalem exercere, quod Diaconus non debet. Hinc auctor Apostolicarum Constitutionum docet: " Diaconus non benedicit, neque dat benedictionem: accipit vero ab Episcopo et Presbytero (*Lib. 8 cap. 28*) „. Quod si Diacono competit Cerei paschalis benedictio, maxime animadverti potest Diaconum, si severius loquamur, Cereum istum proprie non benedicere, ubi ex toto contextu verborum et formularum, quas profert, abunde constat. Ceterum Missale Romanum functionem huiusmodi non tunc benedictionem Cerei appellat, quam *praeconium paschale*. Quidquid sit, Sacerdotis est benedicere, et publica exercere ministeria sacra, quae praeminentiam dicunt: Diaconi vero benedictionem a Presbytero accipere, non dare, et illa facere, quae subiectionem dicunt et dependentiam a Sacerdote.

Haec quidem negotio in se spectato, sed casus noster agit de peculiaribus rerum adiunctis, quae necessitatem important: ut S. R. C. concedat Diacono facultatem extraordinariam ea omnia pro administratione Viatici persolvendi, quae competerent soli Presbytero. Iam nunc administratio Viatici est actus vere liturgicus, cuius ritus describuntur in Rituali Romano. Si ergo huiusmodi actus Diacono ex lege permittitur, profecto ita est peragendus ut in ipsa lege praescribitur. Atqui Rituale post reditum cum Sacramento in Ecclesiam praeter Orationem benedictionem populo dandam exigit cum sacra pyxide; ergo...

Oppones, in domo infirmis non esse necessarium, ut Diaconus infirmum benedicat, potest enim signare seipsum seu manu ad *Indulgentiam*, seu cum sacra pyxide. Respondemus id esse ex arbitrio et nulli auctoritati inniti. Quod lex permittit, id facere Diaconus potest; atqui... ergo... Ceterum verba quae ad *Indulgentiam* proferuntur, actui qui persolvitur respondere debet, quod non comprobaretur, si Diaconus se loco infirmi signaret. Idem fere dicas de benedictione cum pyxide; etenim ille actus refertur ad alios a ministro, non vero ad seipsum, nisi indirecte. Praeterea eiusmodi actus super ministrum facti non vero super infirmum aut populum, velut illusorii apparerent, uti patet. Quod ergo in domo infirmi agit Diaconus, idem agere iure potest in Ecclesia, seu populo benedicere cum Sacramento. Et quod vi ordinis fieri non debet, ex necessitate, sic permittente lege, optime potest.

Nota. Clericus non in sacris, si ministret Celebranti in Missa, cum cantu, ea omnia facere potest, quae ordinis non sunt, non vero quae ad ordinem pertinent, uti calicem purificare. Hoc quidem cl. De Herdt admittit Decreto innixus *Baionen.* d. d. 25 Sept. 1875

ad 1; sed arbitramur eum haud recte interpretari Decretum, eo quia loquitur in genere de ministro, tacens num sit, vel non in sacris, aut id forte supponens. Quidquid sit nos autumamus Celebrantem, si minister in sacris non sit constitutus, debere a seipso calicem abstergere, et postea ministro cooperiendum tradere. Id factum vidimus pluries in nonnullis Ecclesiis, etiam ad solemniorem Missam, quando clericus vices subdiaconi agit. Ratio ipsa id suadet; etenim sine facultate speciali calicem interius contrectare nonnisi in sacris constituto licet. Nisi dicere velis, eo ipso quo clericus munere subdiaconi fungi permittitur, implicite hanc recipere potestatem. Sed, cum Celebrans calicem per se purificare maxima facilitate possit, non videmus necessitatem huiusmodi interpretationis. Ceterum dubia res est, et a solo competenti Tribunali definiri cum certitudine potest.

IV. *Ex Ostuno.* **De anniversario Consecr. Episcopi.** Quibus diebus Missa pro anniversario consecrationis Episcopi canenda, quomodo, canenda et quando impediatur?

Resp. 1. Legem Caeremonialis Episcop. conferentes cum decretis, in incertum laboramus. Adm. Rev. inquirentem exoramus, ut patienter expectet, donec omnis obscuritas declaretur. Hoc unum impraesenti certum damus, eam esse canendam semper, quando festum occurrens est semiduplex, uti de votivis accidit, quia Missa huiusmodi inter votivas recensenda est. Cum tamen haud privata sit, sed solemnis, num in dup. minori et maiori canenda, hic et nunc definire non possumus.

Resp. 2. Dicenda est; *a*) solemniter, seu cum ministris, si fieri possit; secus sine illis, sed semper in cantu: *b*) post Nonam, cum sit votiva: *c*) in para-

mentis albis, iuxta Caeremonialis legem: *d*) cum hymno angelico, symbolo, atque unica Oratione pro Episcopo, ut idem Caeremoniale praescribit: *e*) cum Praefatione de communi, nisi alia proprior dicenda sit.

Resp. 3. Impeditur certo diebus dup. 1 et 2 classis, in omnibus festis praeceptivis. Num etiam in dup. maiori et minori, dubium est, ut superius advertimus. Nota autem, anniversarium istud, si perpetuo impediatur, est transferendum in primam diem liberam: si per accidens tantum, omittendum. Si ergo anno insequenti cum festo Sacri Cordis Jesu occurrat, non est faciendum.

V. *E Sancto Severino in Piceno.* **De praescripto translationis festorum die.** Licetne, cum festum aliquod impeditur die sua, primam diem liberam praetergredi, et in aliam etiam liberam illud transferre?

Resp. Petitioni non discutibili responso fit satis; quod est: Negative. Calendarii autem redactor, qui ita se gerit, nisi ignorantia, vel inadvertentia excusetur, illicite operatur. Quod si certus evidensque sit error, nemo, qui illum uti talem agnoscit tenetur Calendarium sequi, sed legem, a qua Calendarium aberravit: saltem, nisi alia momenta graviora errorem sequi suadeant.

Nota 1. Argumentatio secundo loco exposita vim non habet. Quia, cum festa sive accidentaliter, sive perpetuo transferuntur, diei translatae vel assignatae affiguntur tamquam in propria. Consequenter inter ipsa et alia occurrentia festa nullum intercedit, ad diem quod attinet, discrimen. Si primaria erunt, manent eiusmodi: si secundaria, talia quoque remanent; et alia dies a propria non computatur in casu.

Nota. Quando titulus alicuius Ecclesiae est Deipara sub denominatione Annuntiationis, commemo-

ratio de titulo omittenda est in suffragiis, cum satis sit commemoratio communis, quae de Deipara in iisdem suffragiis dicenda est. Hoc certum est et discussioni non subiacet.

VI. *E Civitate N.* **De Missa in cappellis coemeterii.** In coemeteriis, ubi cappellae habentur, dummodo rite sint constructae, in iisque rite efformatum est altare, potest ne Missa celebrari?

Resp. Vehementer dubitavimus, an affirmative, an negative nobis praefato Dubio esset reponendum; neque locus et tempus hic sunt afferendi nostras dubitandi rationes. Sed vero, luce praebente nobis responsione S. Congregationis C. quam in appendice hoc numero inserta legere est, in negativum responsum abivimus. Sane cappellae, de quibus in casu, non sunt oratoria publica, cum conditiones in iure ad id requisitae desint; ergo eae considerandae sunt tamquam oratoria privata. Atqui Missam in oratoriis privatis facere non licet sine facultate Sedis Apostolicae uti plura decreta S. R. Congregationis declarant; ergo in cappellis coemeterii Missa celebrari *per se* non potest.

VII. *E Bononia.* **De duobus festis occurrentibus.** In quadam Communitate religiosa, Dominica 3 Octobris occurrunt perpetuo festum Puritatis B. M. V. et Dedicatio Ecclesiae Cathedralis eiusdem ritus: de quo faciendum festo, et quodnam transferendum?

Resp. 1. Certam nescimus normam pro dubio proposito resolvendo. Nam, etsi inter primarium et secundarium festum ponamus, ut par est, discrimen, inutilis est distinctio; quia ambo festa in casu secundaria certo sunt. Si perpendere velimus festi utriusque dignitatem, nihil proficimus; quia Puritas certo ad festum Virginis pertinet, sed utrum Dedicatio ad Domini festa pertineat, definire non possumus. Unum

autem magis particulare seu proprium, vix considerari potest; etenim Puritas Deiparae recolitur quia est in Calendario Communitatis, et Dedicatio Cathedralis quia Communitas in civitate episcopali moratur. Cum autem utrumque festum eiusdem sit ritus, vix legi innixi et argumentantes aliquid possumus pro solutione inferre.

Itaque en noster sentiendi modus. Iuxta votum Rm̃i Dom. Dom. Augustini Caprara Sanctae Fidei Promotoris, post quod percelebris controversia resoluta tandem fuit de primariis et secundariis festis, Rubrica tituli X, n. 6, ita est intelligenda, ut in paritate ritus illud festum sit recolendum cum plura occurrunt, quod dignius, seu solemnius, nempe maius, potius, celebrius, vel quod idem sonat, maioris est momenti. Atqui in casu maioris momenti est Dedicatio Cathedralis Ecclesiae, quam Puritas Deiparae Virginis, ergo... Maiorem non probamus sed declaramus; quia post admissam doctrinam de primariis et secundariis festis, certa est, ex eaque ineluctabile axioma liturgicum exurgit: Inter duo festa occurrentia praestantius praevalet. Hoc autem significat, festa liturgica consideranda esse, in paritate ritus, secundum peculiaria adiuncta, tam temporum, quam locorum, ipsorumque festorum; nempe secundum antiquitatem, celebritatem localem, et solemnitatem. Solemnitatem autem festi constituit quidem etiam personae dignitas, si detur, sed ante eam consideranda est ratio primarii aut secundarii, quae magis quam illa in festum influit, redditque magis vel minus solemne, plus vel minus dignum ipsum festum. Probandum ergo manet, his suppositis dignius esse Dedicationis Cathedralis Ecclesiae quam Puritatis Deiparae festum. 1. Festum Puritatis pertinet ad almam Virginem, Dedicatio vero,

saltem indirecte, est festum Domini: quod proinde magis quam illud videtur esse praestantius. 2. Puritatis festum nil proprii habet, nisi quatenus ad proprium pertinet Calendarium; sed Dedicatio Cathedralis Ecclesiae videtur esse proprior, quia ad Ecclesiam pertinet, ad quam etiam religiosae familiae in civitate Episcopali degentes quodammodo pertinent: secus quare ad eam recolendam illae adigantur non intelligitur. 3. Festum Puritatis nonnisi indultivum est, festum vero Dedicationis, quamvis Ecclesiae Cathedralis, pro Communitate religiosa est vere praeceptivum saltem ex Decretis. Ergo videtur praestantius esse Dedicatio Ecclesiae Cathedralis, quam Deiparae Puritas: ut consequenter de illa agendum sit, non de ista, si simul occurrant.

Quid autem, si ita res se habet, de Puritate agendum? Est ne perpetuo transferenda? Facilis responsio. Iuxta Decreta, si de accidentali ageretur translatione, hoc festum utpote Dominicae affixum, non foret transferendum, sed penitus omittendum. At hic agitur de repositione; ergo perpetuo transferatur, seu reponatur, non quidem in aliam Dominicam, quod sine indulto non licet, sed in primam diem liberam iuxta Rubricas. Haec quidem salvo meliori iudicio.

VIII. *E Provincia Ianuensi.* **De Oratione post Litanias lauretanas.** Post lauretanas Litanias semper ne dicenda Oratio *Concede nos*, vel cum alia eiusdem B. Virginis pro diversitate temporum vel festorum immutari potest?

Resp. Affirmative ad secundam partem: agitur enim de re ad functiones vere et stricte liturgicas non pertinente. Bene eapropter a loci consuetudinibus regulam potest sumere. Imo magis recto liturgico sensui consonum videtur, magisque Ecclesiae praxi conformius, Ora-

tiones pro festorum vel temporum opportunitate immutare.

Neque dicas in Appendice Ritualis Romani nonnisi unicam reperiri Orationem, nempe *Concede nos:* Rituale enim a particularibus abstrahit casibus, illamque in fine Litaniarum signat Orationem, quae semper et ubique dici valet.

IX. *Ex eodem loco.* **De genuflectendo vel non ad " Incarnatus " in Missa solemni, festo Annuntiationis translato.** Quum festum Annuntiationis B. Mariae V. transfertur, a Celebrante et Ministris in Missa solemni genuflectendum ne est ad " Incarnatus „ in die translationis festi?

Resp. Affirmative; Sacra enim R. Congregatio Caeremoniarum Magistris Cathedralis Panormitanae sciscitantibus: an quando dies Annunciationis B. M. V. incidit in Dominica Palmarum, vel Feria V in Coena Domini etc. ad illa verba Symboli " Et incarnatus est „ Sacerdos et Ministri debeant genuflectere prout usque adhuc fieri consuevit in dicta Ecclesia: an potius genuflectendum sit ea die, qua celebratur festum praedictum secundum ritum Ecclesiae transferendum, respondit: " Genuflectendum esse in die translationis (*Panormitana die 16 Iunii 1663*) „.

X. *Ex Ostuno.* **De quibusdam cantibus in Missis cantatis.** Permitti ne potest vel saltem tolerari consuetudo canendi tempore Missae cantatae, haud tamen conventualis, in honorem Beatae Virginis Mariae Litanias lauretanas vel alia his similia?

Resp. Negative. Namque plura decreta S. R. Congregationis, ac Brevia Pontificia satis nota sunt, quibus absolute et districte cantus, alii a praescriptis, in Missis cantatis prohibentur. Modulatio tantum in-

dulgetur alicuius motteti, Sacramenti proprii, post elevationem.

Multoque minus, uti patet, consuetudinem in casu tolerandam, si ad locum eiusmodi cantibus dandum, aliqua Missae pars ex lege canenda, sicuti Rev. Inquirens innuit quibusdam in locis fieri de " Pater noster „ vel de ultimis orationibus, omittenda esset. Hi essent abusus ac corruptelae ab Episcopis omni quo valent conatu, a templo Dei omnino eliminandae.

XI. *E Syracusis in Sicilia.* **De quadam concurrentia.** Concurrentibus secundis Vesperis S. Agathae V. M. dupl., et primis Vesperis Translationis S. Luciae V. M. eiusdem ritus, nonne Vesperae erunt de S. Agatha cum commemoratione festi secundarii S. Luciae, licet de festis agatur duplicis minoris ritus?

Resp. Ita plane, ex recentissimo decreto super primariis et secundariis festis. In ipso enim apertissime ratio primarii et secundarii etiam in festis duplicis minoris ritus consideratur.

XII. *E Cremona.* **De circulis in Missa non Episcopi.** Quidam Archipresbyter huius dioeceseos privilegio gaudet presbyteri assistentis quamquam privilegio Pontificalium praeditus non sit. Nunc ergo faciendus ne est ei circulus a Ministris in Missa solemni?

Resp. De quo circulo Rev. Inquirens loquatur nescimus. Revera Caeremoniale Episcoporum loquitur tantum de circulis a Canonicis proprio Episcopo faciendis. Imo ipsum Caeremoniale manifestissime docet: " (circulos) non fieri ante alium, quantumvis Episcopo superiorem, etiam Legatum de latere, aut eius Metropolitanum, *et multo minus ante inferiorem*, vel Suffraganeum vel alium Episcopum, *sed duntaxat ante ipsum proprium Episcopum* (*Lib. I, cap. XXI, n. 5*) „.

Insuper ipsa ratio dictat, proprio tantummodo Episcopo circulos faciendos. Circuli namque, ait Catalanus, denotant membrorum unionem cum suo capite, nempe Canonicorum cum proprio Episcopo, qui est ipsorum caput.

XIII. *Ex eodem loco*. **De oratione B. Mariae V. in novemdialibus functionibus.** In novemdialibus hic fieri solitis, in praeparationem festorum B. Mariae V. semper Oratio in fine recitata est festi propria. Nunc autem in quadam tabella ab episcopali Caeremoniario edita, loco Orationis festi propriae, in novemdiali exercitio pro festo Assumptionis oratio ponitur Vigiliae: quid dicendum?

Resp. Pluries diximus in huiusmodi extraliturgicis functionibus locorum consuetudines plurimum valere, sicuti, et multo magis, episcopales dispositiones. Episcoporum enim est huiusmodi moderari functiones.

XIV. *Ex Hybernia*. **De festo Dedicationis omnium Ecclesiarum bis vel non celebrando**. Hybernia celebrat ex Indulto Dedicationem omnium Ecclesiarum in una ex Dominicis Octobris. Communitas quaedam regularis in eadem Hybernia degens tenetur, item ex Indulto, celebrare anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum proprii Ordinis die fixo mensis Septembris: tam illius quam istius festi ritus est duplex primae classis cum octava. Quaeritur: Praefata communitas tenetur ne in Hybernia utrumque festum celebrare sub eodem ritu?

Resp. Negative. 1. Quando alicui communitati, sit natio, sit dioecesis, sit regularis Ordo, S. R. Congregatio indulget ut celebret anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum nationis, dioecesis, Ordinis etc. intelligit, unamquamque Ecclesiam anniversarium celebrare propriae Dedicationis, modo haec Ecclesia con-

secrata fuerit, secus Dedicatio celebranda est Ecclesiae potioris eiusdem communitatis, uti per se patet. Adeo ut eiusdem Ecclesiae Dedicationis anniversarium bis celebrari absolute nequeat. Haec omnino certa sunt, cum S. R. Congregatio pluries id declaraverit, peculiariter in una Congregationis SSmi Redemptoris, quo edicit: " non posse denuo propriae particularis Ecclesiae Dedicationis Officium persolvere, quod intelligitur comprehensum, et celebratum, quando in Ordine ex speciali Indulto Festum celebratur omnium Ecclesiarum consecratarum (*3 Apr. 1821 ad 5*) ".

Nunc autem quaerimus: Ordo regularis in casu, cum celebrat anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum insulae Hybernicae, celebratne unaquaeque Ecclesia eiusdem Ordinis anniversarium suae Dedicationis? Ex dictis et ex doctrina S. Tribunalis Rituum responsio esse debet citra controversiam affirmativa. Sed vero cum celebrat idem regularis Ordo anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum suarum, nonne unaquaeque Ecclesia celebrat etiam anniversarium Dedicationis suae? Affirmativa responsio undequaque patet, et a fortiori quam superius. Ergo eiusdem Ecclesiae, si a praefato Ordine utrumque festum celebrandum esset, bis celebraretur in anno Dedicatio: quod a Ritibus est absonum et a doctrina Sacrae Congregationis alienum. Quid itaque concludendum? Satis ne erit ut praefatus regularis Ordo anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum suarum vel omnium Ecclesiarum Hyberniae celebret inferiori ritu, puta duplici secundae classis cum vel sine octava? Non credimus; semper enim duplicis anniversarii celebratio idem prae se fert incommodum. Ceterum conveniret omnino ut potius inferiori ritu celebraretur anniversarium Dedicationis Ecclesiarum Hyberniae, quam Ecclesiarum Ordinis,

uti quisque per se intelligit. Iam vero utrumque anniversarium praeceptivum videtur, et quidem die statuta celebrandum. Rebus sic se habentibus, modus rei componendae iuxta nostram sentiendi rationem, esset sequens: dies fixa pro celebrando anniversario Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis pro communitate in Hybernia degente, commutetur in eamdem diem mobilem, in qua celebrat Hybernia anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum suarum. Verum id fieri non potest auctoritate privata; ac proinde dicta communitas regularis Sacrum Tribunal Rituum adeat, gravissimum inconveniens exponat, nodusque summa facilitate solvetur.

APPENDIX

—

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

I.

PLATIEN.

Dubii oratorii.

Die 20 Ianuarii 1894.

Ut EE. PP. ea qua pollent iuris peritia, quaestioni ab Episcopo Platiensi propositae benigne responsum dare valeant, eiusdem Antistis epistolium integrum hic inserere censui:

En itaque eius verba: « Ioseph Accaroli et familia e municipio Mazzarinio, e mea dioecesi, cum erexissent in eiusdem loci coemeterio ad suum sepulcrum oratorium quoddam, me rogave-

runt ut permitterem in eo missam celebrari. Eadem petitio mihi facta est ab aliis; illi vero non credidi prospicere, tum quia mihi visa sunt haec oratoria aliquibus conditionibus oratorii publici carere, tum quia generaliter coemeteria, in quibus eriguntur, ob praesentes leges vel ob negligentiam municipiorum non sunt constructa cum debitis divisionibus et in forma a s. canonibus praescripta, et in eis humantur catholici, acatholici et impoenitentes.

Nihilominus interesse habentes vehementer obsistunt; eoque magis quia alibi, uti affirmant, etiam praeclarissimis in locis, in oratoriis, quae sepulturis gentilitiis sunt adnexa, Missae celebrantur.

Quapropter existimavi mihi recurrendum esse ad bonitatem E. V. R.^{mae}

1.° Ut meae menti lumen praebeatur, an possit tamquam publicum haberi oratorium erectum in quodam coemeterio, cum hoc habeatur ut locus publico inserviens: et in casu affirmativo an sine alia inquisitione exceptis praescriptis in ritu altaris an possit permitti celebratio Missae.

2.° In casu negativo, si pro gratia possit hoc a S. Pontifice obtineri, commendo benignitati V. E. R. Oratores, ut contenti fiant in eorum pio desiderio: quaeso etiam ut id concedatur per rescriptum ad vitandas ingentes expensas Brevis Apostolici.

Episcopis a Concilio Tridentino *Sess. 22 in decr. de celebrat. miss.* ademptam fuisse facultatem concedendi in privatis oratoriis missae sacrificium peragendi, ne minimum quidem dubium esse potest, praesertim post declarationem ab hoc S. Ordine redditam, et iussu s. m. Pauli V die 10 Martii 1615 omnibus Episcopis per encyclicas litteras communicatam, qua solemniter firmatum fuit soli Beatissimo Romano Pontifici huiusmodi facultatem esse reservatam. Attamen, oratoria, de quibus est quaestio, sub hoc decreto non comprehendi viderentur. Sane signum principale quo oratorium publicum a privato dignoscitur in eo positum est, quod illud habere debet ianuam apertam in via omnium usui patenti, et a privatorum hominum dominio exempta, ita ut liber semper sit ad illud accessus. Ita clarissimus Ferrari in in sua *Bibl. promp. ad verb. Orator. num. 101;* et Monacelli ait: « Oratoria « publica, idest quae sunt de licentia Episcopi erecta in loco pu-

« blico, a privatis domibus ita separata, ut per eas ad illa iri « minime possit nec fenestrae in domibus sint, per quas in ora- « torium prospectus habeatur; liberque accessus e via publica « cunctis pateat, capax et decenter ornatum existat, neque ali- « quid eorum, quae ad sacrum faciendum necessaria sunt deside- « retur, ut olim praescripsit S. EE. RR. C. *in Cincimbrien. 1* « *Iulii 1616;* » *Formul. t. 2, n. 32*, et E. D'Annibale publicum censet oratorium, cui ianua publicae adiacet viae, *Sum. Th. Mor. Pars III, num. 5;* Gattius *De Orat. Dom. Cap. XI, num. 2;* De Bonis *De Orat. Pub. num. 236;* etsi sit ianua privata affixa domui alicuius saecularis. S. Alphonsus De Ligorio *Theol. Mor. lib. 6, num. 357;* cum Viva, Croix, Diana, etc.

Quae iuris requisita verificari videntur in oratoriis in coemeteriis erectis. Ista enim sunt loca publica; et nemini ingressus interdicitur. Quin obiicere valeat in quibusdam horis coemeteria claudi auctoritatis publicae iussu. Nam S. C. C. in Compsana *diei 8 Augusti 1705*, cum Episcopus existimaret non convenire nec licere quod atrium palatii baronis Castri Novi, in quo ianua oratorii iam antea a S. H. C. die 31 Maii 1704 publici contra ipsius interdictum declarati, patebat, pro libito claudi posset, discusso dubio: *An aperiendum sit ostium Capellae in via publica, vel potius removendae sint valvae impedientes ingressum in atrium*, responsum prodiit: *Negative.*

At ex adverso recolendum est quod ut oratorium aliquod publicum dici possit, omnino requiritur quod illius aditus liber et publicus sit, et S. O., ut adamussim haec conditio semper servetur, in more est praescribere, ut aream ante oratoria, in palatii privati extructa, in commodum publicum cedere teneantur possessores, ceu videre est in *Savonen. 28 Iulii 1724;* in *Nitrien. 12 Februarii 1725;* in *Nullius diei 13 Ianuarii 1626* etc. At in themate contrarium evenire videtur, cum coemeteriorum ingressus minime liber sit et semper prohiberi possit ab Auctoritate municipali.

Praeterea si capellae istae oratoria publica declararentur grave exinde spirituale detrimentum fidelibus iuribusque parochialibus obveniret, qui audiendo sacrum diebus festis in orato-

riis huiuscemodi frequentissimis carerent verbo Dei et catechismo, ignorarent vigilias et festivitates de praecepto etc., uti late ponderant card. Petra *ad Constit. Apostolicae Paschalis II tom. 1, n. 69;* et Monacelli *in formul. tom. 2 pag. 52 n. 42.*

Neque aspernenda putarem quae Revm̃us Praesul in suis litteris habet: — ibi — « Tum quia generaliter coemeteria, in quibus eriguntur (haec oratoria), ob praesentes leges vel ob negligentiam municipiorum, non sunt constructa cum debitis divisionibus et in forma a s. canonibus praescripta, et in eis humantur catholici, acatholici et impoenitentes.

Me non latet ex huiusmodi sepulturis oratoria minime *canonice* polluta manere, quia hoc in *can.* 27 *De consecr. dist. 1* non legitur, et sumus in materia mere positiva, nihilominus *moraliter*, ut ita dicam, polluuntur, et horror in piorum animo excitatur.

Tandem commemorare oportet in Urbe consuetudinem vigere concedendi a SS. Pontifice facultatem multis limitationibus coarctatam, missas celebrandi in capellis in coemeterio existentibus, minime vero pro publicis oratoriis habentur; sicque omnia incommoda et abusus impediuntur, et religioni ac pietati fidelium consulitur.

Quae cum ita sint, oratoria in themate viderentur esse privata; attamen iudicabunt EE. PP. quatenus et quomodo Rm̃o Episcopo Platiensi respondendum sit.

Quare etc.

R. Ad primum Negative in omnibus — ad secundum consulendum SSm̃o favore Iosephi Accaroli eiusque familiae ut ad triennium, constito de decentia Oratorii ad tramites Sacrorum Canonum, indultum concedat pro sacri celebratione in anniversario defunctorum familiae tantum, dummodo non cadat in die festo de praecepto, et per Breve.

II.

FIRMANA.

POSTULATUM CIRCA RESIGNATIONEM BENEFICIORUM.

Die 20 Ianuarii 1894.

In relatione status Ecclesiae Firmanae exhibita H. S. C. sub die 19 Decembris, an. 1892, sequens habetur, capite IX, primum Postulatum.

« Ex Constitutione Gregorii XIII, *Humano vix iudicio* prae» scribitur quod resignationes beneficiorum (quae fiant in Ordi» nariorum manibus) intra tres menses publicatio fieri debeat » modo et forma in eadem Constitutione praestita, nempe tum » in Ecclesia Cathedrali, tum in Ecclesia Beneficii, *dum frequens* » *populus ad missarum solemnia convenerit.* Finis huius prae» scriptionis ceu notant Canonistae, est ut auferantur fraudes et » gravia incommoda vitentur quae ex occultis beneficiorum resi» gnationibus oriri possunt; et praesertim ne resignantes rema» neant in beneficiis exercentes actus iurisdictionis invalidos vel » fructus indebite percipientes.

« Iamvero dubium exoritur an huiusmodi publicatio, eo modo » peracta quem sub *nullitatis poena* citata Constitutio praescri» bit, necessaria sit etiam in beneficiorum parochialium provisio» ne, quorum resignatio et collatio, saltem in mea Archidioecesi, » satis evulgatur et publica fit, quin servetur ille modus supra » expressus, imo forsan multo melius et efficacius, quam in Con» stitutione Gregoriana statuitur, evulgatur.

« Vacante namque parochiali Ecclesia, etiam per renuncia» tionem, fit concursus nedum mediante expeditione edictorum » quae affiguntur ad valvas tum Ecclesiae metropolitanae tum » ecclesiae vacantis, sed ope literae encyclicae typis editae ad » omnia oppida Archidioeceseos mittendae, in qua vacatio eccle» siae et causa vacationis exprimitur. Expedita autem infra men» sem, a renunciationis acceptatae die computandum, Bulla novae

» provisionis, haec quando neoparochus possessionem adipiscitur » publice legenda est a Cancellario in Ecclesia antequam ritus » possessionis compleatur. Et quoniam nunc gubernium differt ad » plures menses *regium placet*, facile accidit ut haec neoparochi » possessio nedum ad tres sed ad sex menses differatur. Stante i- » gitur hac evulgatione, finis Constitutionis Gregorianae certo » obtinetur, licet non servetur adamussim modus in ipsa statu- » tus.

« Quod si publicatio foret intra Missarum solemnia in Me- » tropolitana (ad quam utpote haud commodi accessus paucissimi » conveniunt), publicatio solis fere deserviret Capitularibus. — » Verum cum de validitate collationis ecclesiarum agatur, cumque » clausulae Gregorianae Constitutionis severissimae sint, peto hu- » militer ab EE. VV. an exposita praxis retineri possit; et qua- » tenus modus publicationibus a Gregorio praescriptus etiam pro » beneficiis parochialibus *sub nullitatis poena* taxative servandus » sit, ac ideo invalidae dicendae sint collationes hactenus factae, » et quatenus ita sit, oro obtestorque EE. VV. ut dignentur » easdem sanare. »

Ut pro meo munere in quaestionis meritum aliqua hinc inde Vobis, EE. PP. referam, haec animadversione digna videntur. Romanorum Pontificum maxima semper fuit sollicitudo circa beneficiorum resignationes ne redolerent haereditariam successionem neve alias quam plurimas tegerent simoniacas fraudes. In specie quoad beneficiorum resignationem ex Regula 35 Cancellariae, ex S. Pii V Constitutione — *Sanctissimus* — ac praecipue ex const. Gregorii XIII — *Humano vix iudicio* — nonis Ianuarii 1583, solemniter confirmata a Benedicto XIV const. — *Ecclesiastica* — 15 Iunii 1746; statuitur ut beneficii resignati collatio non fiat sine solemni publicatione, sub poena nullitatis.

Gregorius XIII in Constitutione cit. determinavit in specie modum publicationis a Regula Cancellariae et a divo Pio V generatim praescriptum; et statuit quod ipsa publicatio in Cathedrali et in Beneficii Ecclesia vel ecclesiis, si in pluribus illud sit, fiat ubique, dum frequens populus ad Missarum solemnia convenerit. Quod si ecclesia est ruralis, praeter publicationem

in Cathedrali fiat eadem in parochiali intra cuius limites consistit. Dicta publicatio debet fieri palam omnibus Litteras Apostolicas exhibendo, claraque et intelligibili voce pronunciando resignationem seu cessionem huiusmodi ac beneficii qualitatem et invocationem, nominaque et cognomina resignantis seu cedentis ac illius in cuius favorem gratia huiusmodi facta est. Suam dispositionem Pontifex hisce sanctionibus munit: « Caeterum modus et forma hic tradita semper et ubique debeat observari, nec alia vel aequipollens ullo modo admitti in omnibus huiusmodi resignationibus, cessionibus et retrocessionibus de quibuscumque Ecclesiis..... Quod si quicquam praedictorum omnium omissum fuerit, dictis terminis, ut cuicumque praescripti sunt, elapsis, omnes dispositiones et gratiae resignatorum et cessorum beneficiorum ac iurium huiusmodi, cum omnibus inde secutis sive de pacificis sive de litigiosis, sint irritae et inanes, nullaque alia gratia super huiusmodi beneficio sive iuris cessio, iis quibus concessa fuerit, suffragetur, sed ipsi tales inhabiles et incapaces sint ad huiusmodi beneficia sic resignata et cessa, quandocumque obtinenda, illaque sive iura ab ipsa statim prima resignatione vel cessione etiam si illae, alias nullae et invalidae essent vacavisse et vacare censeantur eo ipso, nec resignantibus seu cedentibus si postea in sua possessione remaneant, constitutiones de annali et triennali possessore, nec praesumptae aut tacitae retrocessiones, etiam propter diuturnam continuatae possessionis huiusmodi tolerantiam nec omnino aliud ius vel beneficium ullo tempore suffragetur, sed ipsa beneficia sive iura sic a principio vacantia a Sede Apostolica praedicta dumtaxat impetrari valeant et concedi. »

In propositam quaestionem animadvertendum est, ex citata Bulla decretorie excludi publicationem *aequipollentem* in qua confidebat postulans Ordinarius, nam Pontifex ait, non admitti, praeter a se constitutam, aliam formam publicationis *aequipollentem* Caeterum ipse scopus Gregorii XIII in cit. Const. fuit determinandi ad speciem modum publicationis quem sui praedecessores indeterminatum reliquerant. Unde consequitur taxative ad *validitatem* servandam esse formam ab hoc Pontifice ordinatam. Innumerae extant S. R. Rotae decisiones hoc confirmantes.

Nec potest recurri ad praescriptionem saltem ordinariam pro beneficiis resignatis absque praescriptis solemnitatibus collatis, quia Pontifex nominatim aufert beneficium regulae Cancellariae, annalis et triennalis possessionis.

Ultimum perfugium esset, probare Pontificis Bullam in certa provincia non fuisse promulgatam vel saltem extitisse contraria consuetudine abrogatam. At utrumque perfugium videtur prohibere Parisius Flaminius, qui celebres exaravit commentarios in hanc Bullam Greg. XIII in suo tractatu « De resignatione Beneficiorum » probans in lib. II, quaest 9, hanc legem Romae promulgatam fuisse ea intentione ut iuxta stylum Curiae promulgata legitime haberetur pro universo orbe. Ait etiam non posse dici usu non receptam quia contrarium constat ubicumque rigorose servari ut argumentatur sub num. 26 dic. q.

Verum Reiffenstuel *tit. 9, lib. I* cum Garcias de Beneficiis, *Part. IV, cap. 3, n. 289* notat Gregorianam constitutionem quoad huiusmodi publicationes non esse ubique usu receptam: item asserit Schmalzgrueber, *tit. 9, lib. I*, et cl. Santi in eod. tit. hanc opinionem non reiicit. Quamobrem in casu particulari oportet apertis probationibus demonstrare Gregorii XIII constitutionem in desuetudinem abiisse. Aliunde non posset omnino improbari talis consuetudo quasi corruptela iuris, praesertim moderno tempore, ob immutatas conditiones.

In casu, quamvis, nisi contraria probetur consuetudo, debeat dici, invalidas extare et nullas huiusmodi beneficiorum collationes, tamen forsan posset recurri pro nonnullis collationibus ad sanationem praescriptionis *extraordinariae;* nam Pontifex sollummodo exclusit *ordinariam annalem* et *triennalem praescriptionem* ex regulis Cancellariae et extraordinaria iuris remedia et beneficia non censentur oblata nisi expresse excludantur, eo magis quando nonnulla ordinaria taxative exclusa sint. Unde uti refert Flaminius Parisius in l. cit. *quast. 6, n. 76, seq.* S. Rotae decisiones excludentes beneficium praescriptionis ad sanandas collationes beneficiorum resignatorum non legitima praemissa publicatione loquuntur de ordinaria praescriptione.

Quia quaestio est de lege irritante puto opportunum referre haec verba Emi D'Annibale *Summ. Theol. Moral. P. prima, Proleg., Tract. III, Cap. II, De legibus in specie n. 213*, ubi loquens de forma et solemnitatibus actuum in legibus irritantibus haec habet: « Porro haec omnia sunt introducta ad fraudes apprime removendas, et leges huiusmodi fraudis praesumptione nituntur. Quaestio igitur, ni fallor, haec est, utra sit haec praesumptio; facti an periculi; nam plures (quasi facti), si fraus revera defuit ratum putant quod actum est; plures alii (quasi periculi) irritum semper. Sententia utraque gravis: quocirca alii possessori favendum putant quoad iudex fori exterioris sententiam dixerit: et iure prorsus. » Sententia declaratoria in casu non solum a iudice lata non est sed est maxime dubia ob praeiudiciales quaestiones dissolvendas, nempe an decurrerit extraordinaria praescriptio et an de facto in Dioecesi, de qua agitur, sit contraria consuetudine abrogata lex irritans. Quamobrem maxime possessoribus favendum est.

Quoad illam Episcopi incidentem quaestionem, nempe nunc adamussim Greg. XIII constitutionem servari non posse iubentem, citra montes, intra tres menses a die provisionis computandos beneficii possessionem capiendam esse, quia gubernium ad plures menses differt *regium placet*: facili negotio resolutio videtur repetenda ab illo principio « legitime impeditis tempus non currit » quod principium etiam huic materiae applicari diserte probat Flaminius Parisius l. cit. *quaest. 13.*

Quopropter ab aequitate et prudentia EE. VV. videtur sperare posse Episcopus quoad praeteritum sanationem saltem ad cautelam huiusmodi factarum collationum; quoad futurum executurus Gregorii XIII sapientissimam constitutionem, dummodo illi non costet de contraria legitima consuetudine.

Quare etc.

R. Pro gratia sanationis iuxta petita quoad praeteritum facto verbo cum SSmo ad cautelam, quod vero ad futurum servetur rescriptum Constitutionis « Humano vix iudicio ».

III.

CASTRIMARIS.

POSTULAM QUOAD BAPTISMI ADMINISTRATIONEM.

Die *20 Ianuarii 1894.*

Episcopus Castrimaris in relatione suae Ecclesiae S. C. transmissa, haec habet in cap. *De Postulatis*:

Inveni insuper in mea Dioecesi consuetudinem, Neapoli etiam vigentem, pueros domi baptizandi cum omnibus ritibus in Ecclesia peragendis, interdum ob sufficientes rationes, interdum etiam ob dignitatem tantum familiarum. Ego autem consilio habito cum Curato cathedralis ecclesiae, consuetudinem ad normam Ritualis Romani revocavi, baptismum domi tunc tantum indulgens, cum periculum mortis infantis immineat, sine tamen ritibus, qui in ecclesia complendi sunt. Attamen haec agendi ratio aegre fertur, ob contrariam consuetudinem, maxime ab iis qui ex urbe Neapoli veniunt, existimoque ritus omissos in baptismo domi collato haud postea in Ecclesia compleri. Quid ergo agendum?

Ut aliquid pro recepto more breviter utrinque animadvertam praestat in primis recolere quod *ex Extravagante Clement. unic. h. t.* prohibetur ne baptismus in aulis vel cameris, aut aliis privatis domibus conferatur, sub poenis ab Episcopo indicendis, sed in Ecclesiis, in quibus sunt fontes ad id specialiter deputati; quod vetitum manet etiamsi ibidem baptizati postea ad sacrum fontem afferantur, ut consuetae ceremoniae ac ritus in ecclesiis celebrentur. Tantummodo in hoc exceptio duplex est, nempe primo quoad liberos Regum et magnorum principum, quibus, si isti petant, potest conferri baptismus in eorum domibus, nempe in capellis eorum vel oratoriis aqua tamen de more benedicta. Altera exceptio est si infantes absque periculo ad ecclesiam deferri nequeant, quod periculum a Glossa huius cap. explicatur nedum respectu baptizandorum, quando nempe sunt in mortis

articulo, quam respectu eorum, qui illos deferre deberent ad ecclesiam. Ritual. Rom. *De Bapt. cap. 8*, § *3;* D'Annibale *Sum. Th. mor. lib.* 3, *num. 137 etc.;* De Angelis *Prael. Iur. can. lib. 3, tit 42 n. 3.*

At vero in themate, si attendantur ea quae Episcopus retulit, haud rationes adessent, quae taxative ad veniam indulgendam ex iuris dispositione requiruntur. Re sane vera non de necessitate, cui iam a Rmo Praesule provisum est, sed de commoditate tantum agi videretur. Neque familiae nobilitatem ad ius derogandum sufficere opinarer, cum iuxta Glossam in *dict. Clement.*, ac veriorem Doctorum sententiam, nomine Principum non veniant nisi Principes potentes, qui regibus aequiparantur. Riganti in *Reg. Cancell. 42*, *n. 117;* Suarez *Dist. 31*, *sect. 2;* Rituale Roman. *loc. cit.;* S. Alph. De Ligorio *Theol. mor. lib. 6*, *num. 118.*

Praeterquamquod Clemen. et Rit. Rom. extra Ecclesiam Regum aut magnorum Principum filios baptizare indulget, dummodo tamen id fiat in eorum capellis seu oratoriis; quae oratoria saepe saepius in casibus quos Castrimaris Ordinarius proponit, profecto deessent; proindeque in his adiunctis verendum est ne debitum divinis rebus obsequium praestetur; et, quod gravius est, ne ansa praebeatur, ut in posterum quaelibet familia baptismum in suis aedibus fieri praesumat.

Tandem commemorandum etiam videtur populi fidem, devotionem quam maxime excitare ac augere nobilium baptismata in ecclesiis pompose administrata.

Attamen ex adverso perpendendum est in dioecesi Castrimaris consuetudinem invaluisse a Praesule facultatem indulgendi baptismum domi administrandi. Neminem autem latet consuetudini tantam vim ex utriusque iuris censura inesse, ut scriptae legi aequiparetur. *Textus in leg. sine script. Instit. tit. de iur. nat. et gent.* Peretius in *Comment. Instit. ad dict. leg.* Voet in *Comment. ad Pandect. tit. 1 num. 30; et lib. 3 De praescript. in 6.* Hinc mirum haud est doctores unanimi consensu tradidisse, quod consuetudo praesumere facit titulum de mundo meliorem, supponit privilegium, Apostolicum beneplacitum etiam in actibus ecclesiae praeiudicium divinique cultus decrementum inferentibus

ut post Urbanum VIII in *Constitut. Romanus Pontifex* docet Barbosa *De pot. Episcopor. all. 25, n. 72;* Rota in *Romana Oblationum, 25 Ianuarii 1725 § 5;* S. C. C. in *Avenionem. Capellaniae 16 Sept. 1780.*

Neque huiuscemodi consuetudo in dioecesi Castrimaris abroganda videretur, dummodo pro subiectae materiae gravitate eas induat conditiones tum ratione aliorum adiunctorum necessarias in huiusmodi casibus. Siquidem hisce funestis temporibus, fide deficiente, damnum bono spirituali puerorum obvenire posset, prout si eorum baptismus nimis procrastinaretur; cui accedit etiam, attenta praesertim locorum adiacentium consuetudine, contemptus Praesulis iussorum periculum.

Utrum vero ex his causis expediat legem dispensare, quae in tutelam decoris baptismi sacramento debite instituta est. EE. PP. statuant.

Quare etc.

R. Servetur Rituale Romanum; salvis exceptionibus quas ex rationalibus causis Episcopus concedere pro suo prudenti arbitrio censuerit.

MONITUM.

Cum nec tempus nec spatium suppetant authenticum documentum referendi super revocatione Decreti *Cadurcen.* d. d. 4 Aug. 1893, satis sit pro nunc Ven. Consociatos nostros monere, dicto Decreto, cuius obiectum respicit necessitatem, ob quam mulier permittitur Celebranti respondere, omnem vim esse ademptam ex auctoritate S. R. Congñis.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1894.

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIA.

Illud est proprium humanarum institutionum et legum ut nihil in eis sit tam bonum atque utile, quod vel consuetudo non mutet, vel tempora non invertant, vel mores non corrumpant. Sic in militanti Ecclesia Dei, in qua cum absoluta ac perpetua immutabilitate doctrina varietas disciplinae coniungitur, non raro evenit ut, quae olim iure meritoque in honore et in pretio habebantur, aliquando obsolescant, et quae bona in instituto erant, ea labens aetas faciat deteriora. Sub prima Ecclesiae exordia, cum sensus Christi in hominum mente arctius insidebat, Episcopos, quibus summa rerum gerendarum commissa erat, delectos Sacerdotes sibi socios addidisse memoriae traditum est, quorum consilio et ministerio in gravioribus Ecclesiae negotiis uterentur. Hi Sacerdotes, Assessores et quasi Episcopi Senatus, Canonici dicti sunt, ex eo quia in observandis regulis Ecclesiasticis cautiores et diligentiores erat ceteris, et eam vitam vivebant, ut mensuram nominis implerent. Quamobrem pro certo habendum est ad conservandam Ecclesiasticam disciplinam, Canonicorum dignitates ab initio fuisse constitutas ita, ut qui eas obtineret, id haberet oneris, ut opera et officiis adiuvaret Episcopum, et in iis quae perti-

nent ad cultum et ad mores, sese tamquam exemplar clericis inferioribus impertiret. At temporibus nostris nonnulli sunt, qui pristinae institutionis immemores, Canonicorum collegia tamquam honoratorum ordines esse autumant, in quibus nullum onus, sed dignitatis tantum et honoris tituli inhaereant. Ex quo fit ut, cum humanum sit onus defugere, honores et dignitates appetere, non parvus sit numerus eorum, qui studeant, saltem honoris causa, inter Canonicos cooptari. Multae quidem ac plenae querelarum datae sunt ad nos litterae ab Episcopis, qui aegre ferunt honoribus et dignitatibus inhiare eos, qui sacerdotio aucti deberent « aemulari charismata meliora, terrena despicere, et nonnisi in Cruce Domini Nostri Iesu Christi gloriari ». Sacerdotes autem huiusmodi, plerique iuniores, qui parum vel nihil in Ecclesiae bonum contulerunt, tamquam tirones gloriosi veteranorum insignia atque ornamenta virtutis praemia appetentes externos circumeunt Antistites, ut ab iis honoris insignia titulosque, a suis negatos, extorqueant. Nos, qui dignitatis insignibus eos potissimum honestandos censuimus Sacrorum administros, qui pietatis et doctrinae laudibus ceteros antecellunt, deque re christiana egregie sunt meriti, hanc super rem admonitiones Apostolicas atque instructiones, nominatim die decimo sexto mensis Septembris anno MDCCCLXXXIV per Sacram Congregationem Tridentini Concilii interpretem ac vindicem dedimus. Quum vero hisce diebus complures Sacrorum Antistites gravius conquesti sint

eiusmodi honores, qui merentibus praemio, ceteris incitamento virtutis esse debent, non raro ipsis Ordinariis insciis, atque interdum haud dignioribus conferri, Nos quo in posterum quilibet in tali re abusus auferatur, rogata Sacrorum Rituum Congregationis sententia, suprema Auctoritate Nostra statuimus, decrevimus: I. Episcopus seu Ordinarius ecclesiasticum quempiam virum alienae dioeceseos Canonicum ad honorem nominaturus praeter Capituli sui consensum, Ordinarii, cui nominandus subiicitur, notitiam et votum obtineat, eumdemque Ordinarium insignia edoceat ac privilegia, quorum usus nominando tribueretur. II. Canonici ad honorem extra dioecesim in qua nominati sunt, degentes, numero sint tertia parte minores cunctis Canonicis a Pontificiis Constitutionibus respectivae Basilicae, sive Ecclesiae Metropolitanae aut Cathedrali, vel Collegiatae adsignatis. III. Canonici ad honorem alicuius minoris Basilicae, vel Ecclesiae Collegiatae almae Urbis nominati, privilegiis et insignibus uti possunt tantum intra respectivae Basilicae vel Collegiatae, eiusque Filialium Ecclesiarum ambitum, ubi Canonici de numero iisdem fruuntur. Qui vero alicuius Metropolitanae vel Cathedralis aut Collegiatae Ecclesiae, seu Basilicae minoris extra Urbem Canonici sunt ad honorem, privilegiis et insignibus tantum utantur in dioecesi ubi nominati sunt, nullo modo extra illius territorium. IV. Haec omnia serventur quoque a Canonicis ad honorem usque ad hanc diem nominatis. Ita volumus, edi-

cimus, decernentes has litteras Nostras firmas sartasque, uti sunt, ita in posterum permanere: irritum vero et inane futurum decernentes si quid super his a quoquam contigerit attentari: non obstantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, et quibusvis specialibus vel generalibus Apostolicis Constitutionibus ac Privilegiis, gratiis et indultis, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, et Litteras Apostolicis sub quibuscumque tenoribus ac formis, et cum quibusvis clausulis et decretis quibusvis Capitulis, Collegiis ac etiam peculiaribus personis quacumque ecclesiastica dignitate pollentibus, quocumque tempore etiam per Nos concessis, nec non quibusvis consuetudinibus, etiam immemorabilibus, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse de Apostolicae potestatis plenitudine derogando, ac derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium quomodolibet facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI Ianuarii MDCCCXCIV. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

M. Card. RAMPOLLA.

S. RITUUM CONGREGATIO

DECRETUM.

De Beata Virgine Genitrice Dei Maria, quae a Sanctis Patribus, *Aeterni Consilii opus et Consiliatrix Universalis* salutatur, ea ab Ecclesia praedicata sunt, quae in Sacris Scripturis de divina Sapientia leguntur: *Meum est consilium; Ego habito in consilio et eruditis intersum cogitationibus*. Inde titulus ortum habuit quo ipsa Caeli Regina a fidelibus christianis iam ab antiquis temporibus donata est, *Mater Boni Consilii*. Qui mos Beatam Dei Genitricem appellandi ac venerandi Genestani potissimum invaluit ex ea tempestate, cum quatuor abhinc saeculis, sedente Paulo II. Summo Pontifice, speciosa Icon Beatissimae Matris ibidem mirabiliter apparuit. Quin et Pia Unio sub tali vocabulo a Moderatoribus Ecclesiae Ordinis Eremitarum Sancti Augustini inibi existentis, de Prioris Generalis Ordinis ipsius consensu, instituta est, quam Benedictus XIV. approbavit et confirmavit, atque inviolabili Apostolicae firmitatis patrocinio munivit, ipseque ac alii Summi Pontifices indulgentiis ditaverunt. His autem temporibus nostris, populorum christianorum necessitatibus urgentibus, mirum quantum huiusmodi cultus ceperit incrementi. Unde factum est ut Christifideles desiderium patefece-

rint signum aliquod seu Scapulare gestandi a Beata Virgine de Bono Consilio nuncupatum, quo sibi uberius ipsam Bonorum Consiliorum Matrem demereri valeant. Quocirca R. P. Fr. Aurelius Martinelli, Moderator Generalis praefatae Piae Unionis, ab Apostolica Sede humillimis precibus efflagitavit, ut singulis pro tempore Directoribus uniuscuiusque sedis tribueretur facultas benedicendi atque utriusque sexus Fidelibus imponendi Scapulare in honorem Almae Dei Parentis sub enunciato titulo *de Bono Consilio*. Quibus precibus ab Eñio et Rñio Dño Vincentio Vannutelli, Causae Ponente, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum habito relatis, Eñi et Rñi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature perpensa, atque audito R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Supplicandum Sanctissimo pro concessione Scapularis iuxta schema a Sacra Congregatione approbandum et penes eam adservandum favore Ordinis Eremitarum Sancti Augustini; cum facultate subdelegandi et cum Indulgentiis ab eodem Sanctissimo Domino Nostro impetrandis: quoad formulam vero benedictionis et impositionis eiusdem Scapularis, ad Eñum Ponentem cum Promotore Fidei*. Die 19 Decembris anni 1893.

Facta postmodum de iis per me infrascriptum Cardinalem, Sacrae eidem Congregationi Praefectum, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII. relatione, Sanctitas Sua, in tot tantisque

rerum ac temporum pertubationibus auxilium enixe implorans a Sanctissima Dei Genitrice, exhibitum Scapulare eiusque formulam, ab eodem Emo Ponente una cum praedicto Sanctae Fidei Promotore revisam et emendatam, approbavit iuxta mentem Sacrae ipsius Congregationis, simulque facultatem illud benedicendi atque imponendi Patribus Ordinis Eremitarum S. Augustini cum expetitis Indulgentiis, et cum facultate subdelegandi benigne concessit. Die 21 iisdem mense et anno.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.
Vincentius Nussi *Secretarius.*

Loco ✠ Sigilli

FORMULA

BENEDICENDI ATQUE IMPONENDI

SCAPULARE * BEATAE MARIAE VIRGINIS A BONO CONSILIO

Suscepturus Scapulare genuflectit, ac Sacerdos stola alba indutus dicit:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.

---

* Scapulare istud conficiatur ex binis de more partibus laneis albi coloris simul coniunctis per duplicem chordulam, seu vittam, Altera pars habeat superimpositam imaginem impressam in serica vel simili materie Imaginem B. Mariae, quae colitur in Sanctuario Genestani cum verbis inscriptis: MATER BONI CONSILII. Pars vero altera referat applicitum stemma pontificale, videlicet trinam coronam cum clavibus et verba inscripta latine seu vernacule: *Fili acquiesce consiliis eius* (Leo XIII).

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Iesu Christe, qui Magni Consilii Angelus et Admirabilis Consiliarius hominibus per Incarnationem tuam adfuisti: hoc Scapulare Beatae Mariae, Matris tuae a Bono Consilio bene ✠ dicere digneris, ut haec insignia gestantes per gratiam tuam recta consilia secuti bonis perfrui mereantur aeternis: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Postea aspergit Scapulare aqua benedicta, atque illud imponens dicit:

Accipe, Frater, (*vel* Soror) haec insignia Beatae Mariae Virginis, Matris Boni Consilii; ut, ea inspirante, quae Deo placita sunt digne semper perficias, et cum electis suis consociari merearis Per Christum Dominum Nostrum.

℟. Amen.

Tunc prosequitur:

℣. Ora pro nobis, Mater Boni Consilii.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Deus, qui Genitricem dilecti Filii tui Matrem nobis dedisti, eiusque speciosam imaginem mira

apparitione clarificare dignatus es: concede, quaesumus; ut eiusdem monitis iugiter inhaerentes, secundum cor tuum vivere, et ad caelestem patriam feliciter pervenire valeamus. Per eumdem Christum Dominum Nostrum.

℟. Amen.

ELENCHUS INDULGENTIARUM.

Plenariae.

Plenariam omnium admissorum Indulgentiam utriusque sexus Christifideles lucrari queunt, Animabus quoque in Purgatorio igne detentis applicabilem, in sequentibus diebus, dummodo rite Confessi, et ad Sacram Synaxim accesserint:

1. Die, qua B. M. V. Boni Consilii Matris Scapulare suscipiant, vel Dominica, aut in aliquo Festo eam immediate sequenti.

2. Die 26 Aprilis, vel aliqua infra Octavam festi B. M. V. Boni Consilii Matris.

3. In articulo mortis, dummodo rite Confessi et Sanctissima Eucharistia refecti corde saltem, si nequeant ore, Sanctissimum Iesu nomen invocaverint.

4. In festis Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, et Assumptionis B. M. V. itemque in festo S. Augustini Episcopi Confessoris Ecclesiaeque Doctoris.

Partiales.

1. Indulgentiam septem annorum ac totidem Quadragenarum, pari modo Animabus piaculari

igne cruciatis applicabilem, consequi possunt Fideles utriusque sexus in festis Praesentationis et Visitationis B. M. V.; dummodo corde contrito Ecclesiam, vel publicum Oratorium inviserint, ibique aliquod temporis spatium iuxta mentem Summi Pontificis pias ad Deum preces fuderint.

2. Centum dierum indulgentiam quoties corde vel ore, Deiparae Virginis Consilium invocaverint.

3. Item Indulgentiam Centum dierum quoties corde contrito, et pro conversione peccatorum bonum aliquod opus exegerint.

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, referente me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, suprascriptam benedictionis formulam ab Emo ac Rmo Domino Cardinali Vincentio Vannutelli, Causae Relatore, una cum R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore revisam et emendatam approbavit, simulque expetitas Indulgentias, in superiori elencho adnotatas, Fidelibus Scapulare gestantibus in honorem B. M. V. Boni Consilii Matris, benigne impertiri dignatus est, iuxta eiusdem Sacrae Congregationis Decretum diei 19 Decembris 1893. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 21, iisdem mense et anno.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

Loco ✠ Sigilli.

VINCENTIUS NUSSI S. R. C. *Secretarius*.

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*V. N. 9. anni 1893*)

(*Contin. Tit. VII. n. 1*).

(177) *Et idem servetur de Octavis nondum absolutis, quando supervenit Festum Pentecostes, et dies XVII Decembris.* Festum Pentecostes solemnissimum est, aequiparaturque diei sancto Paschatis; hinc est propterea, quod S. M. Ecclesia, ab eo amovet quamcumque octavam, quae alicubi occurrere possit, ne ex commemoratum octavae, minuatur tanta solemnitas. Iuxta Gavantione (*hoc loco n. 8*) " in postrema recognitione Breviarii, (scilicet in recognitione sub Urbano VIII), actum est de excludendis octavis ab Adventu, sicut a Quadragesima, sed illud saltem congruere visum est eas excludi a die 17 decembris ". Certe tempus quoque Adventus omnino sacrum et venerabile censetur, ac quodammodo tempori Quadragesimae aequiparatur, vultque Ecclesia, ne in utroque Canonici chorum deserant. Attamen nos putamus Urbanum VIII ab Adventu non abstulisse octavas, eo quod officia ferialia Adventus non habent proprias nisi antiphonas ad *Benedictus* et *Magnificat*, dum officia ferialia Quadragesimae habent insuper Missam propriam, cum lectionibus super Evangelio, et Orationes ad laudes et Vesperas. Quapropter, omnibus apparet ratio ob quam diversimode lex circa octavas applicata sit in casu. A Quadragesima bene octavae arceantur, ne eius officia propria facilius et frequentius impediantur, in

Adventu vero admittuntur, quia octavae parum auferunt ab officiis ferialibus Adventus.

Quando vero advenit dies XVII Decembris, in quibus, licet non habeantur lectiones super Evangelio nec Missae propriae, nihilominus habentur antiphonae propriae ad Laudes, et Antiphonae maiores *O*.

Item congruentius Octavae, quae in Breviario non inscribuntur, arcentur a Nativitate Domini usque ad Epiphaniam: primo quidem, quia iam omnes dies proprium habent officium, ideoque de octavis nihil aliud fieri posset nisi commemoratio: secundo autem, quia tunc temporis, Ecclesia in celebrandis octavis, uti ait Cavalerius (*c. 19, n. 13*) satis est occupata, unde ulterius gravanda non erat. Haec Rubrica clarius explicatur ab alia, quae invenitur post Tabellam occurrentiae:

De aliis octavis quae non sunt in Kalendario, nihil fit a Feria IV Cinerum usque ad dominicam in Albis, et a Vigilia Pentecostes usque ad Festum SS. Trinitatis inclusive, et a die 17 Decembris usque ad Epiphaniam.

Inferes ergo, quod, iis in locis, in quibus Octava aliqua abrumpenda est, superveniente Feria IV Cinerum, diebus sequentibus, quibus forsan agebatur de die infra Octavam, si in eis non occurrat aliquod festum duplex, vel semiduplex, officium fiet de feria, aut votivum iuxta generale hodiernum indultum.

Inferes item, quod cum Rubrica doceat non fieri de octavis a die 17 decembris *usque ad Epiphaniam*, sequitur, quod ubi Patronus vel litulus Ecclesiae occurat infra octavam Epiphaniae, huiusmodi festa celebrari debent cum propria octava, terminus enim cessationis octavarum in casu est festum Epiphaniae.

Quid igitur faciendum, si octava, vel festum habens octavam tempore prohibito occurrat?

Breviter respondemus cum de Herdt (*p. 4, n. 242*):

" 1° Si festum celebratum fuerit ante feriam IV Cinerum, vigiliam Pentecostes, aut diem 17 Decembris, adveniente illo tempore prohibito, nihil amplius fit de octava, nec commemoratio, si autem unus aut plures dies intercedant inter festum et tempus prohibitum, in illo aut illis officium aut commemoratio de octava, ut alias fieri debet ".

" 2° Si festum celebretur tempore, quo octavae prohibentur, sine octava celebrandum est; et quamvis tempore prohibito transacto v. gr. post diem Epiphaniae, ubi S. Silvester est patronus, aliqui dies supersint, in quibus octavae permittuntur, nihil tamen in illis amplius de octava fieri posse videtur, quia Rubricae hoc titulo generaliter videntur denegare octavas illis festis, quae tempore prohibito celebrantur ".

" 3° Si festum tempore quo octavae prohibentur, non celebretur, sed post illud transferatur, uti infra octavas Paschae et Pentecostes fieri debet; tunc si festum post totam suam octavam transferri contingat, illo anno celebratur sine octava; si autem unus aut plures dies octavae post festum celebratum supersint, in illo aut illis ut alias fit officium vel commemoratio octavae ".

TEXTUS

N. 2.

In Pascha Resurrectionis et Pentecostes officium octavae terminatur in Sabbato sequenti ad Nonam. (178).

(178)... *terminatur in Sabbato sequenti ad Nonam.* Hoc certe censemus statutum fuisse, eo quod utraque solemnitas Paschatis et Pentecostes non incipiunt a primis Vesperis, sed a Missa Vigiliae earum. Hinc octavae harum solemnitatum, desinunt ad illam partem officii, in qua festum coeptum est.

TEXTUS.

N. 3.

Infra Octavas fit de festis duplicibus et semiduplicibus occurrentibus (179), ac etiam de duplicibus translatis (180), de quibus dicetur infra Tit. X, de Translatione festorum, cum commemoratione Octavae (181); nisi illa Festa sint de solemnioribus enumeratis in sequenti Rubrica de commemorationibus (182), in quibus nulla fit commemoratio de octava, exceptis Octavis Nativitatis, Epiphaniae et Corporis Christi, de quibus fit semper commemoratio, quocumque festo in illis occurrente (183). Infra Octavas autem Paschae et Pentecostes non fit de Festo aliquo, etiam principali Patrono vel Titulari Ecclesiae vel Dedicatione eiusdem, sed transfertur post Octavam si transferri valeat (184), secus de eo fit commemoratio ut dicetur in eadem Rubrica de Translatione Festorum (185). Infra Octavam Epiphaniae fit tantum de Patrono vel Titulari Ecclesiae, et Dedicatione eiusdem (non tamen in die octava) (186), cum commemoratione octavae. Infra Octavam Corporis Christi fit tantum de duplicibus, non

tamen translatis (187), nisi fuerint primae vel secundae classis (188), cum commemoratione Octavae. De semiduplicibus vero, cum non transferantur, infra eam fit commemoratio ut dicetur in praefata Rubrica (189). De simplicibus infra quascumque Octavas occurrentibus, item fit tantum commemoratio, praeterquam in duobus diebus post Pascha et Pentecosten (190) ut dicetur in sequenti Rubrica de commemorationibus. De Dominicis infra Octavas occurrentibus, fit officium ut dictum est supra in Rubrica de Dominicis (191). Si duae Octavae simul occurrant (ut Octava sancti Ioannis Baptistae, et Octava Corporis Christi, vel Octava Patroni vel Titularis Ecclesiae cum alia octava) (192), quando non erunt celebranda Festa novem lectionum vel dies Dominica, fiet officium de digniori cum commemoratione alterius (193). De die autem octava cuiuscumque Festi fit totum officium duplex (194) cum commemoratione diei infra aliam octavam. De Festis occurrentibus in die octava servetur quod dicitur in Rubrica de Translatione Festorum.

(179) *Infra octavas fit de festis duplicibus et semiduplicibus occurrentibus.*

Officium enim Octavae, infra ipsam, est ritus semiduplicis, ut infra notabit Rubrica, ideoque cedit festis duplicibus. Sed et cedit festis semiduplicibus, eo quod licet sint eiusdem ritus, nihilominus nobilius est festum, quam dies infra octavam. Festum enim aliquid principalis constituit, dies vero infra octavam, acces-

sorium est festi de quo agitur octava ipsa. Excipe dies infra octavam Corporis Christi, de quibus infra dicebit haec ipsa Rubrica.

Doct. Petrus Piacenza.

(Continuabitur).

DE MULIERE CELEBRANTI RESPONDENTE

ANIMADVERSIONES

1. Memoria adhuc tenebunt facile Ven. lectores nostri Monitum in ultimo *Ephemeridum* numero vulgatum: quo innuimus, vim totam esse ademptam Decreto *Cadurcen.* d. d. 4 Aug. 1893 ex auctoritate S. R. Congregationis; quamvis referre tunc ex temporis spatiique defectu, nequaquam potuimus authenticum de asserto nostro documentum. Tempus nunc et spatium suppetunt hoc idem documentum palam faciendi, ut unusquisque ex Sacerdotibus apprime sciat, quid in casu licite agere valeat. Cum tamen praefatum Decretum *Cadurcen.* in nostris *Ephemeridum* paginis non apparuerit, iuvat impraesenti eius obiectum, quod in ultimo numero obscure fortasse retulimus, clarius exponere.

2. Paucis itaque dicimus, sequens fuisse, videlicet: mulierem respondere non posse Celebranti,

nisi in duplici casu necessitatis, aut administrandi Viaticum infirmo, aut satisfaciendi praecepto litandi Sacri. Porro Decretum istud nos legimus in pluribus Ephemeridibus maxime exteris, .dunt dolentes interim recordabamur Academiam nostram Liturgicam, eodem anno, die 12 Iul. benigniorem magna cum securitate tenuisse ac docuisse sententiam. Hinc factum est, ut ipsimet, praeter alios, eamdem quaestionem iterum Sacro Rituum Tribunali humiliter proposuerimus, quod mentem suam dignaretur aperire, cum de re agatur, quae praxim multis in locis fere quotidianam respicit. Sacrum autem Tribunal nova perpendens momenta allata, quae mitiori sententiae favebant, sequentem censuit ad R̃mum Antistitem Cadurcensem Epistolam mittere:

CADURCEN.

R̃me Domine uti Frater,

Novit A.° Tua quod Dubio ab Ipsamet proposito circa mulieris ministerium in Missa, Sacra haec Rituum Congregatio negative rescribendum censuit die quarta Augusti, anno superiore. Quum inde hac de re ad Eamdem nonnulla quaesita pervenerint; idem Sacrum Consilium nova in iisdem allata rationum momenta statuit perpendenda, atque interim praefati diei Rescriptum non esse executioni mandandum.

Haec dum pro mei muneris ratione A.[i] Tuae communico, diuturnam ex animo felicitatem adprecor.

A.[is] Tuae

Romae, die 12 Ianuarii 1894.

Uti Frater

✠ CAI. ALOISI-MASELLA

S. R. C. Praef.

Rmo Domino uti Fratri
Episcopo Cadurcen.

Vincentius Nussi
S. R. C. Secret.

4. Inferes ergo, mulierem non solum posse Celebranti respondere cum hic administrare Viaticum debet, vel Sacrum facere pro adimplendo praecepto, sed etiam in aliis casibus qui occurrere possunt iuxta locorum temporumque adiuncta. Namque praefatum Decretum, quod mulieris in Missa ministerium limitabat pro solis duobus casibus urgentioribus, executioni non esse mandandum S. Congregatio praescripsit. Ergo revocatum censendum est, seu melius, suspensum, etenim nova momenta S. R. C. statuit perpendenda: ut interim nulla amplius illud vi polleat. Adeo ut, si alii dentur casus, in quibus Sacerdos versans, Missam non posset facere, nisi respondente muliere, celebrare ipse tuta conscientia valeat.

5. Quinam tamen hi casus sunt? Extra omnem controversiam casus necessitatis, et quidem urgentis. Namque, vi ablata Decreto *Cadurcen.*, omnem vim acquirit iterum antiquius Decretum

Veronen. d. d. 27 *(ex errore dictum fuit, 29)* Aug. 1836 ad X, quod sic se habet: « Potestne Sacerdos, omnibus sibi prius commode dispositis, quae ad sacrificium occurrere possunt, ne mulieres inserviant altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis? » Et S. R. Congregatio pro sua sapientia rescribendum censuit: « Affirmative, urgente necessitate ».

6. Inquiri hic utiliter potest, quo sensu eiusmodi urgens necessitas intelligenda sit, hoc est: necessitas, Missae ne celebrationem respicit, an potius mulieris ministerium? Etenim si primum, indubie mulier vetatur a respondendo, quoties non adsit pro Sacerdote urgens necessitas celebrandi. Si alterum, exploratum est pariter, toties mulierem posse Celebranti respondere, quoties Sacerdos qui Missam facturus est, sive ex obligatione sive ex voluntate, alium non habet sibi respondentem ministrum. Sed vero, post Epistolam ad Episcopum Cadurcensem missam, luce meridiana clarius est, ad primam mox propositam petitionem reponendum esse negative, ad alteram vero affirmative. Ratio patet, quia Decretum *Veronen.* nullam celebrandi necessitatem supponit in Sacerdote, bene vero necessitatem utendi ministerio mulieris pro responsis, ob viri defectum. Aliter, si aptus praesto esset minister, non posset intelligi ratio petitionis. Ceterum S. R. C. hypothesim viri praesentis, qui respondere valeat, responsione sua sapienter excludit, cum dicat: « Affirmative, *urgente necessitate* ». Cum itaque responsum pro petitione datum fuerit, et petitio haud Celebrandi necessitatem, sed necessitatem ministerii mulieris respiciat, certo concludimus,

Sacerdotes, qui ex vero defectu ministri celebrare nequirent, uti posse ministerio mulieris pro responsis tantum, quia tunc datur urgens necessitas, de qua Decretum *Veronen.* supercitatum.

7. Caveant nihilominus Sacerdotes, ne legem necessitatis eludant, nullam adhibendo diligentiam ut aptum iuxta Rubricas ministrum procurent sibi: vel quod peius esset, virum, quo uti facile possent, dolosa arte aut aliis modis impediendo, quos prava natura facile suggerit, voluptatem ex muliere respondente quaeritent. Quod enim in omnibus reprehensione dignum foret, in Missa procul dubio haud tolerabile esset; cum de sanctiori agatur actu, quo Sacerdos cum pura, sancta et immaculata quam offert, seipsum quoque, quantum humana fragilitas patitur, mundissimam oblationem Deo debet offerre.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE ALMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

III.

Ludovicus Sacerdos pietate ac doctrina conspicuus, non semel cum suo Ordinario conquestus est de frequentia expositionum cum Venerabili Sacramento, quae in Ecclesiis tum parochialibus, ac Regularium, tum Confraternitatum Laicalium, bis et

pluries in die maxime in novendialibus et similibus haberi solent. Ex ea enim imminutionem reverentiae ac venerationis erga tantum Mysterium potius exoriri putat, quam augmentum et animarum utilitatem. Non leves enim ex hoc capite abusus derivari ipse iudicat, ut e. g. circa numerum cereorum aliquando infra decem: ex cantionibus vulgari sermone in actu benedictionis a populo decantatis; vel ex eo quod Sacerdos solam stolam supra cottam induit, vel ad summum pluviale in solemnitatibus, absque eo quod amictum, albam etc. assumat: et tandem in impertienda benedictione nec Clericus Sacramentum thurificet, ut plerumque fieri solet.

Quaeritur:

1. *Quando et qua ratione in Ecclesia solemnes quaecumque expositiones cum Venerabili Sacramento inductae fuerint, et quodnam iudicium ferendum sit de multiplicitate ac frequentia earumdem expositionum: quidque circa illam ab Ecclesia statuatur?*

2. *Quid dicendum de consuetudinibus a Ludovico, Ordinario suo propositis, et quae veluti abusus et corruptelae ab eodem reprobantur?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Sylvii M.ae Can. Nardi Dei, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 18 Ianuarii 1893: acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Hilarium Passerini ex Praelatis Romanis.

Frustra quaereres in primis Ecclesiae saeculis ritum quo populo adoranda Eucharistia proponeretur; nam Scriptores ea de re alte silent, nec ullum extat in vetustis libris Ritualibus aut Sacramentalibus ve-

stigium. Immo, si paulo attentius perpendas huiusmodi institutum cum illa quam vocant *arcani disciplina*, nullo modo componi poterat. Cum enim ob temporum nequitiam metuendum esset ne sacra mysteria indignis afficerentur contumeliis, aut ex iis occasio christianos calumniis insectandi arriperetur, illud erat apud fideles sacro more positum, ut Corporis Domini Sacramentum veluti quadam densissima umbra delitesceret. Neque tantum cavebatur ne impura mente Sancta perciperentur, sed ne sub eorum versarentur oculis qui aut fide deficerent, ut erant infideles et partim etiam cathecumeni; aut qui moribus claudicarent, uti poenitentes nondum rite absoluti. S. Ioannes Chrysost. in ea quam de Christi Baptismate habuit homilia, cum imprudentissimam quorumdam audaciam obiurgaret, qui ad mensam Domini lethalibus obstricti sceleribus accedere non verebantur, aperte ait *mysteria sacra ne oculis quidem cernere sic affectis fas esse*. Itaque si animadvertamus, tum periculum non longe abfuisse ut Sancta a canibus inquinarentur, tum Patres existimasse, infidelibus atque impiis in sacras species ne oculos quidem defigere licere, clare liquet, nemini in mentem venire tunc potuisse, ut divina Hostia eminentiori posita loco publicae omnium venerationi exponeretur. Nos quidem non latet, illis quoque temporibus Eucharistiam ad infirmos delatam, in terrestribus etiam maritimisque itineribus gestatam, ac laicis quoque facultatem factam eamdem domi asservandae, quo facilius ad Domini praelia instruerentur; at numquam non velo aut tegumento obvoluta erat, si Synaxis tempus excipias. Quando ergo in Ecclesiam induci coepit solemnis illa ac publica, quam hodie colimus, augustissimae Eucharistiae expositio? Profecto expectandum erat ut, idololatria penitus

profligata, christianae doctrinae lux ubique terrarum fulgeret, atque, hostium sublata formidine, Christi divitiae possent vulgo patere. Quod vero peccatores deberent arceri a visione Sacramenti, mutata temporum conditione non nimis erat urgendum, ideoque S. Thomas scripsit: " Per visum non accipitur ipsum Corpus Christi, sed solum Sacramentum eius, quia scilicet non pertingit visus ad substantiam Corporis Christi, sed solum ad species sacramentales... Et ideo a visione Corporis Christi nullus prohibetur, qui sit Sacramentum Christi consecutus, scilicet Baptismum (*3ª P. Quaest. 80. A. 4. ad quart.*). „ Ac prius Alexander Hales docuerat: " Ex ista inspectione Sacramenti accidit commodum inspiciendi non tantum iusto, sed imo etiam peccatori ex ponderatione charitatis Salvatoris, tum ex subventione beneficii reparationis, tum ex recordatione passionis Redemptoris. Ex qua recordatione cordis compunctio oritur ac mentis devotio accenditur, unde nonnunquam peccator ad contritionem movetur et gratiam consequitur. „

Ut autem Christo Sacramento inhabitanti singulares adhiberentur honores ac publicae venerationis signa, Berengarii haeresis impulit specialiter, quae Saeculo XII in Ecclesia grassabatur, ideoque coeperunt in Ecclesia latina Hostiam in Missa post consecrationem Sacerdotes extollere populique oculis ostendere, ut omnes excitarentur ad venerandam sub speciebus latentem non figuram aut virtutem tantummodo, sed ipsam Christi Domini veram realemque praesentiam (1). Sed huiusmodi ritus vere ac proprie expositio appellari nequit; hoc enim nomine, non fugax quaedam visio

---

(1) Fornici - *Inst. Liturg. P. I. De Sacrificio Missae - C. XXIX.*

solet significari, verum quae aliquod tempus perduret. Itaque expositio, quemadmodum hodie frequentatur, videtur non longe excepisse celeberrimam illam bullam: " *Transiturus de hoc mundo ad Patrem* " ab Urbano IV editam anno MCCLXIV, qua instituitur peculiare festum Corporis Domini in feria V post Octavam Pentecostes. Iam fortasse divinum Sacramentum publicae venerationi exponebatur, cum Clemens V in oecumenico Viennensi Concilio anno MCCCXI Urbani bullam solemniter confirmavit; aut saltem cum Ioannes XXII anno MCCCXV praecepit ut festo solemnes adderentur per sacras aedes atque per urbium compita supplicationes. Diximus tantum *videri*, dubitationem aliquam prae nos ferentes, tum quia certa documenta ad tempus exacte constituendum desiderantur, tum quia non desunt qui expositionis ritum ad tempora Urbano IV antiquiora referendum putant. Argumenta vero, quibus potissimum nituntur, ex historia ecclesiastica depromunt. Ac primo quidem ex illo quod de Sancta Clara narratur, quae divina mysteria manibus gestans hostibus occurit. Sed animadverti potest, in Breviario romano nequaquam dici beatam sibi afferri iussisse vas in quo sanctissimae Eucharistiae Sacramentum, *erat expositum*, at contra: *in quo erat inclusum*. Quod autem etiam tunc in Ecclesiis Eucharistia asservaretur, nullus est ambigendi locus, sed ad rem nostram minime facit. Neque nos moveat quod pictores sanctam Claram effingere soleant Ostensorium manu gestantem; hoc enim facilem meretur veniam; nam iuxta illud Horatii:

...... Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

(*De art. poet.* § 2).

Praeterea Sancto Antonio Paduano teste utuntur, qui ad refellendam haereticorum perfidiam, coram mula triduano esuriente ieiunio Sanctissimam attulit, spectante universo populo, Hostiam, quam animal caput et genua inclinans adoravit. Sed ex hoc facto quod praeter consuetum rerum ordinem ac ex peculiari Spiritus Sancti instinctu gestum est, nescio an erui possit, iam tunc consuetudimem inolevisse Sacrosanctae Eucharistiae solemniter exponendae. Licet ergo colligere, expositionum ritum, quamvis non possit adamussim adsignari tempus, ad annum circiter MCCC revocari iam posse, qua aetate vasa monstratoria aut ostensoria eademque variis conflata formis, primo apparere ceperunt. Ratio autem quae causam praebuit ut inducerentur, illa nimirum fuit, ut maximi Sacramenti laus illustrior fieret, atque haeretici adversus fidem debacchantes retunderentur.

Sed praeter dicta, animadvertere iuvat nonnulla, quae depromimus e quodam Opusculo, cui titulus: *I Francescani del terz'Ordine regolare, ed il loro convento di Zara*, quod anno 1864 doctissimus Chronista edidit, Ioseph Ferrari Cupilli Iadarensis. Nunc autem ibi legitur constantem esse Iadarensium scriptorum traditionem, Alexandrum Papa III in Quadragesima Urbem Venetiarum pergentem anno 1177 cum ad Iadarae portum appulisset, concessisse Iadarae Confratribus *verberatis* dictis, ut Sacramentum solemniter expositum adorarent, quod eo usque adoraverant in tabernaculo clausum. Hinc triginta post septem annis, seu 1214, testamentum confectum legitur, quo fit legatum *librarum decem Fratatiae Verberatorum Ecclesiunculae S. Silvestri*, ut expenderentur *in Oratione Quadraginta Horarum etc.* Secundum quae, solemnis Eucharistiae Expositio ad ipsum XII saeculum ascenderet.

In prima quaestione secundo loco quaeritur quid sit diiudicandum de multiplicitate atque frequentia earumdem expositionum, quidque circa illam ab Ecclesia statuatur. Quod divina Eucharistia fidelium adorationi exponi queat, nemo inficiari potest quin a fide exulet: " *Si quis dixerit* (ita Tridentinum definivit) *Sanctae Eucharistiae Sacramentum non publice ut adoretur populo proponendum... anathema sit* „. " *Neque enim* (ita idem concilium ait in cap. V sess. XIII) *ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino ut sumatur institutum: nam illum eumdem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei; quem Magi procidentes adoraverunt; quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur* „.

Sed quaestio nostra huc potissimum vertitur, utrum praestet Sacramentum raro exponere an saepe, neque auctorum sententiae constant. Nonnulli enim arbitrantur, ex nimia frequentia divinam imminui observantiam, quia sanctissima quaeque usu vilescere consueverunt, at e contra quae rara, eadem praeclara existimantur. Quisnam autem nescit, ubi salutaris Hostia publice adorationi pluries exponitur, ibi complurima a religionis cultu omnino aliena admitti, perinde ac si Rex Angelorum praesens in Sacramento non cerneretur? Alii autem consuetudinem exponendi crebro augusta mysteria iisque populo benedicendi, rationabilem, piam salutaremque censent; propterea quod fideles arceat a mundanis solatiis, ad templum vocet eosque impellat ad theologalium virtutum actus eliciendos.

Benedictus XIV ea qua excelluit sapientia harum sententiarum utra magis sit probanda definire ausus non est; quia *pars utraque* (ut eiusdem Pontificis ver-

bis utamur) *nihil aliud contendit, nisi ut cultus divinae Eucharistiae debitus augeatur* (1). Sed Sanctus Alphonsus Maria Ligorius asserit (2), expositionem faciendam si ad pietatis augmentum proficere videatur: secus non. Huic vero sententiae omnino subscribimus, simulque statuimus, quotiescumque Christus Dominus in Sacramento exponatur tum raro tum saepius, opertere ut neque debita reverentia neque concinnus altaris ornatus neque adoratorum frequentia desit. Nam licet, ubi non sit lege praeceptum, expositionis facultas in arbitrio sit, tamen gravi indecentia non caret eam peragere sine debita devotione ac pietate, haec imo irreverentia, quemadmodum legimus in concilio Tridentino, *ab impietate vix seiuncta esse potest* (3).

Quid vero circa hanc rem statuit Ecclesia? Sacra Concilii Congregatio, adprobante Benedicto XIV, die XVI Aprilis anni MDCCLVI declaravit: " *Smum Sacramentum non licere publice adorandum exponere, nisi ex causa publica quae probata sit ab Ordinario.* " Ideoque ad publicam expositionem, idest quae fit Ostensiorio, haec necessario requiruntur: 1° causa publica ac gravis de qua diiudicare, ut in inst. 30 ait Benedictus XIV, quem supra laudavimus, *solius Episcopi partes sunt.* Quaenam autem sint huiusmodi legitimae causae, De Herdt (4) refert: 1° nempe festum et octava Corporis Domini iuxta universalem Ecclesiae praxim; 2° aliqua publica calamitas, aut periculum quod universis immineat; 3° solemnitas festi; 4° consuetudo exponendi Sacramentum horis vespertinis feriae V aut aliorum dierum, ut po-

---

(1) *Inst.* XXX.
(2) *Theolog. Mor. lib. 6.*
(3) Sess. XXII in Decr. *de obser. etc.*
(4) *Sacr. Liturg. Praxis* - Tom. II pars II, 22.

pulus magis incitetur ad sacras aedes frequentandas. At causae rationabili eidemque in publicum commodum evasurae accedat omnino oportet Ordinarii licentia. *Certissimum est* (idem Benedictus XIV ait in const: *Accepimus*) *in quibuscumque Ecclesiis etiam privilegio immunibus sive saecularibus sive regularibus non licere exponi publice divinam Eucharistiam, nisi causa publica et Episcopi facultas intervenerint.* Huic apostolicae constitutioni apprime consonant decreta Sacrae Rituum Congregationis quae regularium, confraternitatum ac parochorum facultates coercuit, declarans non licere regularibus exponi publice augustissimum Sacramentum, inconsulto Ordinario, *non obstante privilegio exemptionis* (Maioricen. die VIII Junii 1669), *neque ob causam publicam* (Sanminiaten. die VII Iunii 1681), *neque quovis pretextu* (Asculana die III Aprilis 1632), *neque etiam obstante contraria consuetudine* (Urbaniae die XII Iunii 1638). Quod vero ad confraternitates attinet statuit, non licere *nec quovis pretextu* (Asculana *sup. cit.* die III Aprilis 1632), *nec vigore cuiuscumque aggregationis* (Cremonen. die XIII Septembris 1642): postremo neque Parochis licere sine consensu Ordinarii *causa Orationis XL horarum* (Grossetana die IV Iunii 1644). Excipiendum autem est si regulares aliive ab Apostolica Sede peculiare privilegium acceperint divinae Eucharistiae exponendae absque Ordinarii venia, prout Sacra Rituum Congregatio XXIV Novembris 1691 responsum dedit (*Maioricen. ad 2*). Quod vero pertinet ad expositionem quam privatam nuncupant, illam nempe quae fit aperiendo tabernaculum quin pyxis tamen extrahatur e tabernaculo, quod pluries S. R. C. prohibuit, neque causa publica neque Episcopi auctoritas requiritur, sed causa privata sufficit, uti exempli gratia, alicuius infirmi sanitas impetranda, aut agonizantium solatii obtinendi

gratia, vel etiam ob pium alicuius desiderium; hoc tamen semper exposcitur ut consensus accedat illius Ecclesiae Rectoris, ubi Sacra pyxidis expositio fieri optatur. Ita Benedictus XIV in Inst. 30. Et quoniam expositio plerumque benedictione perficitur, ea quae de illius frequentia statuta sunt, ad alteram quoque referri possunt. Innocentius XI decrevit " *in omnibus expositionibus non posse populo dari nisi una tantum benedictio cum SS. Sacramento* (in decreto diei XX Maii 1682). „ Benedictus XIV (Inst. 30 § 23) haec habet: " *Plures Sanctissimi Sacramenti expositiones saltem in throno eadem die in eademque Ecclesia improbantur, vel plures benedictiones cum eodem, nisi forte ob aliquam gravem causam aliter Ordinario videatur* „. Tantummodo hi casus eximuntur: 1° Si benedictio eucharistica data sit ad claudendam processionem, hoc non impedit quominus in eadem Ecclesia eademque die rursus populo Sacra cum Hostia benedicatur: 2° si in reditu ad templum post Eucharistiam aegroto delatam cum pyxide data item sit benedictio, hoc minime prohibet quominus alia hora eadem functio peragatur. Nam, tum post processionem, tum post infirmorum communionem, benedictio Sacramenti praescribitur a Rituali romano, ut ita dicam, veluti pars utriusque caeremoniae integralis (1).

II. Sed tempus est ut ad postremam descendamus quaestionem videamusque an omnes consuetudines, a Ludovico improbatae, sint inter abusus et corruptelas amandandae. Eas breviter oratio nostra perstringat. Si illae publicae expositiones fiebant iniussu Ordinarii, ex iis quae supra diximus, clare liquet abusus illas

(1) *Ritual. Rom.* De Process. in Festo SS. Corporis Christi C. 5. Tit. IX et Tit. IV c. 4.

fuisse: quod autem populo pluries in die eodemque in templo solemniter benediceretur, hoc a lege liturgica omnino discrepat. At quoniam Benedictus XIV excipit *nisi forte ob aliquam gravem causam aliter Ordinario videatur,* putamus novendialium causam efficere posse, ut benedictio legitime iteretur, dummodo tamen Episcopi interveniat assensus (1). Quod vero attinet ad cereorum numerum qui aliquando infra decem erant; satis sunt sex lumina iuxta decretum Congregationis Episcoporum ac Regularium die IX Decembris 1602, si agatur de expositione privata; sed in casu intelligendum videtur de expositione publica ac solemni, nempe in Ostensorio. Iamvero ad hanc expositionem Benedictus XIV in superius commemorata Inst. 30 duodecim cereos praescripserat: Innocentius XI saltem decem ex cera alba, atque S. R. C. die XV Martii 1698 declaraverat saltem sex candelas accendendas, praeter alia lumina ex oleo quae extra altare ardent. Quamquam dignitas Sacramenti quae omni laude est maior, complura lumina postularet, De Herdt

(1) Expositionem omnem, sive publicam sive privatam, posse, immo debere cum benedictione absolvi, nemo ambigit, usu et lege id nunc dictantibus. Iam nunc nonnullis in locis, pluribus de causis, nec dissentiente Episcopo, consuetudo viget bis, ter, quandoque et pluries in die, solemniter exponendi Sacramentum, cum eoque populum benedicendi. Causae, quas innuimus, sunt, ex. gr. difficilis mulieris partus, aliquis graviter aegrotans, vel negotium aliquod gravius etc. etc. ob quae nonnulli ex fidelibus solemnem expositionem et benedictionem petunt a proprio parocho. Huiusce autem functionis vix per campanas signum datur, templum fidelibus impletur, ut SS. Sacramento maxima gloria derivet. Si res ita revera se habeant, modo necessaria adhibeatur a parochis discretio, nec dissentiat Ordinarius, eiusmodi consuetudinem damnare non audemus, timentes, ne in re tanti momenti nimia severitas honorem almae Eucharistiae debitum imminuat, vel impediat.

vix auderet damnare consuetudinem accendendi sex cereos tantummodo, propterea quia decretum S. C. R. *sex solum praecipiat* (haud seiunctos a luce lampadum) et quia etiam in solemnissima Missa sex sufficiant (1).

Ex dictis patet, fortasse S. R, Congregationem cereorum numerum in Expositione sive privata sive solemni, determinare noluisse, ut conditioni et statui Ecclesiarum consuleret. Numerus enim certus cereorum, nullum afferens alicui Ecclesiae incommodum, alteri potest esse ob paupertatem gravis. Veneratio tamen et cultus in tantum Sacramentum, exigit, ut unaquaeque Ecclesia contendat, ut luminum numerus quantum fieri potest, maior sit semper potiusquam minor. Optandum profecto, ut Episcopi invigilent, ne aliquid irreverentiae vel indecori in almam, quando exponitur, Eucharistiam admittatur in eorum Ecclesiis.

2° Quod vero populus tempore ipso, quo benedictio impertitur, laudes canat vernaculo sermone, est abusus omnino improbandus; illo enim solemni momento nemini canere aut loqui fas est, neque Celebranti neque ministris neque cantoribus, sed tantum organa pulsari possunt graviter ac devote (*Caputaquen. d. d. IX Februarii 1762*).

3° Quod Sacerdos solam stolam supra cottam induat, neque pluviali utatur nisi ad summum in solemnioribus diebus, ad abusus extirpandos debet referri, si loquamur de solemni expositione, ad quam peragendam Gavantus aliique pluviale exigunt, nullo habito discrimine inter dies feriales aut solemnes. Sed praeterea certa hoc super negotio lex habetur praeter citatam auctoritatem. Namque decretum *Ord. Min.*

---

(1) Tom. I P. I de Lumine n. 186 - 4.°

S. Franc. Capuccinorum explicite declarat: " In processionibus et benedictione cum SSmo Sacramento in Ostensorio impertienda omnino requiritur, ut Celebrans pluviale et velum humerale induat, sicuti cautum est in Decretis 17 Maii 1857 et 22 Iun. 1874 (*17 Dec. 1888, ad Dub. XII*) „. Si autem agitur de privata expositione cum Sacra pyxide, potest quidem indui pluviale sed non praecipitur.

4° Quod vero adhibeatur Alba, quemadmodum plerumque Religiosi solent, nulla lege iubetur, cum satis sit ut simplices Presbyteri superpelliceum induant, canonici vero rochettum cum stola sub pluviali. Excipiendum dumtaxat est, si benedictio peragatur Diacono ac Subdiacono dalmatica et tunica indutis; tunc enim Celebrans quoque Albam induere tenetur ut ministris comitantibus sese conformet: uti colligitur ex decreto XII Augusti 1854 in *Luciōnen.* Imo, si Decretum *Rugusina* de solemnibus Vesperis agit, uti videtur ex contextu, Alba in Vesperis est prorsus vetita (*13 Iul. 1658 ad 3*).

5° Tandem nullibi praescriptum legimus, ut aliquis clericus Sacramentum actu benedictionis thurificet, quemadmodum neque imperatur ut tintinnabulum pulsetur. S. R. C. 11 Septembris 1847 in *Ariminen.* declaravit, ubi vigeat consuetudo thurificandi Sacramentum aut per Sacerdotem aut per clericum, *id fieri licere.* Sed consuetudo quae licita dicitur non declaratur obligandi vim habere; ideoque Ludovicus immerito abusum conclamat; ubi enim non est lex, ibi neque praevaricatio. Nihilominus zelus Domus Dei, quo flagrat, summis laudibus dignus est, utpote qui ad hoc potissimum pertineat, ut *Sancta sancte tractentur.*



Gio. petraloysio p̄nestino

DE VITA ET OPERIBUS
IOANNIS PETRALOISII
PRAENESTINI
MUSICAE PRINCIPIS

Liturgicus cantus sacrae Liturgiae praeclarissima ac nobilissima pars cum sit, *Ephemeridum* lectoribus, absque dubio, erit oblectationi, si de vita et operibus incomparabilis viri Ioannis Petraloisii Praenestini aliquid dicamus, tertia ab eius obitu centenaria commemoratione redeunte. Ipse enim omnium primus in Ecclesia Dei cantum induxit, qui admirabili prorsus ac divinae sacrorum rituum maiestati ac mirae pulchritudini apprime convenit: et cui nomen *alla Palestrina* a Praeneste urbe, Petraloisii natali solo, postea adscitum est.

Liturgicum cantum emendare ac penitus instaurare circa primam medietatem saeculi XVI plane necessarium erat. Tunc enim novatores vanis sophismatibus Ecclesiam undequaque oppugnabant; acerbeque dehiscebant in eam, in eius dogmata ac universum exteriorem cultum. Homo autem huic operi ac labori tempestivus et a Deo praeordinatus, Petraloisius noster fuit, qui Italiae non solum, sed Europae et Ecclesiae principem locum in musica obtinuit, sicuti in aliis ingenuis artibus ipsis in Italia obtinuerant Ali-

gherius, Bonarrotius, Santius innumerique alii. Dei autem consilio contigit, ut eadem illa urbs summam adipisceretur laudem tantum virum in lucem edendi, ex qua maiores originem ducebant divi Gregorii Magni, cantus gregoriani instauratoris ac, ut verius loquamur pene inventoris. Perillustris enim Aniciorum gens, toga, armis, sanctimoniaque insignis, e Praenestina urbe oriunda erat, sicuti archaica testantur sepulcra ibidem inventa, et Aniciorum nomine plerumque inscripta.

Pervetusta igitur Praenestes splendido ac magnifico delubro Fortunae Primigeniae sacro olim clara, ac *Praenestinis Sortibus,* Ioannis Petraloisii patria fuit. Vigesimo quinto distat ab Urbe miliario et inter suburbicarias sedes connumeratur; attamen longe celebrius est glorioso martyre Agapito, qui sub Aureliano imperatore gentilium furore impiam raptus fuit in mortem in ipso iuventutis flore. Inter illustres tamen viros, quorum iugiter feracissima Praenestes fuit, facile principatum summus magister obtinet Petraloisius, Ecclesiae simul et Italiae decus ac ornamentum.

De eius patria nemo ambegit unquam, cum ipse idem se subscribere solitus fuisset, « *Ioannes Petraloisius Praenestinus,* » vel tantum « *Praenestinus,* » sicuti in quadam epistola videre fas est, ad epistolarum commercium inter eum ducemque Mantuanum Gulielmum III Gonzagam pertinente et a Cl. Bertolotti edita.

Cl. Baini, qui diffuse de vita et operibus Petraloisii enarravit, praedictum silet epistolarum commercium, insuper non pauca de eiusdem familia ac adolescentia praetermittit, ob documentorum deficientiam. Sed in praesentiarum compertum est, a *Sanctio Petraloisio* (*Pierluigi*) et a *Maria Gismondi* ipsum procreatum fuisse, necnon ipsius patrem anno 1559 obiisse. Scimus etiam ex novis documentis, quae videri possunt in meo opere « Vita ed Opere di Giovanni Pierluigi da Palestrina » italico idiomate exarato nuperrimeque edito, ipsum haud natum esse pauperibus parentibus humilisque generis, sicuti contendunt Baini, Pitoni, Adami et alii; sed parentibus de paternis praediolis victitantibus, qui etiam domum quamdam possidebant Praeneste adhuc extantem, circa medietatem vici *Corsc Pierluigi* vulgo dicti, vel praecisius in vico vulgo *degli Scaloni* appellato. In hac domo lucem vidit inclitus magister Praenestinus. Duplici contignatione eadem constat, ac per externos gradus ipsi aditum patet, e fronte parvum cavaedium habet, hortulum e latere cum cisterna, coenobioque *Iesus infantis* finitima est: super rudera surgit celebris Fortunae templi, cuius muros videre adhuc licet duobus in cubiculis. In eiusdem possessionem impresenti venit familia Fernandez; sed domus iam vetustate fatiscit.

Summis extolleremus laudibus Praenestinum municipium si suam faceret, eamque restauratam tanti civis memoriae posteris relinqueret.

Super atrii porta legitur:

NEL FABBRICATO INTERNO DI QUESTA CASA
NACQUE ED ABITÒ
GIOVANNI PIERLUIGI
PRINCIPE DELLA MUSICA

Tempus praecisum Petraloisii ortus ignoramus. Cecconi in sua « *Storia di Palestrina* » et Torrigio in suis « *Grotte Vaticane* », ad annum 1528 illum ponunt; Doctor Haberl e contra, qui Praenestini opera evulgare cepit, ad annum 1514 ascendere eum censet; Baini ad annum 1524, et ad 1526 alii. Novissimae huius sententiae quidam Melchior esse videtur, Petraloisii coaevus, qui Praenestini describens funebria asserit, die Beatae Virginis Mariae Purificationi sacro, anno 1594 ipsum animam exhalasse, 68 annum aetatis agentem (*Vide Haberl Volumem XVI*). Insuper veritas sententiae quae statuit illum ortum fuisse anno 1524 adstrui forsan etiam potest ex libro Missarum, a Petraloisio filio suo Hygino testamento relicto, et ab hoc Clementi VIII nuncupato paulo post obitum patris. Hyginus enim in nuncupatione ait, patrem suum pene integram consumpsisse vitam 70 annorum in Dei laudibus canendis. Sed expectemus iam nova documenta ad hunc nodum solvendum.

Petraloisius noster *Lucretiam de Goris* e Praeneste uxorem duxit, Francisci filiam, cui simul ac sororibus Felicitae, Violanti ac Candidae nonnullas pater testamento reliquit possessiones, uti ex tabulis contractus partitionis diei 10 No-

vembris anni 1547 constat. Die vero 7 eiusdem mensis et anni nuptiae factae fuere sicuti ex aliis tabulis contractus eruitur, quae videri possunt in *Caecilien Kalender* anni 1879 a praelaudato Haberl edito.

Quatuor filii connubium prosperarunt. Angelus maior natu, qui anno 1577 mortem oppetiit, Rodulphus, Hyginus ac Sylla.

Doralici Alberti nupsit maior natu, ex qua duos liberos habuit Angelum et Aureliam; Rodulphus et Sylla ex vita migrarunt cum adhuc iuvenilis essent aetatis. Nihilominus Hyginus tantummodo cum uxore sua Virginia in praesentiarum usque semen genusque reliquit; liberi enim Angeli adhuc tenelli obiere, unus die 16 Augusti 1581, alter die 24 Octobris eiusdem anni.

Hygini soboles vero fuit: Thomas qui postea sacerdotio initiatus est, Gregorius, Margarita, Ioannes, Angelus, et Septimia. Sed Margaritae tantum progenies nota est. Nuptui namque ipsa tradita fuit die 20 Novembris anno 1627 cuidam *Stephano Cappelli* terrae Cavarum Praenestae finitimae, liberosque habuit Carolum, Nicolaum, Franciscum et Simonem. Nicolai genus Cavis et Olibani Romani extat adhuc. Imo ultimo in loco venerandus senis etiam vivit *Vincentius Cappelli* cum liberis, praeclarissimi Magistri Petraloisii soboles ex parte mulieris. Maioris perspicuitatis gratia, gratum Consociatis *Ephemeridum* facere autumamus evulgando sequentem arborem genealogicam Petraloisii.

- Sanctius et Maria Gismondi + 1559 . . . .
  - Bernardinus
  - IOANNES PETRALOYSIUS + 2 Febr. 1594, Uxor Lucretia de Goris
    - Angelus, uxor natu maior Doralices Alberti
      - Angelus
      - Aurelia
    - Rodulphus
    - Hyginus, uxor Virginia
      - Thomas Sacerdos
      - Gregorius
        - Ioannes
        - Agapitus
      - Margarita nupsit Stephano Cappelli 1627
        - Carolus Capitaneus
        - Nicolaus Cappelli, uxor Maria Felix Leoncelli
        - Franciscus Iurisperitus
        - Simon miles
      - Ioannes Angelus
      - Septimia
    - Sylla

- Stephanus Capitaneus uxor Flavia Torti
  - Nicolaus
    - Ioseph Maria Capitaneus
      - Nicolaus Syndicus terrae Cavarum tempore Napoleonis I.
        - Carolus
          - Mattheus
          - Alphonsus
          - N.
          - Ludovicus
  - Carolus Antonius
  - Ascanius
  - Frasciscus uxor Laureta Cattani
    - Quaedam faeminae
    - Paschal uxor Gertrudes Nardini
      - 5 foeminae
      - Vincentius degens Olibani Romani consiliarius Provinc. ante annum 1870
        - Alphonsus iam capitaneus copiarum Pontificis
        - Carolus nunc Theodorus Abbas.
        - Philippus
        - Ioannes
        - Ascanius
    - Ioachim

De primaeva Petraloisii aetate quaedam tantum et obscura ad nos usque pervenere. Anno 1544, musicae magistrum eum reperimus Praenestinae Cathedralis; sicuti ex tabulis contractus diei 28 Octobris eiusdem anni manifestum fit (*Vide Caecilien Kalender anni 1879*). In ipsis namque legitur, Petraloisium pollicitum fuisse, singulis Dominicis diebus se organa pulsaturum, profestis vero diebus, choro adfuturum ad Missas, Vesperas ac Completorium canenda: Canonicos insuper, et in eorum defectu, pueros in musicae arte informaturum; haec autem omnia ob Canonicatum quemdam, cuius in possessionem a Canonicis fuerat missus, peragenda erant. Ex quibus exurgit iam, quam magni Praenestini Canonici illum facerent; quamquam singulare prorsus eius ingenium in praeclarissimis suis operibus postea ostensum, incognitum maneret adhuc. Ex epistolarum insuper commercio Petraloisium inter Ducemque Mantuanum Gulielmum III Gonzagam, scimus etiam, Ioannem Bernardinum, Praenestini fratrem, virum literatum fuisse musicamque callentem, sicuti etiam alterum ex Petraloisii filiis, qui tam scite varia musica instrumenta pulsabat, ut, nisi immatura occubuisset morte, titulo aulici magistri Ducis Mantuani decoratus fuisset. Imo et alii omnes Petraloisii filii, uno tantum excepto Hygino, in musicae artem omnem insumpsere laborem; nonnullaque eorum habemus motteta in patris operibus inserta.

Utrum fortuito vel potius parentum suasione consilioque Petraloisius Romam se contulerit musicae addiscendae gratia, non liquet. Nonnulli enarrant, musicae quemdam peritum eum e Praeneste abduxisse, cum quadam die ipsum vidisset motu capitis exacte melodiam quamdam comitantem. Alii vero dicunt, peritum illum cantorum magistrum fuisse Basilicae S. Mariae Maioris, qui haud Praenestae sed Romae, et prope nominatam Basilicam eum mirum in modum canentem audivit. Quidquid vero sit, indubium est, Petraloisium iuvenili adhuc aetate florentem, Romae, bonarum artium scientiarumque almae parentis, musicae operam dedisse. Claudium Goudimel Belgicum ludi magistrum habuit, qui Mell a quibusdam ex errore dicitur. Erat vir iste eximius, et musicae artem probe callebat, eleganterque egregias componebat melodias. Nihilominus, et ipse, sicuti tunc temporis magistri omnes, vestigia insectabatur Belgicae scholae, quae liturgicum cantum turpiter confuderat miscens sacra profanis, ita ut non immerito chaos et *rudis indigestaque moles* cantus appellari tunc meruerit.

Iam dudum Flandriae magistri in musicae arte, primi salutabantur: gratiam insuper iam inerant apud Summos Pontifices Avenione degentes; ideoque, Gregorio XI Romam reverso, et ipsi Romam petierunt, Gallos et Hispanos non paucos sibi in socios adiungentes. Ita ut perrari tunc essent Itali in Sanctae Sedis servitium adsciti, praesertim ad musicam quod spectat.

Ceterum Belgica schola opinioni hominum non respondebat: prorsus abnormia induxerat in musicam. Nonnunquam enim *Kyrie*, *Gloria*, et *Credo* iuxta carmina profana modulabantur. Ita verb.gr. iuxta vulgare carmen « *Homme armé* » plerique magistri suas composuerant Missas; sicut alii iuxta carmina: « *L'ami*, *Baudichon*, *Madame*, *Malheur me batte*, *Quant je vous dy le secret de mon coeur*, *Ou le trouveray* etc. etc. ». Quisquis ergo facile intelligere potest, quanta animi pietate, quantoque spiritus fervore fideles sacrosanctis mysteriis interesse potuerint, dum talis cantus eorum aures demulcebat, dum talia verba decantabantur fornice propria.

Quandoque etiam mottetis sacris, uti « *Ecce Sacerdos magnus* vel *Surrexit Dominus* etc., » cantus geminabatur Missae; veneranda eapropter sacrae Liturgiae verba pene inaudita manebant omnino, cum totum admoveretur acumen harmoniae, contemptis verbis, quae inordinate et ex arbitrio sub musices signis inscribebantur.

Hinc bonum omne spiritale, quod ex sacro cantu Ecclesia percipere cupit, evanescebat, frustratusque erat finis, ob quem musicae patuit sacri Templi aditus.

IOSEPH CASCIOLI.

(Continuabitur).

INSTITUTIONES LITURGICAE

(Contin. V. n. 9, anni 1893, pag. 545.)

CAP. I.

DE BENEDICTIONIBUS.

§ 1.

DE BENEDICTIONIBUS IN GENERE.

Quaeres 1. Quid sibi velit *benedicere*?

Resp. Benedicere, quasi *dicere bene*, sub triplici significatione potest sumi: 1. pro alicuius laude, uti cum Deum benedicimus, eique gratias agimus: 2. pro desiderio seu omine, quo alicui bona et fausta adprecamur: 3. pro personarum vel rerum sanctificatione (*V. Quarti Vol. II, Tit. prim. Dub. 1*).

Quaeres 2. Quo sensu res vel personae sanctificari dicuntur?

Resp. Res vel personae sanctificari dicuntur, quatenus per aliquod sensibile signum illis quoddam esse sacrum confertur, atque ita vel materia evadit apta Sacramento vel sacrificio, vel fit instrumentum salutis, sive animarum sive corporum, vel persona fit melior, Deoque gratior.

Quaeres 3. A quibus causis benedictionum institutio repetenda in Ecclesia?

Resp. Ab originali profecto labe benedictionum institutio repetenda, quae labes caelestium bonorum, quibus

protoparentes pro se suisque posteris ditati fuerant, fontem arefecit. Cumque Christi Redemptio, eamdem iterum aperuerit fontem, ideo Ecclesia ab ipsis incunabulis suis benedictiones instituit, quibus iterum impertita bona, non solum hominibus, sed et rebus quas ipsi adhibent, applicare enititur.

Quaeres 4. Quibus subsidiis utatur ecclesia, ut dicta bona per benedictiones applicet?

Resp. Ut plurimum verbis utitur, quibus divinam excitat pietatem, ut caelestium bonorum homines participes fiant, quandoque unico signo crucis, a qua omne bonum nobis, frequentius etiam utroque.

Quaeres 5. Quomodo ergo benedictio in genere definitur?

Resp. Benedictio in genere definitur: Caeremonia ecclesiastica, qua per invocationem divini nominis, vel aliud signum sensibile, aliquid boni confertur vel postulatur. Notari potest cum Quarti, caeremoniam ecclesiasticam habere locum generis, in quo benedictio convenit cum aliis ritibus ab Ecclesia institutis: reliquae particulae ponuntur loco differentiae.

§ 2.

DE BENEDICTIONUM DIVISIONE.

Quaeres 1. Quaenam sint praecipuae benedictionum divisiones?

Resp. Benedictiones primo dividuntur ratione ministri, aliae enim ad Pontificem, aliae ad Episcopos pertinent, aliae ad simplices Sacerdotes. Item nonnullae sunt Episcopis reservatae, quae a Sacerdotibus quoque dantur, qui facultatem acceperunt. Secundo

dividuntur ex parte materiae seu subiecti, aliae enim personis, aliae rebus inanimatis conferuntur. Tertio benedictio, alia est verbalis, alia realis: illa solis verbis et signis perficitur, ista fit quoque cum sacra unctione (*Quarti loc. cit. Dub. II*). Quarto, ex parte finis dividitur in constitutivam, invocativam, et etiam, iuxta aliquos, intermediam. Quinto denique benedictio dividitur in solemnem, et simplicem seu privatam.

Quaeres 2. Quid sit benedictio constitutiva?

Resp. Benedictio constitutiva illa dicitur, quae personam vel rem aliquam ita constituit permanenter sacram, ut nec deinceps statum mutet, nec in profanum usum converti possit. Exempla habes, quoad personas, in prima Tonsura clericali, in benedictione Abbatum, Monialium etc. quoad res, in benedictione altaris, calicis, paramentorum sacerdotalium etc.

Quaeres 3. Quid sit benedictio invocativa?

Resp. Benedictio invocativa illa nuncupatur, qua rei vel personae aliquid boni, per Dei invocationem, non tamen esse sacrum tribuitur, ad animae corporisque salutem. Ita benedicuntur domus, naves, comestibiles etc. benedicuntur sponsi, fideles in Missa etc.

Quaeres 4. Quid benedictio sit intermedia?

Resp. Cum nonnullae dentur rebus benedictiones, quae nec stricte constitutivae, nec simpliciter invocativae dici posse videantur, a quibusdam scriptoribus eae intermediae dicuntur, uti benedictio aquae, salis, candelarum etc. quae ad solum pium usum adhibentur. Videntur eae nihilominus ad benedictiones constitutivas reduci posse.

Quaeres 5. Quid pro solemni, quid pro privata benedictione intelligatur?

Resp. 1. Solemnis benedictio intelligitur illa, quae publice, grandiori apparatu, pluribusque ministris

adhibitis impertitur. Exempla habes in benedictione palmarum, candelarum: item in benedictione imaginis, crucis altaris etc. quae solemniter si fiant, Episcoporum sunt propriae, uti constat ex Rituali Romano.

Resp. 2. Privata vel simplex benedictio est illa, quae vel privatim, vel publice fit, sine ullo apparatu, et aliquo vix adhibito ministro. Exempla habes in benedictione aquae, thalami, etc. uti etiam in benedictione imaginis vel crucis altaris, quae si fiant sine externa pompa, a quocumque Sacerdote fieri possunt, uti S. R. C. declaravit (*Urbis, 12 Iul. 1804 ad 2*).

§ 3.

DE MINISTRO BENEDICTIONIS.

Quaeres 1. Quis sit benedictionum minister?

Resp. Minister benedictionum nonnisi Sacerdos esse potest, cui dicitur: *Sacerdotem oportet benedicere.* Cum nihilominus Episcopus sacerdotii plenitudine gaudeat, minister ipse est quarumdam benedictionum, quae simplici Sacerdoti non competunt. Cumque in Summo Pontifice plenitudo resideat potestatis, hinc quarumdam ipse quoque est benedictionum minister, quae neque ad Sacerdotes pertinent neque ad Episcopos.

Quaeres 2. Quaenam benedictiones sint propriae summi Pontificis?

Resp. Praeter publicas, quas manu impertit Pontifex quibuscumque fidelibus benedictiones, quod Episcopo in propria dioecesi tantum potest, nusquam autem simplex Sacerdos, proprias sibi benedictiones consti-

tuit: Pallii (1), Agnus Dei (2), rosae aureae (3), et gladii principis (4).

Quaeres 3. Quaenam Episcoporum propriae benedictiones sint, vel iisdem reservatae?

Resp. 1. Benedictiones propriae Episcoporum, sunt primo, quae cum sacra unctione perficiuntur, vel materiam quorumdam Sacramentorum tangunt. Secundo, quae templa peculiariter respiciunt vel Oratoria, resque

---

(1) *Pallium*: est Insigne sacrum, quod benedicit Pontifex, mittitque Patriarchis, Metropolitis, et Archiepiscopis. Est de candida lana, ait Macrius (*ad verb.* Pallium) contextum, desuper habens circulum humeros constringentem, et duas lineas ab utraque parte pendentes, quatuor cruces purpureas ante, retro, a dextris et a sinistris; sed a sinistris duplex est, et simplex a dextris. Desumptum est ab altari, sub quo corpora Apostolorum Principum quiescunt, ac loco superhumeralis Summi Sacerdotis antiquae legis successum. Lanam, de qua superius, subministrant duo agni, qui enutriendi de more traduntur Canonicis Regularibus Ecclesiae S. Agnetis extra Urbem: hi autem suo tempore agnos tradunt Monialibus, nunc Ecclesiae S. Caeciliae de Urbe, quae illos tondent, efformantque pallia ex lana.

(2) *Agnus Dei:* sunt numismata sacra ex cera confecta, sic appellata propter agni figuram, quam habent, in symbolum Christi patientis. Eiusmodi *Agnus Dei* Summus Pontifex per se benedicit infra octavam paschae, immittens in aquam prius benedictam, et balsamo atque chrismati commixtam, ac preces aliquas recitans in Caeremoniali praescriptas.

(3) *Rosa aurea:* a Pontifice benedicitur in Dominica quarta Quadragesimae in signum laetitiae, eamque Pontifex, tam in eundo quam in redeundo a cappella, fert benedictam in manu, mittitque postea alicui Regi seu Magnati. Purpurati Patres iis temporum adiunctis *rosaceis* vestibus induuntur. Haec fortasse ratio, ob quam Caeremoniale optat ea die in paramentis colorem rosaceum.

(4) *Gladium principis:* a Pontifice benedicebatur in nocte Nativitatis Domini, una cum pileo, qui deinde alicui supremo principi dono mittebantur, ad denotandum quod saecularis potestas et administratio iustitiae gladii, a regum Rege recipi debeat, pro cuius recta administratione indigent regnantes Spiritus Sancti directione (*Macri, ad verb.* Lectio).

illas, quae proximius ad usum ornatumque inserviunt sacrificii, quamvis in iis adhiberi sacra unctio non debeat. Tertio, generatim illae omnes benedictiones sunt Episcoporum propriae, quas Rituale iubet ab Episcopis faciendas, vel ab aliis Sacerdotibus facultate speciali munitis.

Resp. 2. Benedictiones Episcopis reservatae, illae sunt, quae sacra nonnulla vasa respiciunt, in quibus unctio non adhibetur: vel quae tamquam maioris gravitatis solemniori modo, publicoque apparatu externo perficiuntur, quamvis sacrificium nulla ratione respiciant. Has singulas videre est in Rituali Romano, quod ideo *benedictiones reservatas* appellat.

(*Continuabitur*). FRANCISCUS STELLA P. C. M.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Gallia*. **De occurrentia Patroni loci sine feriatione, et SS. Cordis Jesu.** Quid agendum in Gallia, si alicubi festum Patroni loci, quod sine feriatione die sua recolitur, occurrat cum festo SS. Cordis Iesu? De quo festo agendum, et quodnam transferendum?

Resp. Admodum Rev. Inquirens, ipsemet animadvertit, potius de Patrono agendum quam de SS. Corde. Patronus enim loci, ait, iam sine feriatione in Gallia celebratur ex Indulto Cardinalis Legati, qui tamen expresse statuit, nihil esse mutandum in celebratione festorum suppressorum: ita ut apud nos festa Patronorum iam non sint

feriata de facto, bene vero de iure; quia iuxta doctorem Piacenza (*an. III Ephem. Lit. n. 1. pag. 36*), reductio festorum tangit solummodo forum externum, non autem leges rituales. Ergo...

Argumento allato ab adm. Rev. Inquirente libenter subscribimus, quippe quod, quantum videmus, veritati consonum. Obiici quidem potest, solutionem Decreto *Altero nunc* non videri conformem; at re penitius considerata, aliter autumamus. En Decreti verba: « Idem festum (*SS. Cordis Iesu*) nonnisi solemnitatibus ritus duplicis primae classis universalis Ecclesiae... nec non festis particularibus eiusdem ritus, ceu Dedicationis ac Titularis Ecclesiae, locique Patroni, quando haec sub duplici praecepto fiant, locum cedat ». Ex qua loquendi ratione videtur sequi, Patronum aequiparari in Decreto Dedicationi et Titulari Ecclesiae; atqui haec duo festa cedunt SS. Cordi, si absque feriatione celebrantur, ergo idem dicendum de Patrono. At non ita rem se habere credimus, et conclusionem iudicamus falsam ex allato superius argumento, ad quod necessario redeundum nobis est. Licet enim Decretum tria festa recenseat, quin inter ea ullum ponat (neque locus ibi erat) discrimen; certum nihilominus est, Dedicationi et Titulari Ecclesiae non competere ius feriationis, cum nulla illis lex id iuris concedat, optime vero competere Patrono loci vi Constitutionis Apostolicae Urbani VIII **Universa** d. d. 22 Dec. 1642. Atqui, uti superius dictum est, per reductionem festorum nulla lex liturgica immutata fuit, sed omnes in suo robore permanserunt; ergo ius feriationis, quo gaudet Patronus loci, efficit ut, quamvis de facto sine feriatione

recolatur, festo tamen SS. Cordis cedere non debeat. Proinde ad argumentum quod attinet in oppositum, negata maiori praemissa, negatur et consequens.

Itaque festum Patroni loci eo die celebratur, in quem incidit, quamvis illius solemnitas in sequentem Dominicam amandetur. Ita salvo meliori iudicio.

Nota 1. Dies, in qua Sancta Sedes per Breve Apostolicum statuit festum alicuius Sancti recolendum, est vere *dies festus, dies propria, dies quasi-natalitia,* cum supponatur esse extra diem obitus. Hoc patet ex innumeris Martyrologii exemplis, quae legi ab omnibus facile possunt. Atqui dies 11 Februarii est dies pro beatis, postea canonizatis, Septem Sanctis Fundatoribus statutus a Sancta Sede per Breve Apostolicum, et ideo, quia dies eadem in Ordine Servorum B. M. Virginis celebris erat ob solemnem Instituti Confirmationem. Ergo. Est proinde haec dies vere *dies mutata;* sed non nimis in quaestionibus verborum insistendum, si anno tertio ab *Ephemeridum* ortu, talis dies *assignata,* id est ab Apostolica Sede, nuncupata fuit.

Nota 2. Ven. Consociatum exoramus, ut a danda ultimo dubio responsione nos eximat.

II. *Ex eodem loco.* **De intelligentia Bullae Pii Papae V circa recitationem Breviarii.** In Bulla **Quod a nobis** Breviario Romano praemissa dicitur: «Neminem ex iis, quibus hoc dicendi psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse.» Et inferius iniungitur: «ut omnes, quibus officium dicendi et psallendi, sicut praedicitur, iniungitur, ex huius nostri Bre-

viarii formula, tam in choro quam extra illum dicere et psallere procurent.» Quaeritur, utrum per eiusmodi verba, ita Breviario Romano utendum sit, ut quicumque alius liber, editionibus typicis non concors, in recitatione officii intelligatur exclusus?

Resp. Necessario distinguendum nobis est, ne rigidas amplectentes opiniones, a veritate aberremus. Itaque relata verba Bullae grave praeceptum important, si *formam* officii consideres, quae sub gravi praecipitur: ut consequenter per illa quivis alius liber indubie censendus sit prohibitus, qui diversam officii formam exhibet. Imo ita prohibitus, ut si a levi diversitate abstrahas, quae parvitatem quodammodo materiae inducit, qui eiusmodi in recitatione officii uteretur libro, non satisfaceret. Namque verba legis aperta et graviora sunt: «hac sola (*quae in Breviario Romano praescribitur*) formula satisfacere posse.» Huiusmodi autem forma in textu consistit, secundum ritum, preces, et ordinem, quo illa prostat in praescripto codice. Adeo ut libri, qui diversos ritus, diversas preces, diversum ordinem continerent, cum diversi sint textus, prohibiti censendi forent; et qui sub hac forma officium dicerent, sive privatim sive in choro, non satisfacerent.

Quod si diversitas in alio consistat, per quod nihil de textu recitando mutetur, nihil nempe de ritu, nihil de precibus, nihil de ordine praescripto, certum est, ita posse in libris hanc diversitatem exhibentibus officium recitari, ut satisfiat. Ratio patet, quia lex Bullae **Quod a nobis**, saltem ad substantiam quod attinet impletur.

Inferes: Si alicubi libri ad recitandum officium imprimuntur pro choris, et in illis praescripta habetur forma, sed omissae sunt Bullae Pontificum, dicti libri reprobandi sunt, sed de satisfactione non potest fieri quaestio. Si iuxta dictam formam adamussim reperiantur, sed desint Rubricae in initio, vel Rubricae vulgari idiomate sint impressae, vel etiam compendifactae, reprobandi pariter sunt, sed cum eis satisfit. Si non habeant approbationem Ordinarii loci, ita ut non constet utrum cum typica editione concordent, praescriptam tamen retineant formam, iterum reprobandos eos dicimus, sed nihilominus indubia est satisfactio. Si officia inter se inordinata sint, puta quae universalis sunt Ecclesiae, cum iis quae ad particulares pertinent, vel ad alias dioeceses immixta, similiter hos libros reprobandos praedicamus, sed de satisfactione nec instuenda quaestio. Namque hae omnes, quas recensuimus, et aliae etiam quae irrepere possunt mendae, et inordinationes, cum recitationem officii nequeant afficere, aut formam a Pontificibus praescriptam, iure concludendum, eas nec obesse satisfactioni posse. Ceterum Episcoporum semper est invigilare, ut Breviarium Romanum, sicuti partes quae ob commodum Ecclesiarum ex illo excerpuntur, adamussim et perfecte typicis editionibus respondeant, et de concordantia publicum in codicibus testimonium inserere. Hoc ius, contra quod facta semper reprobanda.

Nota. De Solemni SS. Sacramenti expositione infra octavam Corporis Christi, quae diversis diebus fit in diversis Ecclesiis, Episcopi Ordinarii sunt iudices, vel de eorum consensu parochi aut

rectores Ecclesiarum. Fit enim, ut populus ad reverentiam et amorem excitetur in almam Eucharistiam: ut aptiores ii dies videantur, qui fidelibus commodiores sunt.

III. *E Bosnia.* **De Collecta *A domo tua*, quomodo consideranda.** Collecta *A domo tua* hic ab immemorabili dicitur in Missa permittente ritu, a die 25 Apr. ad 18 Octobris: imperata est in Calendario, aliisque Collectis praefertur, quas Ordinarius imperat. Quaeritur, num consideranda sit eiusmodi Collecta tamquam a Rubrica, vel ex devotione assumpta?

Resp. Negative ad utrumque. Non consideranda tamquam ex Rubrica, quia de tali Collecta ea in tempore dicenda nusquam Rubricae Missalis verba faciunt. Non est consideranda veluti sumpta ex devotione, quia Sacerdotes ius non habent ponendi Collectas in Missa, nisi quando et qua ratione ordinantur in Missali, vel ab Episcopo imperantur. Consequenter Collecta *A domo tua* est eiusdem naturae ac reliquae, quas proinde in casu Ordinarius solus potuit praescribere. Quod si ab immemorabili, dicto tempore recitatur, hoc evenit citra dubium, quia sic Episcopo placuit ratione intemperiarum temporis, uti Romae mos viget eam recitandi a tertia die Maii ad integrum mensem Octobris. Si autem haec Collecta aliis praefertur, id est contra legem, et nulla, quantum videmus, ratio eiusmodi praelationem cohonestat.

Nota 1. Indubium est, et post Generale Decretum de festis primariis et secundariis nulli discussioni subiacet, S. Benedictum Abbatem tam in occursu quam in concursu esse praeferendum

festis Domini de Passione, uti Orationi etc. cum illud primarium, ista secundaria sint. Idem dicas de quocumque duplici maiori festo primario, quod in concursu sibi vindicat utrasque Vesperas, si cum aliis duplicibus maioribus secundariis concurrat, quamvis dignitate potioribus.

Nota 2. Utrum salutatio angelica in Sabbatis Quadragesimae dicenda sit stando vel genibus flexis, magna est quaestio, quam resolvere cum certitudine nequimus (V. Vol. 7, 1892, pag. 547, Dub. XVI): quamprimum poterimus competens Tribunal consulemus.

IV. *Ex dioecesi chicagiensi.* **De tempore concionis in Missa.** Mos hic recens inductus est, vi cuius in Missa dominicis diebus concio, vel lectio Evangelii, vel exhortatio ad populum, sicut monita circa ieiunia servanda etc. non habentur post Evangelium, sed post coopertum calicem, ante *Communio.* Quid iuris?

Resp. Abusus est reprobandus ex sequentibus momentis. 1. Caeremoniale Episcoporum loquitur de sermone infra Missam habendo, tempusque statuit immediate post Evangelium (*Lib. I, cap. VII, n. 4: cap. XXII, n. 1 et 2: Lib. II, cap. VIII, n. 48*). Caeremoniali concordat Missale, quod explicite iubet: « Si autem sit praedicandum, Concionator, finito Evangelio praedicet (*Rit. celebr. Miss. Tit. VI, n. 6*) ». 2. Rectus sensus suffragatur; nam in Evangelio, maxime quae agenda nobis sunt edocemur. Sermo autem seu concio, vel quidquid aliud dicendum sit ad populum, maximam habet cum Evangelio relationem, illius enim sunt veluti consectaria et explicationes, quae eumdem ac Dei verbum finem habent, imo

et verbum Dei ipsamet praedicatio iure nuncupatur. Id autem legem superius allatam sapientem demonstrat confirmatque. 3. Abusus denique evincitur ex vetito abrumpendae Missae, nisi ritus vel lex id permittat aut exigat. Nunc autem iure merito Missa in casu post Evangelium, dictante lege, abrumpitur pro concione habenda; sed eam abrumpere ante *Communio*, est prorsus ex arbitrio et contra legem.

V. *E Civitate N.* **De quadam commemoratione in Missa de dup. I. classis.** Sacerdotes, qui utuntur Ecclesia, sed non tamquam propria, ac proin non tenentur ad officium Dedicationis illius sed ad solam Missam (*Societat. Iesu 18 Sept. 1877 ad 1*), quomodo hanc ordinabunt, si dies Dedicationis cadit stabiliter in Dominicam, in quam etiam stabiliter cadit festum dup. I. classis? Debent ne solam commemorare Dominicam, an etiam dupl. I. classis in hac Missa Dedicationis Ecclesiae?

Resp. Arbitramur, solam Dominicam esse commemorandam, et duplicis quamvis I. classis commemorationem omittendam. 1. Quia Dedicatio Ecclesiae, in casu, de qua Missa dicitur, est duplex I. classis, talis enim Ecclesia propriam celebrat et non alienam Dedicationem. Iam vero duplex I. classis, Dominicae quidem commemorationem admittit, sed reliquas excludit, si a quibusdam festis abstrahas, instar simplicis redactis. 2. Quamvis pro dictis Sacerdotibus dicta Ecclesia nequeat considerari *propria*, nihilominus eadem Ecclesia propriam Dedicationem vere celebrat. Ergo praefati Sacerdotes Dedicationis Missam in tali Ecclesia celebrantes, se considerare debent veluti exteri, qui celebrant in aliena Ecclesia,

in qua huius Dedicatio recolitur, et Missam recitant quae cum proprio officio non concordat. Iam nunc indubium est, hoc in casu eos teneri ad celebrandam Missam cum sola commemoratione Dominicae, officii recitati commemorationem negligentes. Ergo a pari cum celebrant in Ecclesia, quam colunt, quae eorum propria dici nequit, et propriam nihilominus Dedicationem solemniter agit, solam Dominicae commemorationem facere debent.

VI. *Ex eodem loco.* **De commemoratione in Missa et Suffragiis, quando illius obiectum idem est cum officii.** In Missa de SS. Corde Iesu coram Sacramento exposito debet ne fieri com. SS. Sacramenti? Praeterea qui feria V recitat officium votivum de Sacramento, debetne inter Suffragia commemorationem agere SS. Cordis Iesu, utpote Titularis Ecclesiae?

Resp. 1. In Missa SS. Cordis Iesu coram Sacramento exposito com. de eodem Sacramento certe omittenda est. Decretum namque *Ostunen.* d. d. 6 Sept. 1834 hoc ipsissimo dubio respondet: « Commemorationem in casu esse omittendam. » Neque huic Decreto alterum contrarium dicas recentius, id est *Mechlinien.* ad II, d. d. 26 Martii 1859; quia hoc tantum disponit, Orationem de Sacramento *ad modum Collectae permitti posse,* aliud confirmans pariter in *Mechlinien.* d. d. 21 Maii 1841. Verum, uti patet, in casu nostro de commemoratione agitur, non autem de Collecta imperata.

Resp. 2. Certum est, commemorationes in Suffragiis nunquam esse faciendas de iis mysteriis vel sanctis, de quibus eadem die agitur officium. Immo

neque in Officio votivo de Passione, facienda com. de Cruce, aut de Sacramento, in quo recolitur memoria Passionis Christi: haec ex Rubrica et decretis constant. Ratio est, quia de eodem non convenit bis commemorationem fieri. Inquirimus ergo, utrum com. de SS. Corde Iesu idem constituat obiectum, vel censeri possit idem cum SS. Sacramento. Cui petitioni, salvo meliori iudicio, affirmative reponimus. Nam S. R. C. disponit in secundis Vesperis de die octava Corporis Christi commemorationem esse omittendam de SS. Corde. Atque apprime nota, Vesperas illas esse I. classis, proinde ac si essent de SS. Corde. Ceterum Cor SS. Christi est pars ipsius Christi Corporis; sed pars in toto necessario continetur, ut qui recolit SS. Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi, et Cor suum SSm̃um indubie recolat. Quod si in festo SS. Cordis amorem perpendas, qui etiam symbolicum eiusdem festi efformat obiectum, non videris aliquid proficere; quia SS. Sacramentum est Sacramentum amoris, et amor amorum. Hinc, cum inter utrumque obiectum appareat vera identitas, legem applicandam credimus, non esse de eodem bis commemorationem faciendam. Adeo ut, sicut in officio votivo de Passione omitti debet com. Crucis, imo et SS. Sacramenti, ita etiam in officio votivo SS. Sacramenti omittenda sit in suffragiis com. SS. Cordis Iesu Titularis, quia de eo censetur celebrari officium. Ita etc.

Nota. Calendario standum, *etiam in casu, quo certum alicui videretur errare Calendarium*, ita certo certius intelligendum est, ut error non *sit vere certus,* sed *certus alicui videatur*. Error enim,

qui uti talis alicui apparet, saepe error non est, sed veritas. At quando error omnino certus, ut nullum relinquat dubitationi locum, vere talis est, veritas esse nequit. In primo ergo casu Decretum *Namurcen.* 23 Maii 1835 ad 2 certe sequendum est in praxi; at si error in calendario certus irrepserit, ut huius dispositio aliqua sit aperte contra Decreta aut contra Rubricas, error certe emendandus, et Calendarium in praxi non est in eiusmodi errore sequendum.

VII. *E Cracovia.* **De Eucharistia et Oleo Sancto uno in vase non gestando.** Usus alicubi invaluit utendi bursis ad deferendum Viaticum bipartitis: in quibus simul cum SS. Sacramento (sed in diversa partitione) defertur ad infirmos Oleum Sanctum, aliaque utensilia. Tolerari ne potest eiusmodi usus?

Resp. Aut agitur de casibus peculiaribus, de quibus Rituale Romanum loquitur Tit. IV, cap. 4, num. 10, aut de casibus communibus. Si hoc, consuetudo esset omnino improbanda et eliminanda, quia omnino contra Ritualis Romani Rubricas, uti unicuique eas consideranti facile patebit, imo et contra reverentiam almo Eucharistiae Sacramento debitam: quae reverentia erga Oleum infirmorum, quamvis veneratione dignissimum, adhibenda vetatur. Si vero primum, nec consuetudo eadem nobis probanda videtur. Namque Rituale Romanum agit quidem de *bursa decenter ornata, et ad collum appensa,* in qua apte includendum est vas seu pyxis Sacramentum continens; sed cum de re alia non loquatur, manifestum videtur, Sacramentum Eucharistiae in vase contentum, solum et sine ulla alia re esse in bursa ante-

dicta deferendum. Haec universalis praxis iuxta sensum Romanae Ecclesiae; hinc in sacro tabernaculo nihil omnino ponere iubemur praeter sacra vasa pro Eucharistia asservanda, quamvis illud bipartiri facillime queat. Id autem, uti patet, ad reverentiam pertinet erga Eucharistiam, et servari quoque facile potest in illa ad infirmos deferenda. Hinc dum Rituale Romanum tantopere cultum in SS. Sacramentum, cum defertur, commendat, de Oleo Sancto contentum est dicere, includendum in sacculo serico violacei coloris, et caute deferendum. Consultius itaque iudicamus, ut alterum cum altero Sacramento, inter se namque toto caelo differunt, in eadem bursa, esto bipartita, non deferantur.

VIII. *Ex eodem loco.* **De SS. Sacramento, cooperto capite, ex necessitate deferendo.** In his regionibus borealibus, quando ob hyemem impossibile est deferre aperto capite SS. Sacramentum ad aegrotos, quid melius, bireto uti, an pileolo?

Resp. Posita impossibilitate discooperto capite ambulandi, nemo non videt, minorem esse irreverentiam (quam necessitas excusat) in capite cooperiendo pileolo, quam bireto.

IX. *Ex eodem loco.* **De materia stolae, qua non utitur Celebrans.** Licet ne extra Missam adhibere stolam non ex serico confectam?

Resp. Si severius loquamur, materia stolae ex serico, pro Missa praecipitur: pro aliis Sacramentis administrandis de stolae materia diversa lex non loquitur, ut non videatur esse prohibita, modo tamen color et decentia serventur. Ita salvo meliori iudicio.

Nota. Quando de pluribus Sanctis simplicibus fit com. in officio, et IX lectio simplicis est legenda, aut sunt ad modum unius, et tunc tres eorum lectiones, vel duae, si historicae, recitandae sunt pro nona: si autem plures de simplicibus occurant faciendae commemorationes, arbitramur, de illo Sancto simplici IX lectionem si adsit legendam, qui aliis praeferendus foret in occurrentia.

X. *E Bavaria.* **De Collecta pro defuncto in Missa, et de illius loco.** In Missa de Semiduplici, quando per commemorationes speciales completus est ternarius Orationum numerus, et nulla haberi contingat Collecta imperata, dici ne potest penultimo loco Collecta pro defuncto? Ex. gr. in Missa de S. Casimiro semid. (4 Mart.) dici ne potest post Orationem 2^{am} feriae, 3^{a} Oratio pro defuncto, et 4^{a} de S. Lucio simplici, ut sic adimpleatur decretum *Ord. Can. Regul. Lateran.* d. d. 2 Dec. 1684 ad 6?

Resp. Posita recta intelligentia citati Decreti (1), respondemus, ita ut adm. Rev. Inquirens

---

(1) Ita loquimur, quia gravis animadversio fieri posset super expositione Dubii 6, imo et Dubii 9 huiusce Decreti: Namque utrumque Dubium confundit Missam de semiduplici, et de infra octavam, cum Missa de simplici, votiva, et de feria non privilegiata, inter quas nihilominus magnum discrimen intercedit. Lege Generalis Missalis Rubricae (*Tit. IX De Orationibus*) omnes numeros, eritque tibi facile perspicere, in Missa de semiduplici alias Orationes, praeter praescriptas, haud esse permissas: quae bene vero permittuntur in simplicibus.

Responsio S. R. Congregationis est quidem generalis; sed ex hoc fortasse non sequitur, eam approbare voluisse quidquid in expositione Dubii defectus occurrit, a quo S. R. C. saepe abstrahit. Lege Gavantum, et habebis: « Plures tribus non dicuntur in semiduplicibus, nisi ob commemorationes (*Pars I, Tit. IX, n. 12*) ». Consule ibidem Meratum, et accipies. « In semiduplicibus non potest augeri numerus Orationum ad libitum Celebrantis: quinque

exponit posse fieri, non esse dubitandum. Namque, ad minus res est incerta, cum plures auctores, et quidem melioris notae, diverso modo explicent Gen. Missalis Rubricam Tit. VII, n. 6. Atqui, cum plures circa legis intelligentiam dantur probatae opiniones, unicuique Moralistae omnes potestatem faciunt eam in praxi tenendi quae magis libet; ergo optime in casu recitari potest, ante commemorationem de S. Lucio, Collecta pro defuncto, quae iuxta Rubricam Gen. Missalis penultimo loco dicenda est. Hac ratione quaestionem hic resolvimus et proposito Dubio satisfacere necessarium iudicamus, ne pluries iam discussa repetere cogamur. Peculiariter adm. Rev. Inquirentem exoramus, ut controversiam praesentem velit serio perpendere, quam in his *Ephemeridibus* fusius et undequaque pertractavit, et ni fallimur, ceteris melius enucleavit et resolvit cl. Coadiutor noster Anastasius Fourneret Vol. 5, 1891, pag. 137-144.

XI. *Ex eodem loco.* **De qualitate permissionis Ordinarii pro piis exercitiis in honorem SS. Cordis Iesu.** Quaeritur cuiusnam speciei facultas Ordinarii requiratur ut licite fiant illa pietatis exercitia in honorem SS. Cordis, de quibus Decretum 28 Iun. 1889: utrum nempe *specialis* esse debeat, an generalis sufficiat et interpretativa?

---

tamen aut septem... possunt dici in simplicibus et feriis ». Denique eadem S. R. C. docet: « Collectae autem pro defunctis non admittuntur, nisi in Missis festorum **simplicium et ferialium** (*Null. Dioecesis et Prov. Treviren. 31 Iul. 1665 ad 9*) ». Quidquid sit, negotium hic et nunc relinquimus, proposito Dubio respondere contenti, novam interim, quae paratur, Collectionem Decretorum expectantes.

Resp. Adm. Rev. Consulens opportune notat, illic generalem factam esse ab Ordinario potestatem Ecclesiarum rectoribus ad instituendum quocumque diei tempore quodlibet pietatis exercitium pro populo, *ex libro precum pro exercitiis publicis in Dioecesi praescripto et approbato desumptum.* Cum ergo ita res se habeat, arbitramur rationabiliter dubitari non posse, facultatem eiusmodi abunde sufficere in casu. Namque generalis permissio, vera permissio est; cumque preces adhibendae ab Ordinario pariter sint approbatae, si reliqua executioni mandentur, quae praefatum Decretum exigit, omnia recte fieri tenendum est, adeo ut Decreti verba *approbante loci Ordinario* apprime comprobentur.

APPENDIX

E SACRA CONG. RITUUM.

Vulgatum est Decretum die 27 Ian. 1894 Introductionis Causae Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei IOANNAE DE ARC VIRGINIS Aurelianensis Puellae nuncupatae, postquam iisdem die mense et anno, SS. Dominus Noster Leo Papa XIII, sibi ab Emo Card. Aloisi-Masella referendis relatis, Commissionem propria manu signare dignatus est.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1894.

NUNCIUM.

Die 13 Mensis Martii, post habita coram SSmo Congregatione Generali super approbatione miraculorum, quae a Deo patrata dicuntur, Ven. S. D. Vincentio Realino e Societ. Iesu intercedente, alteri ex Moderatoribus Ephemeridum liturgicarum fandi copia data est coram Sanctitate Sua. Ante Eam provolutus septimum obtulit *Ephemeridum* volumen humiliterque imploravit benedictionem pro Ephemeridibus, pro iis, qui in iisdem redigendis operam ponunt, ac pro universis Consociatis. Benigno lubentique animo Supremus Liturgiae Custos preces audiit; effusaque humanitate addens Adlaborantibus animos in Opere prosequendo, quod tantopere sibi cordi est pronuntiavit, Liturgicas Ephemerides, earum Moderatores, Coadiutores, cunctosque Consociatos donare ac recreare dignatus est Apostolica benedictione.

MONITUM.

In ultimo *Ephemeridum* numero Pontificium Breve retulimus, circa Canonicorum, qui ad honorem dicuntur, privilegia. Quae quidem summa fuerunt sapientia quibusdam determinatis limitibus coarctata, ut pluribus iretur obviam abusibus in Italia et extra invectis.

Negotium satis nobis videbatur perspicuum, ut ab omni commentario abstinere iudicaverimus.

Nihilominus in quadam Ephemeride, versionem legimus Brevis in idioma vernaculum, quae profecto in aliquo minus erat exacta. Gratum lectoribus facere autumamus, si rem declaremus: eo magis, ne legis confinia iam in arctum compulsa, ulterius coarctentur.

Numerus II ita se exprimit: « Canonici ad honorem extra dioecesim, in qua nominati sunt, degentes, *numero sint tertia parte minores cunctis canonicis* a Pontificiis Constitutionibus respectivae Basilicae, sive Ecclesiae Metropolitanae, aut Cathedrali, vel Collegiatae adsignatis ». Haec autem pars Brevis ita in aliud idioma versa fuit, ut significaret, Canonicos honorarios non posse adaequare numero tertiam partem Canonicorum, quia a Pontificiis Constitutionibus assignati sunt. Puta: si Canonici de numero fuerint triginta, minus quam decem esse posse tantum Canonici ad honorem.

Verum huiusmodi interpretatio a veritate omnino aliena est; neque ullo pacto respondet latinae ditioni, qua Breve se exprimit, neque menti Pontificis. Sensus ergo verborum « *numero sint tertia parte minores* » est, Canonicos ad honorem non posse excedere duas partes Canonicorum de numero, sicque erunt his tertia parte (*idest di un terzo*) minores.

NOTITIA GRAVIS.

Ephemeris itala Savonensis, cui titulus « Avvisatore Ecclesiastico » in numero Mensis Martii retulit Decretum S. R. Congregationis, aliquid

decernens super primariis et secundariis festis. Decretum est in *Curien.* et ad formam quod attinet regulare. Ne tamen Ecclesiae viri decipiantur, apprime sciant, Decretum istud in *Curien.* esse, non authenticum, sed apocryphum.

S. RITUUM CONGREGATIO

I.

TRIVENTINA.

Rm̃us Dñus Iulius Vaccaro Episcopus Triventinus sequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humiliter subiecit, nimirum: « Triventi in Ecclesia S. Crucis prostat publicae Fidelium venerationi expositum simulacrum Deiparae Virginis Perdolentis, nigris vestibus indutum, habituque consueto: ast sinistra manu Crucifixum gestans. Hinc quaeritur:

I. Tolerari potestne cultus B. Mariae Virg. titulo de Cruce?

II. Quid dicendum de praefato simulacro?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *In sensu liturgico non expedire:*

Ad II. *Servetur Decretum Sacr. Concilii Tridentini quoad Sacras Imagines.*

Atque ita rescripsit die 23 Februarii 1894.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

Vincentius Nussi S. R. C. *Secretarius.*

SUPER RELATO DECRETO ANIMADVERSIO

Opportunum sit animadvertere aliquid super duplici dubio ab Antistite Triventino proposito, acceptaque relativa responsione. Obiectum Dubii est simulacrum Virginis perdolentis, consueto nigro habitu indutum, sed sinistra manu gestans crucifixum, ut vulgo nuncupetur *B. Virgo a Cruce*. Quaeritur num cultus in Virginem sub eiusmodi titulo sit tolerandus, et respondetur *non expedire in sensu liturgico*. Quoad vero attinet ad simulacrum, num scilicet sit probandum in templo, S. C. respondet, servandum esse Decretum S. C. Tridentini de Imaginibus.

Nil profecto sapientius. Cultus enim liturgicus praestari non debet simulacris vel imaginibus, quae aliquid insoliti ac novitatis habent, uti est illud, de quo Rm̃us Triventinus Antistes. Statuae quidem perdolentis Virginis, nigris indutae vestibus, communes sunt; at cum Crucifixum manu non deferant, haec certe ratio insoliti et novi, ob quam illius in templo expositionem non expedire S. R. C. declarat, remittitque Oratorem ad S. Tridentini Concilii Decretum super imaginibus. Reapse « statuit S. Synodus, nemini licere ullo in loco vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit (*Sess. XXV*). » Hinc Urbanus VIII huic Decreto inhaerens, et ipse decrevit: « Ne quis cuiuscumque gradus, qualitatis, ordinis, status, conditionis, ac dignitatis ac praeeminentiae etiam ecclesiasticae etc. Imagines D. N. I. C. et Deiparae Virginis... aliorumque Sanctorum quorumcumque sculpere, aut pingere, vel sculpi aut pingi facere, aut antehac sculptas, pictas, et alias quomodolibet effictas tenere, seu publico aspectui exponere, aut vestire cum alio habitu, et forma, quam in catholica et apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit, nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis regularis, tenore praesentium prohibemus, ac ut Imagines aliter pictae vel sculptae ab ecclesiis et aliis locis quibuslibet amoveantur, et deleantur, vel reducantur et reformentur ad habitum et formam in Ecclesia catholica et apostolica ab antiquo tempore consuetam... praecipimus ».

Eapropter legimus prohibitam anno 1836 Imaginem Virginis Immaculatae, effigiata sub eadem forma, quam referebat numisma

Parisiis anno 1830 cusum (*Congregationis Missionis 27 Aug. 1836 ad 3*). Quam tamen postea vidimus concessam per Decretum d. d. 27 Maii 1877. Aliam quoque Imaginem Immaculatae Deiparae, quae globum manibus gestat, legimus vetitam, dein vero, seu anno 1884, sub quibusdam licet limitibus, approbatam (1). Item Imago Virginis, vulgo *della Salette* sub quadam forma fuit prohibita, sub quadam alia forma approbata fuit. Similiter Imago vel Simulacrum Deiparae *De Lourdes* anno 1877 approbata quoque fuit per peculiare Decretum. Ex quibus palam sequitur nihil novi aut insoliti esse debere in sacris Imaginibus aut Simulacris, iuxta voluntatem Ecclesiae; et cum aliquid eiusmodi comprobatur, S. R.

---

(1) Tamquam de re domestica sinant Ven. Lectores nostri, ut aliquid breviori calamo dicamus de huiusce Imaginis origine. Historia est indubia, testibus omni exceptione maioribus, factisque pluribus comprobata, Deiparam Immaculatam anno 1830 bis apparuisse alteri ex Puellis a Caritate dictis, cui nomen Catharina Labouret, quae pietate, simplicitate, ac regulari observantia praelucebat. Haec itaque felix puella secunda vice comparentem sibi Deiparam adspexit, manibus, e quibus multiplices ac splendidiores descendebant radii, gestantem globum. Deinde brachiis hinc inde extensis, ac naturaliter demissis eamdem vidit, ex extremis manibus eosdem emittentem radios. Nec tantum contemplari Immaculatam potuit felix Catharina, sed et loquentem audire, ac dicentem, globum significare terrarum orbem, radios autem gratias, quas illa hominibus obtinet. Praeterea Immaculata puellam adhortata est, ut curaret, numisma cudi iuxta ultimam visionem, spondens deferentibus illam caelestium gratiarum copiam. Cusum numisma fuit, approbante Parisiensi Archiepiscopo Dom. Dom. de Quélen, anno 1832. Revera, conversionum, gratiarumque non solum spiritualium, sed et temporalium, quae ex delatione ac devotione praefati numismatis derivarunt, integra nec pauca extant volumina, comprobante Deipara sponsionem suam. Ex tunc simulacra et imagines Virginis Immaculatae, apud Filias Caritatis, privatim tamen, seu cum radiis in expansis manibus, seu cum iisdem in manibus ante pectus globum gestantibus. Successu autem temporis Presbyteri Congregationis Missionis pluries S. R. Tribunal adiere, causa approbationis obtinendae modo unius, modo alterius simulacri. Voti compotes tandem facti sunt: quoad Imaginem vel simulacrum cum radiis die 27 Maii 1877: quoad alteram etiam cum globo, anno 1884.

Congregationis consilium, intentio et voluntas exquirenda sunt, ne novitas et insolitum imaginum, novitatem insolitumque inducat seu corruptionem in cultum.

Quid ergo, ut aliquid pro praxi concludamus, Antistiti Triventino agendum post relatum Decretum? Perspicua res est: quod insoliti ac novi habet simulacrum in casu auferendum est, ut ad formam consuetam reducatur.

II.

PISCIEN.

Hodiernus Caeremoniarum Sacrarum Magister Ecclesiae Cathedralis Piscien., de mandato sui Rm̃i Episcopi, sequens Dubium Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

« An sint inquietandi Canonici eiusdem Ecclesiae Cathedralis, qui ex antiqua consuetudine annulum deferunt dum Sacrum faciunt, freti praesertim Sacrae Ritum Congregationis Decreto diei 12 Februarii 1892, id quidem prohibente; verum non adiecta clausula *non obstante quacumque consuetudine?* »

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: *Standum esse omnino Decreto superius citato.* Atque ita rescripsit et servari mandavit die 9 Martii 1894.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE ALMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

IV.

Ex qua Sedes Apostolica ex decreto S. R. C. diei 28 Iunii 1889 celebrari permisit missam votivam de SS. Corde Iesu singulis feriis VI, Calendis cuiusque mensis proximioribus, nonnulli parochi Ecclesiarumque rectores satius iudicarunt Missam hanc celebrare, et aliquoties decantare, coram SSmo Sacramento, exposito infra tabulam SS. Cor Iesu repraesentantem: dein post Communionem Sacerdotis etiam fideles adsistentes ad Sacram Synaxim devote accedunt. Huiuscemodi praxis maxime commendata fuit etiam a nonnullis sacris Oratoribus, qui illam cohonestatam dicebant ab usu fere universali in pluribus dioecesibus, decantandi vel saltem celebrandi Missam privatam coram SS. exposito, occasione e. g. renovationis votorum in quibusdam Communitatibus, primae infantium Communionis, in octiduo defunctorum, et quibusdam novenariis, praecipue SS. Natalis Domini, et Pentecostes. In iis vero casibus Sacerdos expleta Missa, ad abacum deponens casulam, pluviale statim assumit semper coloris non Missae sed Mysterii vel Sancti, de quo functio peragenda sit. Haec omnia non semel mussitare fecit senem quemdam Sacerdotem in Iure Liturgico sufficienter peritum, qui secum quaerit:

1. *Num liceat pro lubito Missam decantare vel celebrare privatim in altari ubi SS. Sacramentum publice fi-*

delium adorationi exponitur, extra solemnem Orationem 40 horarum?

2. *Et utrum in aliquo casu affirmativo, liceat tunc sacram fidelibus Communionem administrare in eadem Missa?*

3. *Et cuius coloris debeat esse pluviale Sacerdotis functionem post Missam celebrantis, sive illud assumat in abaco, sive immediate in sacristia, habita ratione vel Mysterii vel Sancti, de quo fit eadem sacra functio?*

4. *Quid ergo dicendum de inducta consuetudine; et num toleranda sit in omnibus partibus de quibus in casu, vel omnino respuenda?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Caroli Respighi ex alumnis Almi Collegii Capranicensis, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 22 Februarii 1893: acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Philippum Mariam Can. Difava.

I. Prima petitio inquirit num liceat pro lubito Missam decantare, vel celebrare privatim in altari ubi SS. Sacramentum publice fidelium adorationi exponitur, extra solemnem Orationem 40 horarum.

Nullus videretur prima fronte hic dari posse dubitandi locus; cum nil sanctius excellentiusque sacrosancto Missae sacrificio inveniri possit. Ideoque eo nil aptius, ad devotionem illam mentisque attentionem excitandam, erga sacratissimam Christi Humanitatem Divinitatemque, in solemnibus expositionibus veluti in throno se ostendentem, quam Ecclesia uti finem primarium huiusmodi expositionum intendit.

Nihilominus si liturgici codices ac S. R. Congregationis decreta pro re nostra sedulo consulantur, statim apparebit non ita liquidum negotium evadere.

Revera Constitutio Clementina imprimis, sicuti apertissimis verbis iubet in expositione ac repositione SS. Sacramenti solemnem Missam, ita pariter non minus manifeste quamcumque aliam Missae celebrationem, sive solemnis sive privatae, in eodem expositionis altari absolute prohibet per integrum expositionis tempus. Similiter Caeremoniale Episcoporum, ad rem nostram quod attinet, hisce gravissimis verbis utitur: " Et ideo non incongruum sed maxime decens esset, ut in altari, ubi SS. Sacramentum situm est, Missae non celebrarentur, quod antiquitus observatum fuisse videmus (*Lib. I, c. XII n. 9*) „.

Quibus Caeremonialis ac Constitutionis Clementinae dispositionibus plenissime consonant S. R. Congregationis praescriptiones, uti videri praesertim est in una *Bononien. 9 Augusti 1670*, ac in alia *Angelopolitana diei 13 Iunii 1671.* In primo enim ex citatis decretis S. Congregatio sic proposito sibi Dubio respondit: " Non licere celebrare Missas in Altari Cappellae Maioris Ecclesiae Confratrum Societatis boni Iesu Bononiae, exposito in eodem SSmo Sacramento, stante praesertim quod adsint alia Altaria, in quibus celebrari possit „. In altero vero priusquam responderet Dubio, quod unice versabatur circa benedictionem elargiendam cum Sacramento expleta Missa, voluit certam generaliter firmare regulam, quod non licet celebrari in Altari, in quo expositum est Sacramentum, nisi aliter necessitas iubeat. Ideoque primum per modum regulae generalis edicit: " Non debere cantari, nec celebrari Missam in Altari, in quo expositum est SS. Eucharistiae Sacramentum, nisi pro eo reponendo „. Imo, ait cl. Gardellini (*in Comment. super Instr. Clem. parag. XII, n. 1*), S. Carolus Borromaeus ecclesiasticae disciplinae cultor eximius adeo progres-

sus est, ut iusserit, ne in Ecclesiis Mediolani per integrum expositionis tempus ullae celebrarentur Missae aut alia divina Officia persolverentur, translatis interea ad proximiorem Ecclesiam oneribus, si quae implenda fuissent. A lege exceptas declaravit tantummodo Ecclesias Collegiatas et Conventuales in quibus permisit, ut recitari possent Horae canonicae, et solemnes Missae cantari, nec non Monialium, quibus indulsit unam aut duas Missas lectas, dummodo id fieret, dum minor esset populi frequentia.

Momentorum autem potissimum huiusce Ecclesiae inhibitionis, finis est expositionis ipsius, attenta scilicet ac devota sacrosanctae et immaculatae Hostiae adoratio, a qua fidelium mentes studio cuiuscumque rei, quamquam sanctissimae, avocatas Ecclesia non vult. Ex quibus omnibus abunde patet, iuxta Ecclesiae disciplinam, ex generali regula ac pro lubito, quamcumque Missae celebrationem in Altari ubi SS. Sacramentum publice fidelium venerationi expositum manet, prohibitam evadere: excepto tamen casu necessitatis, uti si desint alia altaria in quibus celebrari possit; vel saltem adsit rationabilis causa, ut praeceptum audiendi sacrum, ne SS. Sacramentum sine adoratoribus relinquatur vel etiam longaeva consuetudo difficillime abrumpenda.

Hisce tamen haud obstantibus pariter certum est, consuetudinem fere universalem, Romae etiam vigentem, invaluisse celebrandi coram Sanctissimo exposito. Consuetudinem inquam, quae absque fidelium scandalo ac spiritali detrimento nonnisi difficillime tolli potest, cum maximam edificationem animique fervorem ex ea fideles percipiant. Antequam ergo universalis hic usus in populorum moribus iamdiu radicatus improbetur, sedulo mihi videtur finis considerandus uniuscuiusque

expositionis, eiusdemque ratio. Praeter celebrem illam solemnemque expositionem, qua quadraginta horarum spatio, moraliter quidem sumpto, SS. Sacramentum publice fidelium venerationi adorandum proponitur, aliae etiam peraguntur expositiones plus minusve solemnes, sacrosanctae et immaculatae Hostiae adorationis et ipsae finem habentes, et quae per nonnullas horas vel etiam dies protrahuntur. Nunc autem in eiusmodi expositionibus, non est dubium, opinamur, quin cuiuscumque Missae celebratio prohibeatur coram SSmo exposito, seu in eodem altari expositionis: tum quia alia non desunt altaria; tum quia non parum fideles a fine primario expositionis distraherentur: tum etiam quia, cum iuxta normas legesque solemnis 40 horarum Orationis et ipsae dirigantur, etiam in hac Missae prohibitione illis obtemperandum profecto est.

Attamen multo plures et aliae ab istis, fine praesertim inspecto, passim fiunt expositiones. In quibusdam locis usu receptum est, occasione nacta ab aliquo novendiali pietatis exercitio, vel etiam ab aliqua functione in honorem SSmi Cordis Iesu qualibet prima feria VI mensis peragi solita, Sacramentum exponere, Missamque celebrare, et postea nonnullis precibus in honorem Sancti vel Mysterii, cuius memoria agitur, recitatis, solemniter cum Venerabili populo benedicere.

Nunc autem eadem inhibitio Missae celebrandae extendi ne etiam debet ad has novissimas expositiones? In praesenti negotio caute procedendum est. Sedulo enim consuetudo fere ubique recepta animadvertenda est, atque Ordinariorum tacita tolerantia: decreta eapropter S. R. Congregationis, ad negotium de quo agitur spectantia, benigne interpretanda veniunt. Hinc eadem S. R. Congregatio decreto in *Warsavien. sub die 3 Septembris 1746*, ea rescribendi for-

mula usa est, ait Gardellini (*loc. cit.*), qua satis superque ostendit, se nolle quidquam definire de Missis celebrandis ad Altare, in quo Sacramentum patebat expositum, sed stricte ad quaesita, prescindendo a causa, respondit. Cum enim mos obtineret nedum in aliquibus Ecclesiis, sed per universum Poloniae regnum, vehementer timeri poterat, ne turbae excitarentur, non sine scandalo et offensione populorum: hinc S. Congregatio prudenter sapienterque maluit receptam tolerare consuetudinem.

At scimus etiam aliud extare S. R. Congregationis decretum *11 Maii 1878* in quo edicitur: " (Missam celebrare coram SSm̃o) non licere sine necessitate vel gravi caussa vel ex speciali indulto „. Nihilominus, quamquam usque ad apicem S. R. Congregationis decretis obtemperare parati inveniamur, audemus asserere eiusmodi expositiones cum Missae celebratione tolerandas esse; ita praecise sicuti decretum in *Angelopolitana 13 Iun. 1671* iam citatum innuit; cum postquam posuerit principium, coram SSm̃o exposito Missas celebrare non licere, subiungat: " At si ex necessitate fieri opus esset, populus est benedicendus more consueto et non cum Sacramento „.

Etenim, aliis praetermissis, nonne gravis esset caussa fidelium haud certe parvus moeror, ac eorum ab ecclesiasticis functionibus recessus, qui sine dubio a prohibitione talis expositionis cum Missa dimanaret? Ideoque magnam tolerantiam hoc super negotio consulendam esse iudicamus. Notatum nihilominus volumus id intelligendum esse, quum praedictis expositionibus caetera omnia de iure comitentur; uti Ordinarii placitum, decor ac religiosa quaedam pompa, nec non aequa illa atque in omnibus necessaria discretio.

Verum hanc, quam ostendimus, tolerantiam ad celebrationem quod attinet Missae privatae coram SSmo exposito, nullo modo ad Missas cantatas ac solemnes extendere volumus. Benedictus enim XIV absolute Bononiae prohibuit expositiones Sacramenti, quae in nonnullis festivitatibus quorumdam Sanctorum peragebantur, sequenti ratione ductus: " Maxima enim frequentia populi in templum confluit, ubi post preces vanis colloquiis detinetur; utque animum musicorum concentibus intendant, Divmo Sacramento terga vertere non erubescit „. Momentum indubie gravissimum, quodque alia vice etiam sic idem doctissimus Lambertinius expressit: " Cum experientia compertum est populum non semel occupari in variis obloquutionibus, attendere musico cantui et instrumentorum sono, et quandoque humeris etiam ad Sacramentum versis „.

Peculiaris ideoque maximique ponderis in Missis cantatis coram SSmo exposito excludendis invenitur ratio; mentis nempe evagatio, quam in fidelium animos ingenerare possunt, sicuti de facto ingenerant, musici concentus: momentum quod in praesentiarum maiorem vim obtinet, cum pene ubique pessima invaluerit consuetudo canendi, modo Ecclesiae Dei sanctitati ac divinae Maiestati prorsus incongruo. Insuper etiam Caeremoniale Episcoporum (*Lib. I, c. XII, n. 8*) hocce super negotio, ita manifestissime loquitur: (maxime conveniens est) " ut (Sacramentum) non collocetur in maiori vel in alio altari, in quo Episcopus vel alius *solemniter* est Missam seu Vesperas celebraturus „. Quae verba praeceptum potiusquam consilium, uti nobis videtur, sonantia, solemnes Missas, uti quisque probe intelligit, directe respiciunt, coram SSmo Sacramento celebratas, sive in throno publicae fidelium

venerationi exposito, sive in tabernaculo reserato. Et ratio huiusmodi Missae prohibitionis, haud quidem commodum est fidelium ad sacram mensam accedentium, sed "ne ritus et ordo caeremoniarum turbetur (*ibid.*)".

II. Inquiritur secundo num in aliquo casu, dato Missam coram SSmo celebrari posse, liceat tunc sacram fidelibus Communionem administrare infra eamdem Missam.

Ingenue imprimis fatendum nobis est S. R. Congregationis decreta ad negotium nostrum quod attinet, benignam interpretationem difficile pati: ipsa enim omnia, quamquam perplura in generali negativo responso insistunt. Sane, in decreto iam relato diei 11 Maii 1878, responsum ad primum quaesitum, Missae celebrationem respiciens coram SSmo exposito, est quidem "non licere sine necessitate, vel ex gravi causa, vel ex speciali indulto:" sed responsum ad alterum quaesitum, pro obiecto habens Communionis distributionem coram SSmo exposito, sive infra sive extra Missam, absolute et absque ulla restrictione sonat: *Negative*. Ita pariter responsum est in una *Parisien. diei 8 Februar. 1879*, ac in altera *Papien. diei 23 Nov. 1880*. Nihilominus in altera *Dioecesis Rhemensis diei 26 Sept. 1868*, cum peteretur pro Ecclesiis, ubi unum tantum adest altare in quo Sacramenti expositio peragitur, "ut distribui possit Sacra Communio intra vel extra Missam coram SSmo super altari exposito, ratione maximae difficultatis aliter agendi, S. Congregatio respondendum censuit: *Servetur consuetudo.* Attamen uti legenti patet, hic de absoluta et vera necessitate agitur, hinc nihil contra quod superius asseruimus probat: maxime si aliud eiusdem Sacri Tribunalis decretum consideretur (*Tarentina 12 No-*

vembris 1831), in quo cum S. Congregatio Monialibus a S. Clara Missae conventualis celebrationem coram SSmo exposito indulsisset ultimis tribus diebus bacchanalium *pro gratia et sine cantu*, subiungit: „ ***dummodo in Missa sacra Eucharistia non distribuatur*** „.

Insuper Sacra Rituum Congregatio aeque ac Clementina Instructio apertissimis docent verbis, SSmum Sacramentum in altari, alio ab illo in quo Sacrae reconduntur Species, exponendum esse, ut fidelium commoditati ac devotioni plene consulatur. Hinc si aliquo in loco, contra Ecclesiae praescriptum, in eodem expositionis altari Sacrae reserventur Species, Communionis distributio per integrum expositionis tempus prohibita manet. Haec quidem pro Communione infra Missam, ad communionem vero quod attinet extra Missam in altari, in quo immaculata Hostia exposita manet, neminem latere potest, ipsam absolute et nullo pacto umquam licere.

At haec quidem quoad communionem in iis expositionibus peragendam, in quibus absolute Missa inhibetur. Sed idem dicendumne est de communione sumenda in expositionibus, in quibus Missae celebratio indulgetur? Nimis durum, nobis videretur, et ad has novissimas expositiones prohibitionem extendere. Enimvero cur communionis distributio prohibita evaderet, cum Missae celebratio indulgetur? Quantum capimus, nullum nobis apparet momentum grave, hanc prohibitionem etiam in secundo casu suadens, cum e contra rationes haud paucae praesto sint, quae de opposito nos evincunt. Et imprimis compertum est, fideles sacrosancti Missae sacrificii una cum Sacerdote participes esse cum in illius unione Patri victimam offerant, atque consecrent; nunc vero cur cum eodem de consummatione victimae participare non possent?

Cur ab eucharistica mensa arcerentur? Num solis Presbyteris Dominus ait: *Accipite et manducate ex hoc omnes;* an potius universae plebi fidelium, pro qua et mensam Corporis sui paravit? Quomodo ergo prohiberentur fideles fieri huius mensae participes? Hisce ergo rationibus moti, quae et alicuius ponderis nobis videntur, in sententiam venimus asserentium, generali regula in suo robore permanente, quibusdam in casibus fidelium communionem infra Missam coram SSmo exposito tolerandam esse. Diximus infra Missam, extra enim ipsam nullo pacto permitti potest, cum rationes superius expositae locum tunc amplius non habeant.

Sed sententia quam sustinemus maxime roboratur a summa illa fidelium pietate ac religione, qua ad sacrosanctum Christi Corpus suscipiendum accedunt, SSmo exposito; pietatem inquam et religionem, quam ex immaculata amoris victima in sacramento amoris solemniter publicae venerationi exposita, potissimum hauriunt. Summa ergo cautela in consuetudinibus improbandis procedendum est, quibus abrogatis, pietas et fervor christianae plebis remitteret.

Neque tandem plurimi facienda est difficultas opponentium, irreverentiam sapere, eo quod terga vertere deberet Sacerdos SSmo, nec non quia deberet recedere ab altari ad loricae septum usque, cum Eucharistiam administraturus est. Nulla enim irreverentia inveniri potest in actione, quae pro obiecto eumdem habet Iesum Christum, qui in Sacramento expositus manet.

III. Veniamus ad tertium quaesitum, in quo de colore pluvialis Sacerdotis, functionem post Missam peragentis inquiritur. Mos obtinuit, saltem in aliqua Latinae Ecclesiae regione, solemnem Venerabilis expositionem cum eiusdem SSmi absolvi benedictione. Hinc

quaesitum de colore pluvialis, quod Sacerdos post Missam, deposita casula, assumit ad benedictionem populo impertiendam. Neminem fugit SSmi Sacramenti colorem album adeo proprium esse, specialiusque ipsi convenire, ut in feria VI maioris hebdomadae, quamquam color niger iuxta ritum adhibendus sit etiam in translatione SSmae Hostiae de altari, velum tamen humerale, umbella, ac baldachinum alba esse debeant, ita praecise sicut Clementina Instructio praecipit. Insuper idem albus color in festis omnibus ac functionibus adhibetur, quae cum SSmo peraguntur.

Nihilominus si immediate post Missam, quae cum indumentis aliis ab albis celebrata sit, benedictio cum SSmo sequatur, eiusdem coloris pluviale, docet Clementina Instructio, assumet Celebrans. Et sapienter; benedictio enim, vel solemnis pia supplicatio immediate post Missam peragenda est, dumque Sacerdos ab altari minime recedens, ibidem, deposita casula, pluviale assumit, quid unum cum actione praecedenti, seu cum Missa ita constituit, ut veluti una continuata actio accipi possit; hinc valde conveniens, ut unus et idem sit color. Si eapropter Sacerdos ab altari non recedat, sed ibidem in loco apposito, casulam deponat, et pluviale assumat, huius color cum paramentis Missae concordet oportet. E contra si Sacerdos ab altari recedat, Sacristiamque adeat vel locum aliud quodcumque pluvialis accipiendi causa, color albus tunc requiritur, veluti Sacramenti proprius. Actus namque in hoc ultimo casu in suo esse constituti manent, unusquisque ideoque colorem sibi proprium exigit. Hac ratione se gerere debet item Sacerdos benedictionem cum Venerabili populo impertiturus, alius a celebrante Missam.

Hae quas tradidimus normae S. R. Congregationis decretis apprime respondent, uti videri est in Decreto *Matriten.* seu *Toletana diei 20 Sept. 1806;* in quo S. R. Congregatio, Clericis Minoribus de colore inquirentibus in solemni SSm̃i reservatione utendo, immediate post Vesperas solemniter decantatas, respondit: " Quatenus Sacerdos, qui Vesperas paratus celebravit, non recedat ab Altare et assistat, cum concioni tum precibus, reservationem faciendam esse cum paramentis coloris respondentis Officio diei, et velo humerali coloris albi, si illud adhibeatur. Quatenus vero recedat, et reservatio habeatur tamquam functio omnino separata, et distincta ab Officio Vesperarum, utendum esse paramentis coloris albi ".

IV. Ad ultimam tandem descendentes petitionem, haec notanda veniunt.

Permultis in locis, in casu exponitur, mos viget in qualibet prima feria VI mensis, ob privilegium, dicendi vel canendi Missam ante imaginem SSm̃i Cordis et coram SSm̃o exposito ad fidelium pietatem magis fovendam. Fideles insuper infra Missam eucharistico cibo se reficiunt, et Celebrans, absoluta Missa, deponit casulam, assumit pluviale et cum SSm̃o solemniter populo benedicit.

Post superius delibata, nostram opinionem neminem latere potest, nimirum: devota haec pietatis exercitia cum celebratione privatae Missae coniuncta toleranda esse. Animadvertendum tamen est in hisce piis exercitiis in honorem SSm̃i Cordis, pluvialis color sive ad altare illud Sacerdos assumat, sive extra, albus esse debet, cum talis etiam sit color ab Officio requisitus.

Diximus insuper pia exercitia toleranda cum celebratione Missae privatae coniuncta; nam ad Missam solemnem quod attinet, maior rigor adhibendus nobis

videtur, veluti minus aptam ad pietatem fideliumque devotionem excitandam.

De imagine demum SSmi Cordis in altari expositionis non miramur, cum Instructionis Clementinae praeceptum quoad imagines velandas ad quascumque expositiones non extendendum autumemus. Hinc Benedictus XIV, qui prius Bononiae hanc praxim reprehenderat, Romae postea toleravit. Insuper decretum extat S. R. Congregationis *diei 26 Ian. 1793* declarans: " servandam esse consuetudinem " in Capella Burghesiana S. Mariae Maioris, exponendi triduo ante diem Cinerum SSmum Sacramentum in eodem altari, in quo exposita manet pervetusta ac celebris imago Beatae Mariae Virginis.

Sed et ratio nostrum firmat sentiendi modum. Peculiare namque momentum, ob quod imagines velo cooperire iubemur in solemni 40 horarum Oratione, finis est praecipuus huiusmodi expositionis, Deus nempe unice et solum tunc colendus. Iure eapropter aliae velari praecipiuntur imagines, ne fideles ab obiecto principe divagentur: nam apposite ad rem nostram Cavalerius: " Sacrae imagines etiam aptae sunt circumstantium attentionem a Sacramento distrahere et ad se convertere (*Cap. 7, Decret. 28 n. I*) ". In ceteris e contra expositionibus allatum momentum non militat, imo ad finem earumdem plene consequendum aliquod externum materialeque auxilium non certe abs re erit.

Insuper nunnumquam pium quod peragitur exercitium, Deum quidem respicit, sed sub invocatione ac intercessione alicuius ex beatis coelicolis: tunc autem non incongruum nobis videretur istius Sancti imaginem etiam coram SSmo habere expositam, ut fideles percipiant, quasi mediatorem inter ipsos et Deum ipsum

existere. Quibus omnibus, si accedat, christianam plebem probe scire omnem honorem Sanctis ac B. Mariae V. tributum in Deum referri, nec non maximum incommodum velandi altaris imagines, quoties aliquod pietatis exercitium coram SSm̃o exposito completur, omnes absque dubio nobiscum convenient. Sed notandum, casum de imagine SSm̃i Cordis loqui; peculiarissima eapropter invenitur ratio in ea toleranda. Etenim idem ipsa repraesentat obiectum quod in Sacramento adorandum proponitur. Arroges S. R. Congregationem pluries declarasse devotionem erga SSm̃um Christi Cor haud separandam esse ab ea, quae SSm̃o Sacramento tribuitur. Imo eadem S. Congregatio peroptat ut imago SSm̃i Cordis in eodem altari exponatur, in quo Christus Dominus in tabernaculo reseratur, tum ut fideles penitius intelligant, cultum omnem SSm̃o Cordi praestitum in SSm̃um Sacramentum redundare; tum etiam ut gravissimo eatur obviam incommodo videndi SSm̃i Cordis imaginem cereis ac luminibus circumornatam, SSm̃um Sacramentum e contra pene ab omnibus derelictum.

Opinamur ideoque benigne inductam consuetudinem tolerandam celebrandi Missam privatam coram SSm̃o exposito infra tabulam SS. Cor Iesu repraesentantem.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 3, anni 1894, pag. 178.*)

Quaeres 4. Episcopi iure ne gaudent delegandi Sacerdotes, pro benedictionibus sibi propriis?

Resp. 1. Episcopi delegare nequeunt simplices Sacerdotes ad benedictiones, quae sacram unctionem exigunt, vel quae Sacramentorum materiam tangunt; neque, sine peculiari facultate Sedis Apostolicae, ad illas, quae ad usum ornatumque sacrificii altaris proximius inserviunt, uti ad corporalium, ad vestium sacerdotalium etc.

Resp. 2. Episcopus simplices Sacerdotes iure suo delegare potest ad benedictiones, quae templa peculiariter respiciunt, vel Oratoria et coemeteria, uti est benedictio primarii lapidis Ecclesiae, huius reconciliatio etc. Praeterea ad reliquas delegat, quas reservatas Episcopo recenset Rituale Romanum.

Quaeres 5. Reliquae benedictiones, supradictis exceptis, possunt ne fieri a quocumque Sacerdote?

Resp. 1. Affirmative, sub aliqua tamen limitatione; nonnullae enim, ita de iure Parochorum sunt, ut eas sine laesione iuris illorum alius Sacerdos perficere nequeat. Eiusmodi autem sunt: 1. benedictio nuptiarum, 2. benedictio Domorum in Sabbato Sancto, 3. benedictio puerperae. Quae nihilominus postrema a Parocho quidem, si exoratus, ex obligatione facienda, a quocumque alio Sacerdote, pariter si expetitus, fieri potest.

Resp. 2. Praeter dictas, excipiuntur etiam benedictiones Ordinum Regularium propriae, quas alii Sacerdotes perficere nequeunt sine speciali indulto.

Quaeres 6. Num persona laica, vel in sacerdotio non constituta, alicuius benedictionis impertiendae sit capax?

Resp. 1. Per se negative, et benedictiones, quae a laicis viris dantur, non sunt liturgicae, neque ecclesiasticae. Ita parentes benedicunt filiis; attamen proprie non benedicunt, sed benedictionem implorantes a Deo, iisdem filiis ominantur bonum.

Resp. 2. Diaconibus, qui sacerdotali Ordini proximius accedunt, S. R. C. ex gravi necessitate concessit, ut vere benedicerent in Missionibus exteris, dummodo a Vicario Apostolico, cui subditi sunt, delegationem acceperint (*V. Decr. Tunquini Occidentalis, 14 Aug. 1858*).

§ 4.

DE MATERIA ET FORMA BENEDICTIONUM.

Quaeres 1. Num quaecumque materia sit benedictionis capax?

Resp. 1. Generaliter loquendo, vix aliqua datur materia, si res quasdam ob indecentiam excipias, quae humano usui inserviat, et benedictionis non sit capax. Hinc pia mater Ecclesia tot benedictiones peculiares instituit, atque etiam benedictionem *ad omnia*, ut res omnes, quibus utuntur homines, iisdem efficacius proficiant ad salutem.

Resp. 2. Cum nihilominus de peculiarium rerum agitur benedictionibus, materia plus minusve deter-

minatur ab Ecclesia, atque tunc illa et non alia adhibenda est. Ut proinde, si materia sit substantialiter alia ab illa, quam Ecclesia determinat, nulla sit benedictio: si accidentaliter tantum sit diversa, benedictio illicita solum evadat. Quando autem materia in specie substantialiter, vel tantum accidentaliter, a requisita differat, in praxi videndum erit.

Quaeres 2. Utrum materia benedicenda debeat esse praesens?

Resp. Affirmative, si praesentiam eiusmodi, haud solum physice, sed et moraliter intelligas. Patet ex signis, ex aspersionibus, ex incensationibus, quae nonnisi super materiam praesentem fieri possunt. Cl. Quarti cum aliis moralem praesentiam ad viginti vel triginta passus tantum extendit. Si nihilominus de multitudine agatur populi, quae unum corpus efficit, vel de agrorum extensione etc. dummodo praesens sit pars aliqua, indubie valida est benedictio, quamvis res vel personae plures satis notabilius distent.

Quaeres 3. Quaenam pro unaquaque benedictione requiratur forma?

Resp. Illa, et non alia, pro quacumque benedictione, forma requiritur, quam Ecclesia praescribit; de eaque idem, quod de materia, praedicandum (*V. sup. Quaer. 1, Resp. 2*).

Inferes, in benedictionibus Rituali Romano et Missali tantum utendum esse, in quibus approbatae inscribuntur formae, seu preces ritusque, quos Ecclesia pro illis exigit. Prohibitae enim sunt omnes benedictiones ecclesiasticae, nisi a S. R. Congregatione approbatae fuerint (*Ord. Erem. S. Augustini 23 Maii 1835 ad 9*). Quod si pro re aliqua desit specialis forma approbata, vel communis adhibeatur, vel consueta super re, dum benedicitur, dicantur verba: *In nomine Patris etc.*

§ 5.

DE OBSERVANDIS IN BENEDICTIONIBUS.

Quaeres 1. Num locum pro benedictionibus lex ulla determinet?

Resp. Nonnullis exceptis benedictionibus quae solemni quadam ratione perficiuntur, et relationem habent cum Missa, uti benedictio candelarum, palmarum, fontis baptismalis etc. quae fieri in Ecclesia debent, lex non datur, imo nec dari potest, uti per se patet, circa locum pro benedictionibus perficiendis, et satis est ut sit locus honestus. Hinc Rituale Romanum de regulis generalibus agens, quae benedictiones moderantur, de loco silet (*Tit. VIII cap. 1*).

Quaeres 2. Quibus vestibus utendum in benedictionibus?

Resp. 1. Cum benedictiones in altari fiunt, et relationem cum Missa habent, tunc Alba Sacerdos manet indutus, et stola, ac desuper pluviale induit, si habeatur, non vero planetam, et absque manipulo (*Rubr. Gen. Miss. Tit. XIX, n. 4*). Ministri autem maiores, si adfuerint in benedictionibus Sacerdoti ministrantes, si Celebrans pluviali sit indutus, dalmatica induti ministrant (*Loc. cit. n. 5*). Quod si solemnis danda sit benedictio immediate post Vesperas cum Sacramento, cum pluvialibus illi inserviunt, quibus in iisdem Vesperis utendum est (*Caerem. Episc. Lib. I, cap. III, n. 1*).

Resp. 2. Cum benedictiones nullam Missae relationem dicunt, quamvis extra Ecclesiam fiant, Sacerdos superpelliceo saltem indutus esse debet super talari veste, et stola (*Rit. Rom. Tit. VIII, n.* 2).

Quaeres 3. Quinam color paramentorum in benedictionibus adhibendus?

Resp. 1. Verba Ritualis de paramentorum colore in casu sunt sequentia: " In omni benedictione extra Missam, sacerdos *saltem* superpelliceo et stola pro ratione temporis utatur, nisi aliter in Missali notetur (*Tit. VIII, cap. I, n. 2*). " Quae verba, si uti sonant accipias, utendum videtur in omni benedictione colore temporis.

Resp. 2. Nihilominus, cum verbum *saltem* afficere possit, non solum superpelliceum et stolam, sed et huius colorem, ita intelligi potest, ut tunc *saltem* colore temporis utendum sit, cum alius rei benedicendae respondens color haberi non possit. Huic interpretationi favere videtur: primo rectus sensus liturgicus; quia color paramentorum naturae rei benedicendae relationem dicit, potius quam tempori, quo res benedicitur. Secundo, ipsum Pontificale Romanum, quod pro benedictione Imaginis B. M. Virginis album colorem iubet. Nonne ergo rubeus quoque videtur debere esse pro imagine benedicenda cuiusdam Sancti martyris etc.? Tertio, Baruffaldus, qui docet in casu, paramentorum colorem respondere debere rei benedicendae naturae (*Tit. LXX, n. 13*).

Quaeres 4. Num lumina requirantur in benedictionibus?

Resp. Negative, modo illas excipias, quae solemniori ratione ad altare faciendae praescribuntur. Hinc in supercitatis regulis generalibus benedictionum, nulla fit de luminibus mentio.

Quaeres 5. Utrum nonnullae res benedicendae poni possint super altare?

Resp. Negative, si quae pro sacrificio inserviunt excipias, uti corporalia, paramenta sacerdotis, etc.

Hinc esculenta, vexilla, atque etiam candelae, super mensam ad cornu Epistolae, vel alio loco commode paratam, ponenda sunt, in eaque facienda benedictio (*Conf. Rit. Rom. loc. cit. n. 7*).

Quaeres 6. Quaenam agere Sacerdos debeat in benedictionibus?

Resp. 1. Quamcumque benedictionem Sacerdos stans peraget, aperto capite, iunctis manibus, nisi librum in manibus teneat, caputque de more inclinabit, cum verba quae profert, id exigunt. 2. In principio cuiusvis benedictionis dicat: *Adiutorium nostrum etc.* cui minister, si adsit, respondet: *Qui fecit etc.* Quae verba dum Sacerdos pronuntiat, signat se signo crucis, quod nonnulli auctores docent ex generali lege, Rituale tamen silet. Item dicet: *Dominus vobiscum,* quin tamen se vertat, quod sequitur nota responsio. 3. Dum res benedicendas dextera signat, sinistram de more, si benedictio ad altare fiat, super altare ponit: secus, si libera sit, super pectus, uti communiter auctores docent. 4. Denique rem aspergit, atque etiam, si praescriptum fuerit, thus illi adhibet: quae aspersiones et thurificationes ter de more fiunt, in medio, a dextris, ac demum a sinistris rei, quae benedicitur.

DECLARATIO

In fasciculo Ianuarii nuper elapsi harum Ephemeridum, inter consectaria quae ex decretis S. R. C. 2 Iulii et 27 Augusti 1893 circa festa *primaria* et *secundaria* deduximus, unum vel aliud nonnullis viris liturgicis, caeteroquin commen-

dandis, non arrisit; et cuidam ex Sacrae Congregationis Officialibus denunciatum est, utpote erroneum, et ad incongruentias conducens. Hinc est quod nos ea, quae scripsimus, declarare libenter suscipimus, ut veritas ex una parte magis elucescat, ex altera S. Congregationi reverentia nostra summa probetur.

Sit ergo primum de animadversione nobis facta circa appellationem *secundarii*, quam, iuxta praefatos liturgicos viros, dedimus dedicationi Ecclesiae alienae. S. R. C. catalogum festorum confecit, quae uti *primaria* vel *secundaria* habenda sunt, et dedicationis Ecclesiae festum inter primaria recensuit. Quomodo ergo doct. Piacenza in suis consectariis (pag. 16) dedicationem alienae ecclesiae inter secundaria festa adscripsit? Statim reponimus huic animadversioni.

Reapse nos non recensuimus dedicationem Ecclesiae alienae inter festa *secundaria*, bene vero illam adscripsimus inter duplicia I classis, IV ordinis, nempe inter festa huius ritus solemnissimi, quae omnibus aliis eiusdem ritus cedunt.

Sit casus: die XV Octobris occurrit quotannis dedicatio Ecclesiae oppidi S. Florentii (duplex I classis cum octava). Anno elapso 1893 dicta dies fuit dominica III Octobris, in qua agenda est dedicatio Cathedralis illius dioecesis (duplex I classis sine octava). In oppido S. Florentii de qua dedicatione agendum fuit anno elapso?

Duae occurrunt simul dedicationes sub ritu primae classis, ergo de illa agendum est, quae magis est *propria*. Atqui Festum dedicationis Ecclesiae S. Florentii pro illa Ecclesia est magis *proprium*, quam festum dedicationis Ecclesiae Ca-

thedralis; ergo de illa agendum fuit cum translatione alterius.

Ergo dedicatio Ecclesiae alienae, utpote festum *minus proprium* cedit dedicationi Ecclesiae propriae, imo et cuicumque festo eiusdem ritus, quod esset primarium et magis proprium, uti Patronus, vel Titulus propriae Ecclesiae.

Ratio ergo, qua nos dedicationem alienae Ecclesiae inter duplicia I classis recensuimus, quarti ordinis, non est quia uti *secundarium* festum reputavimus, minime gentium; sed quia est festum minus proprium. Sicut ergo inter duo festa primaria, quae eadem die occurrunt, de illo agendum est, ceteris paribus, quod est magis proprium, (doctrina communis a S. R. C. adprobata 29 Ianuarii 1746 n. 4180) ita in casu nostro. Inter dedicationem meae Ecclesiae et dedicationem Cathedralis, licet utraque primaria sit, imo licet utraque *propria* sit, ego festum dedicationis meae Ecclesiae celebrabo in sua die, eo quod testantibus omnibus cum Cavalerio (*tom. 2 decr. 221, n. 7*), *festa quo magis sunt propria et particularia, eo magis sunt celebria, maioremque habent relationem ad locum et personas, ubi et a quibus celebrantur.*

Cum bona ergo pace animadvertentis, stat votum Rm̃i P. D. Augustini Caprara S. Fidei Promotoris, stat S. R. C. decretum, quo Catalogus adprobata est festorum, quae uti primaria et secundaria retinenda sunt, et stat quoque sententia nostra in casu.

Notio... enim *primarietatis* alicuius festi, in natura ipsiusmet festi consistit. Dedicatio ergo Ecclesiae, ex natura sua festum *primarium* est; non enim habentur eiusdem Ecclesiae plura festa de-

dicationis, ideoque, licet ego dedicationem celebrem alicuius Ecclesiae, quae mea stricto sensu non sit, huiusmodi tamen festum non desinit esse *primarium.* Sicut ergo quando duo festa Sanctorum, ambo *primaria*, simul occurrunt, quod est minus proprium reponitur, non quia *secundarium* evadat, sed praecise quia *minus proprium,* ita quando dedicatio Ecclesiae alienae occurrit cum dedicatione Ecclesiae stricto sensu propriae, vel cum alio festo primario eiusdem ritus, magis proprio, dedicatio alienae Ecclesiae reponitur, non quia festum sit secundarium, sed quia minus *proprium.*

Bene ergo S. R. C. dedicationes Basilicarum almae Urbis inter festa primaria recensuit, licet gaudeant, in Calendario Universali, ritu duplici maiori tantum; quia non est ritus, qui *primarietatem* festorum constituat, sed natura festi ipsius.

Licet ergo aliqui doctores liturgici ante decretum circa festa primaria et secundaria ut A Carpo *(Comp. Bibl. Liturg. p. 1. n. 300),* et de Herdt (*p. 4, n. 268, 4 reg.*); imo licet unus ex scriptoribus harum Ephemeridum (*An. 1893 pag. 592*) dedicationem alienae Ecclesiae festum *secundarium* vocaverint, nihilominus, *to* secundarium, intelligi certo potest in sensu quem supra exposuimus, videlicet: dedicatio Ecclesiae alienae, cum non sit in mea Ecclesia, severiori sensu, festum proprium, ad ordinem inferiorem quodammodo descendit: seu, uti aiunt citati auctores, ad ordinem secundarium, quando cum festo eiusdem ritus pro mea Ecclesia magis propria occurrit. Dixi autem ad

ordinem inferiorem quodammodo descendere in casu, quia cedit alio festo magis proprio (1).

---

(1) Haec quidem Doct. Piacenza, cuius sentiendi modus non adeo certus est, ut ei necessario suscribamus, quoadusque saltem S. R. C. aperte mentem suam non aperiat, cui in omnibus et per omnia adhaerere intendimus.

Primo, quia sicuti festa quaedam *secundaria per se* sunt, et nihilominus *per accidens primaria* fiunt; ita e converso quaedam possunt festa esse *per se primaria*, et nihilominus *per accidens secundaria* evadere. Perpendas ex. gr. SS. Iesu vel Mariae Nomen: nonne secundaria *per se* sunt? At pone, eiusmodi festa esse titulares alicuius Ecclesiae, et iam ea primaria fas est evadere. Quod secundarium erat per se festum, per accidens, ratione scilicet tituli, evadit primarium. Quare ergo idem evenire e converso non poterit, ut nempe festum per se primarium, secundarium per accidens fiat? Exemplum desumitur ab ipsa Dedicatione Ecclesiae, quae *per se* quidem *primaria* est, si tamen propria sit, ut esse debet: si vero non propria, *secundaria per accidens* evadit. Festum ex. gr. S. Nominis Iesu in sua natura semper est idem nempe secundarium; at si titulus fiat, evadit primarium. Ita Dedicatio Ecclesiae, idem semper est festum, nempe primarium; at si desit proprietas, secundarium evadit. Ratio distinctionis satis est intellectu facilis, uti ex sequenti altero momento patebit.

Secundo. Ratio anniversarii Dedicationis Ecclesiae celebrandi, nil aliud est quam ipsius Ecclesiae proprietas: ut ii eiusmodi anniversarium liturgice celebrare nec possint, nec debeant, ad quos Ecclesia nullo pacto pertinet, uti ex Decretis abunde constat Haec imo, sicut ratio est celebrationis festi, ita et ipsius solemnitatis; si ergo desit festi proprietas, ipsa necesse est desit eiusdem festi solemnitas. Lege Rubricas, tibique perspicere facillimum erit, quotiescumque agitur de *solemniori* anniversario Dedicationis Ecclesiae, nonnisi de Ecclesia *propria* verbum fieri. Tit. VII Rubricarum Generalium Breviarii *De octavis*, explicite prima vice nominat *festum Dedicationis propriae Ecclesiae*, non cuiuscumque. Videas Tit. IX *De Commemorationibus*, et leges de Dedicationis anniversarii solemniori festo, in quibusdam circumstantiis, *fit tantum in eo loco vel Ecclesia... cuius est Dedicatio.* Id in n. 3; et in num. 5 eiusdem Tituli iterum *festum*

Hunc autem esse sensum verum huius vocis *secundarium*, iuxta citatos auctores, clare eruitur ex his, quae idem De Herdt docet circa Titularem Ecclesiae Cathedralis. Ait enim (*ib.* n. 225): «Istud Festum (Titularis Ecclesiae Cathedralis) quoad omnes qui de gremio Cathedralis non sunt, recenseri debet inter *secundaria*, ita ut tum in occursu, tum in concursu, etiamsi obiective sit dignius, *primario* festi loci, vel Titularis Ecclesiae pro-

---

Dedicationis propriae Ecclesiae nominatur. Iam nunc, si Ecclesia, de qua anniversarium Dedicationis, vi Decretorum, agendum est, non sit propria, adeo ut nec ritus habeatur solemnior, quem Rubricae praescribunt, neque ullus habeatur apparatus exterior; quomodo dici iure poterit, huiusmodi anniversarium eiusdem gradus festum constituere, sicut anniversarium Dedicationis Ecclesiae propriae, adéo ut sicut istud, ita quoque illud, festum *primarium* debeat appellari et esse? Eiusmodi autem esset festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis pro clero regulari, et forte in tota dioecesi pro clero saeculari.

Tertio. Etsi non satis probarent allata momenta, quae tamen validiora credimus, doctrina non deest in casu competentis Tribunalis Congñis Rit. quae omnem controversiam dirimit. Namque Decretum in una *Ord. Min. S. Franc. de Observ.* quaerebat: « Quum iuxta Rubricas peculiares n. 83 in aequalibus praelationem habeat officium nostri Ordinis, utrum occurrente S. Petro de Alcantara in die anniversaria Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, recitari debeat de laudato Sancto, ista translata, cum sint ambo eiusdem ritus? ». Iam audi authenticum responsum: « Festum Dedicationis Ecclesiae NON PROPRIAE, UTPOTE SECUNDARIUM in paritate ritus esse omnibus festis etiam secundariis Christi Domini, et primariis B. M. Virginis ac Sanctorum in occurrentia postponendum etc. (*14 Maii 1856, Dub. III*) ». Non ergo festum S. Petri de Alcantara est praeferendum anniversario Dedicationis in casu, quia hoc minus proprium, illud magis proprium, uti quaesitum innuit; sed iuxta doctrinam S. R. Congregationis festum dicti Sancti praeferri debet Dedicationi Ecclesiae, quia agitur

priae cedat. » Quo in loco, uti patet, clarissimus doctor, certo certius minime dubitabat Titularem Ecclesiae esse vere festum *primarium;* nihilominus quando extra illius Ecclesiam celebrari debet, uti Titulus Cathedralis a Regularibus, tunc illud *secundarium* appellat, hac sola de causa, quod cedat festo propriori. Melius tamen locutus fuisset, si non *secundarium* sed *minus proprium,* in casu appellasset.

---

de conflictu inter festum primarium et secundarium: praefatum autem festum est primarium, Dedicatio vero Ecclesiae non propriae est festum secundarium. Hinc Decretum referens catalogum festorum, quae primaria sunt, inter haec recenset festum Dedicationis, non cuiuscumque Ecclesiae, sed *Ecclesiae propriae;* et per hoc Rubricis perfecte cohaeret, sicut et mox relato Decreto. Ergo etiam ex doctrina S. R. Congregationis festum Dedicationis propriae Ecclesiae est primarium, Ecclesiae non propriae est secundarium.

Quarto. Quare ergo in dicto catalogo recensentur quoque anniversaria Dedicationum Ecclesiarum, quae propriae non sunt, uti pro exteris Dedicationes Archibasilicarum Urbis? Respondemus, uti alibi, hanc esse exceptionem, quae regulam in contrarium firmat. Ratio autem adesse non potuit id agendi et sapientior; agitur enim de tribus Ecclesiis Urbis, quae aliis universis, notis de causis, praestant. Praeterea eiusmodi sunt, ut toto iure omnium ecclesiasticorum propriae merito dicantur et sint, quia ad eos pertinent, ubicumque degant. Romae enim principaliores sunt; et maxime convenit, ut omnes Ecclesiae viri eas tanquam proprias reputent, ad quas maximam dicit relationem Summus Pontifex, visibile caput Ecclesiae, quae dicitur et est, Catholica, Apostolica, Romana.

Haec nostra sentiendi ratio, a qua recedendum non iudicamus, quoadusque, uti superius diximus, aliud ipsimet Auctoritati declarare placuerit.

Redactio.

Hortandi ergo sunt omnes liturgici scriptores, ne deinceps, voces *primarii* et *secundarii*, cum de festis loquuntur, alio sensu usurpent, ab illo quem superius exposuimus; eiusmodi enim sensus perfecte cohaeret decreto S. R. C. de primariis et secundariis festis, et sic omnibus aequivocationibus finis hac super re impositus erit.

Ex dictis colliges:

I. Regulares in civitatibus episcopalibus degentes, vel in earum suburbiis celebrare debent dedicationem Ecclesiae Cathedralis sub ritu duplicis 2 classis sine octava (*S. R. C. 8 April. 1662, N. 2159*). Quod si eadem die apud regulares occurrat festum *primarium* alicuius Sancti sub eodem ritu, de hoc agendum erit ab ipsis, translata, vel reposita dedicatione Cathedralis.

II. Si vero festum proprium Regularium, non sit *primarium*, sed *secundarium*, puta Translatio vel Inventio alicuius Sancti, tunc huiusmodi festum, licet *magis proprium*, in occurrentia cum dedicatione Cathedralis, huic festo cedere debet; quia festum *primarium*, licet minus proprium, praecedit festo *secundario* licet magis proprio.

III. Quando plura festa eadem die occurrunt, certo certius: 1° praefertur illud quod ritu superiori celebratur: 2° in paritate ritus, praefertur *primarium secundario*. 3° Si vero ambo sunt *primaria* vel *secundaria*, praefertur quod est magis *proprium*. Haec consectaria liquido profluunt ex iis, quae hucusque disseruimus.

Nunc vero ad secundam deveniamus animadversionem. Praedictis Censoribus nostris minime placuit distinctio a nobis facta festorum et officiorum in varios ordines, neque duae tabellae

occurrentiae et concurrentiae a nobis editae. Hac super re brevissime animadvertimus:

I. Distinctionem festorum et officiorum eiusdem ritus et classis in varios ordines fundamentum habere in Rubricis; ergo reprobandam non esse. Quod in Rubricis fundamentum habeat facillime probatur. Dies Octavi festorum Epiphaniae, Corporis Christi et Ascensionis celebrantur ritu duplici minori, sunt ergo omnes officia duplicia minora; cum autem dies Octava Epiphaniae, praeferatur festis etiam primae classis (*Rubr. gen. Tit. X n. 3*), et Octava dies Corporis Christi praeferatur tantummodo duplicibus secundae classis, (*ib. n. 1*) cedat vero duplicibus primae classis, atque octava dies Ascensionis (sicut et ceterae octavae) praeferatur tantum duplicibus maioribus et minoribus, cedatque duplicibus primae et secundae classis; omni iure dicendum est, has octavas, esse quidem omnes officia duplicia minora, sed ad diversos ordines pertinere; non ad *diversos ritus*, non ad *diversas classes*, ne aequivocationibus sit locus, bene vero ad diversos ordines. Cum vero hoc nos docuimus, non intelleximus hanc distinctionem in Rubricis Breviarii inducere, ut aliquid novum in eis moliremur: longe est a mente nostra res ista, quae si non risu accipienda esset, temeraria non parum foret; sed voluimus tantum hos ordines bene distinguere ad tyronum servitium, uti aperte diximus. Magister enim Liturgiae, cum explicare voluerit legem occurrentiae et concurrentiae, facile negotium perficiet, si distinctionem hanc nostram, quam ex Rubricis hausimus, ante oculos habeat.

II. Tabellas occurrentiae et concurrentiae, quas nos ediximus, non esse nisi consectarium illiusmet distinctionis festorum. Non ergo intelleximus ut deinceps hae nostrae tabellae in Breviario addantur, quod inopportuna res esset omnino; sed ideo eas confecimus, ut ictu oculi tyrones legem occurrentiae et concurrentiae in promptu habeant. Sicut ergo Meratus duas tabellas comparativas edidit pro octavis et quinque tabellas pro commemorationibus; sicut Guyetus quamplurimas tabellas in suo opere confecit pro maiori lectorum suorum intelligentia, ita et nos eadem industria uti rati sumus, ut magis elucesceret sententia nostra.

Ceterum ac super re legant contradictores nostri ea, quae ante praedictam festorum distinctionem praemisimus, nempe: « Cum inter festa » eiusdem ritus et classis, alia aliis vi Rubri- » carum, et hodie vi distinctionis in *Primaria* » et *Secundaria*, alia aliis praeferantur, opportu- » num ducimus ut lex clarior evadat, duas hic » tabellas SUBIICERE TYRONIBUS, ex quibus OMNES » CASUS occurrentiae et concurrentiae facillime » resolvuntur. » Quibus omnibus sic declaratis confidimus fore ut contradictores nostri a querelis desinant, nosque in pace relinquant; arbitramur enim, illis abunde fecisse satis.

Doctor PETRUS PIACENZA.

QUAESTIO

« Utrum sacerdotes, sive saeculares sive regulares, utentes ritu a Romano diverso, teneantur servare omnia Decreta a S. R. C. emanata? »

Solutio. — Non hic est quaestio utrum S. R. C. a Sede Apostolica certam, eamque *ordinariam* acceperit potestatem iuris in toto orbe de Liturgia dicendi: haec est doctrina certa apud Doctores (v. *Bouix*, *De iure liturg. p. II, c. VI*), saltem quoad omnes ecclesias *latini ritus*, etiam eas, quae missali et breviario proprio, vigore *Bullae Pianae*, utuntur; nam dubitandum foret, quoad ecclesias *ritus orientalis*, pro quibus Romae apud S. C. de Propaganda Fide adest peculiaris Congregatio pro negotiis ritus orientalis. — Quaestio igitur agitatur quoad *ritus proprios* alicuius ecclesiae vel ordinis regularis *in ecclesia occidentali sive latina*, cuiusmodi sunt: *ritus ambrosianus*, pro fere tota dioecesi Mediolanensi, et multis paroeciis dioecesium Bergomensis, Novariensis et Ticinensis in Helvetiis; *ritus lugdunensis* pro ecclesia Lugdunensi in Galliis; *ritus mozarabicus* in cappellis toletanis; *ritus proprius* palatinae basilicae collegiatae *S. Barbarae,* nullius Dioecesis, Mantuae. approbatus a Gregorio Pp. XIII, litteris 10 Nov. a. 1583; et pro Regularibus *ritus Cistercensium*, *Carthusianorum*, *Carmelitarum*, *Praedicatorum*, etc.

His praenotatis quaeritur, utrum hi ritus proprii sint moderandi decretis a S. R. C. editis.

Nulla est quaestio si agatur *de decretis particularibus* ipsos ritus spectantibus; nam hoc est consectarium *ordinariae potestatis* ab ipsa Apostolica Sede in eamdem S. Congregationem derivatam, quam in antecessum, secundum communem, et certam Doctorum sententiam admisimus. Huic principio concordat omnium ecclesiarum et ordinum, ritibus huiuscemodi particularibus utentium, praxis adeundi S. R. Congregationem pro dubiis solvendis, vel privilegiis impetrandis, imo pro ipsa liturgicorum librorum recognitione et approbatione. — Quaestio hinc reducitur ad *Decreta Generalia* vel *Urbis et Orbis*, ab ipsa S. R. C. vel Apostolica Sede emanata, quae ritum Universalis ecclesiae, idest Romanum, in primis afficiunt. Nos non latet haec saltem decreta generalia certo vim legis et conscientiam obligantis habere quoad utentes ritu romano (S. R. C. Angelopolitana 12 Sept. 1847 ad 16). Sed res ita ne quoque se habet quoad *ritus particulares* supra recensitos? Merito id negandum credimus, et negamus.

Et revera: Si S. R. C. suam habet potestatem ab ipsa Apostolica Sede derivatam, idem dicendum est de decretis generalibus S. R. C., quod dicitur de legibus generalibus ab eadem Apostolica Sede editis. Atqui leges generales Romani Pontificis non afficiunt specialium locorum vel personarum consuetudines vel statuta rationabilia, nisi expresse in ipsis legibus caveatur; ergo. *Maior* patet iuxta notissimum axioma, quod maior non est potestas delegati illa delegantis. — *Minor* probatur seq. canone *Bonif. VIII in 6°, c. I de constit.* « Licet Romanus Pontifex (qui

» iura omnia in scrinio pectoris sui censetur ha-
» bere) constitutionem condendo posteriorem, prio-
» rem, quamvis de ipsa mentionem non faciat,
» revocare noscatur: quia tamen locorum specia-
» lium et personarum singularium consuetudines
» et statuta (cum sint facti et in facto consistant)
» potest probabiliter ignorare; ipsis, dum tamen
» sint rationabilia, per constitutionem a se noviter
» editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non in-
» telligitur in aliquo derogare ». — In casu igitur vigore *prioris constitutionis*, nempe Bullae Pianae (vel alius pontificiae constitutionis) ritus particulares, non modo recogniti sunt utpote consuetudines rationabiles, sed praescribuntur conservandi in ea forma quam habebant antiquiorem ducentis annis ante eamdem Bullam: et nemo non videt, quod hi Ritus, si tenerentur omnia et singula etiam generalia S. R. C. decreta servare (quae in primis pro Ritu Romano iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani rediguntur), sensim sine sensu ab ea forma discederent, in qua a iure sunt servati. — Imo, cum ipsorum rituum leges sint rationabiles, utpote ab Apostolica Sede probatae, per posteriores constitutiones, quibus profecto sunt comparanda S. R. C. decreta generalia, revocari non possunt, nisi expresse in ipsis caveatur: quia secundum citatum Bonif. canonem, rituum particularium leges a S. R. C. ignorari probabiliter possunt.

Haec, quae secundum ius certa sunt, etiam ab ipsa Apostolica Sede in praxi servantur: pauca et notissima afferam exempla, sed sufficient.

1. S. Pontifex Pius Pp. IX, decreto Urbis et Orbis *Quod iam pridem*, diei 25 Sept. 1863, quando

novum pro Immaculatae Conceptionis festo officium Missamque officio respondentem approbavit, ut hac lege tenerentur etiam Ritus particulares expresse declaravit « ut, *quicumque ritum serva-» rent a Romano diversum*, additionibus tantum » et variationibus proprio ritui respondentibus, » de consensu Apostolicae Sedis inductis, officium » novum novamque Missam omnes adsumere de-» berent »:

2. Quod non teneantur ritus particulares parere decretis generalibus constat etiam ex facto quod S. R. C. decreto 9 Iunii 1859 approbavit novam Breviarii Ambrosiani editionem Mediolani factam, non obstante quod in calendario et proprio Sanctorum eiusdem Breviarii non fuerint introducta Nova Sanctorum festa vel officia *generali decreto* ad universam ecclesiam extensa.

3. Eamdem novorum officiorum omissionem non improbavit S. R. C. in recognitione Breviarii et Missalis Ordinis Cistercensium, iuxta *votum ex officio* Rm̃i P. Aloisii Marchesi, eiusdem S. Congreg. Consultoris, *Romae editum an. 1868,* qui nostram sententiam coram ipsa S. R. Congregatione defendit (v. pag. 423 et seqq.).

Hinc ex praxi allegata censeri debet, ipsa Apostolica Sede annuente, *ritus particulares non teneri ad decreta generalia S. R. C. servanda.*

Si hoc dicendum *de decretis generalibus,* a fortiori idipsum affirmandum est *de particularibus,* datis ad personas aut ecclesias speciales: haec decreta utique pro regula ab omnibus Romano Ritu utentibus sunt habenda, modo de eorum authenticitate certo constet, et nulla adsit ratio aut circumstantia, quae aliter suadeat (V. Bouix

l. c. prop. III). Sed extendi non possunt ad ritus particulares; nam ibi esse non poterit eadem iuris dispositio, ubi non adest eadem ratio.

Ex dictis insuper statui poterit pro praxi: quod S. R. Congregationis decreta, cum non afficiant ritus particulares, etiamsi constet de illorum authenticitate, non sunt *privato* Sacerdotum *arbitrio*, qui Missali et Breviario a Romano diversis utuntur, alleganda; sed tantum ea, quae sequenda statuerint legitimi Ordinarii, quibus ex tacito vel expresso Romani Pontificis consensu post Bullas Pianas cuiusque particularis Liturgiae regulatio in sua Dioecesi vel Ordine competit: qui profecto ea tantum decreta declaraverint sequenda, quae cuiusque Liturgiae spiritui convenire iudicaverint; ita ut in eâdem antiqua forma perseverent, in qua a Summis Pontificibus servatae fuerunt.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Ebroicis in Normannia.* **De Angelus Domini et Regina Caeli recitandi modo, et tempore.** Quaeritur iterum an *Angelus Domini* in Sabbatis Quadragesimae stando recitari debeat, an genibus flexis; et an Sabbato ante Dominicam Trinitatis ad meridiem *Angelus Domini* dici debeat, vel adhuc *Regina Coeli.*

Resp. 1. Prima dubii pars alibi agitata in *Ephemeridibus* fuit an. 1892, pag. 547: altera eodem anno ad pag. 725. Diximus quoad primam,

Angelus Domini genibus flexis esse dicendum in Sabbatis Quadragesimae; et quoad alteram, in Sabbato ante Dominicam Trinitatis dicendum esse *Angelus Domini*, non autem *Regina Caeli*. At quoniam negotium resolutum quidem fuit, sed cum quadam formidine de opposito, iterum nunc propositum nobis est, ut veritas elucescat.

Ab expositis et data a nobis sententia non recedimus, sed id quod tenuimus et docuimus, tenemus adhuc et docemus: quippe in illis sit veritas. Namque ad *Angelus Domini* quod spectat, ratio, quae dubium gignit, est Encyclica, quae allegatur, Benedicti XIV d. d. 20 Apr. 1742, uti habet *Collectio Casuum* evulgata sub Ioanne Thoma Ghilardi, Montisregalis Antistite. Haec autem Encyclica doceret *Angelus Domini* in Sabbatis Quadragesimae dicendum esse stando, haud flexis genibus. Sed reponimus primo, huiusmodi Encyclicam esse suppositam; quod enim hac de re praescribit praelaudatus Pontifex non ex Encyclica provenit, sed ex sua voluntate patefacta per Notificationem Emi Vicarii Urbis. Secundo, animadvertendum in hac Notificatione nihil explicite dici de modo *Angelus Domini* recitandi in Sabbatis Quadragesimae, sed dari tantum legem generalem, vi cuius haec oratio stando recitatur a Vesperis Sabbati ad totam Dominicam sequentem, aliis vero diebus flexis genibus. Documentum huiusmodi habetur in libro manuali authentico, ad usum ipsius S. C. Indul. et cui titulus « Raccolta di Oraz. e pie Opere, per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze ». In hoc itaque legimus: « Summus Pontifex Benedictus XIV, die 20 Apr. 1742 per Notificationem

Emi Cardinalis Vicarii confirmavit superdictas Indulgentias, iubens, dictam orationem (*Angelus Domini*) a Vesperis uniuscuiusque Sabbati ad integram usque sequentem Dominicam, recitari stando ». Haec, nihilque peculiariter de Sabbatis Quadragesimae praefatus Pontifex. Quid ergo? Arbitramur, ex verbis Notificationis, *a Vesperis* scilicet *Sabbati ad integram usque Dominicam*, illatam fuisse conclusionem, contra quam stamus. Sicut enim Vesperae anticipantur in Quadragesima, et *Angelus Domini* post Vesperas dicitur; ergo, conclusum est, etiam in meridie Sabbati dicta oratio stando recitanda est. Sed ob specialia momenta alibi allata (*an. 1892, pag. 547 et 548*) praefatam conclusionem negamus. Eoque magis, quia apud S. C. Indul. dubium proposuimus, oretenus licet, nobisque responsum est, *Angelus Domini* in casu flexis genibus esse recitandum.

Resp. 2. Melius quam praefatam, alteram reiicimus sententiam de *Regina Caeli* dicenda in meridie Sabbati ante Dominicam Trinitatis. Primo, quia Decretum S. C. Indul. quod citatur, suppositum est, cum in Collectione authentica Decretorum, nec non et Praescriptorum, quae S. Indul. C. emanavit die 30 Nov. 1825, nihil omnino reperiatur. Secundo, quia in superallata Notificatione idem Pontifex Benedictus XIV loquitur etiam de tempore dicendi *Regina Caeli:* de qua sic se exprimit manualis liber authenticus superius citatus: « Iussit praeterea (*Bened. XIV*) ut tempore paschali perdurante (quod cum cantu *Alleluia* incipit in Missa Sabbati Sancti, et finem habet cum Missa Sabbati ante Dominicam SSmae Trinitatis) loco dictae orationis (*Ang. Dom.*), stando

recitetur Antiphona *Regina Caeli* cum versu et Oratione illi respondentibus ». Nunc autem Missa Sabbati ante Dominicam Trinitatis non dicitur profecto aut canitur post meridiem, sed ante, ergo ante meridiem cessat tempus paschale, et in meridie locum amplius non habet *Regina Caeli*, sed *Angelus Domini*, iuxta Benedictum XIV. Haec satis esse credimus ad utramque dirimendam quaestionem; quod si nostra nos fallit opinio, et adhuc ex Consociatis nostris aliquis certior esse desiderat, S. Indul. Congñem adibimus.

II. *Ex Austria et Italia.* **De saccharo in vinum immiscendo vel non auferendae agredinis causa.** Anno 1893 pluribus in locis ratione siccitatis sic uva maturationem assecuta fuit, ut vix aliquid retineret illius partis dulcedinis, quae a saccharo nomen accipit. Nunc fit dubium, utrum pro vino sacrificii parando statim ac uva pressata est, misceri eidem possit aequa proportione saccharum, nempe duo chil. pro unaquaque 100 litr. mensura.

Resp. Quantum memoria tenemus, S. Officii Tribunal super immiscenda vino Missae alia materia, ter locutum est. Die 30 Iul. 1890 declaravit, posse immisceri vino albo tantam spiritus alcool mensuram, quanta, una simul cum ea quam vinum naturaliter continet, satis est, ut non excedat proportionem duodecim pro centum. Admixtio praeterea facienda iubetur, quando vinum est valde recens. Eiusmodi vinum adhiberi pro Missa licite potest. Sequenti anno 1891, de 19 Apr. iterum idem S. Tribunal decrevit, non posse adhiberi pro Missa vinum, si addantur illi decem partes spiritus pro centum ut conservetur, praeter alcool mensuram, quae naturaliter in eodem vino con-

tinetur. Denique anno 1892 d. 9 Maii ab eodem Tribunali declaratum est, chimico quodam processu ad vini pro Missa naturalem agredinem corrigendam uti *non expedire*. Eiusmodi processus consistebat in exprimendo ex vinacea quamdam salis speciem, cui nomen tegnicum *tartarato di potassa*, quod vino immiscebatur.

Huic postremae dispositioni innixi, sequenti ratione propositam nobis difficultatem solvimus. Sal praefatum, cuius mixtio cum vino pro Missa non expedit, adhiberi non debet. Iam nunc quodnam intercedit discrimen inter eiusmodi sal, et saccharum, de cuius usu in vino disputatur? Quid sal? Materia, quae e vinacea exprimitur: adeo ut quamdam dicat vino relationem. Et nihilominus S. Tribunal iudicat, eius vino admixtionem non expedire. Quid saccharum? Materia quae ex cannis ab eodem nomine dictis extrahitur, et ex aliis vegetalibus, quae nullam cum vino relationem habent. Equidem ex tartaro dolii, in quo vinum permansit, extrahi et saccharum potest: quod tamen generaliter non fit. Si ergo S. Tribunal illud sal non immiscendum vino declarat, quod pro Missa inservire debet, quanto magis rogata nec saccharum istud eidem vino esse immiscendum responderet? Hinc nobis liceat ad propositum dubium respondere: negative. Non enim hic agitur de spiritu alcoolico, qui ad vinum conservandum simpliciter adhibetur, sed agitur de materia, quae vini naturam quodammodo tangit, cuius agredinem in dulcedinem mutat. Si ergo sal praefatum adhiberi non expedit, nec expedit saccharum ad eumdem finem adhiberi.

III. *Ex Alexandria in Pedemontio.* **De privilegio Vigiliae Epiphaniae, num anniversarium legatum admittat.** Certum ne est adeo leviter esse privilegiatam Vigiliam Epiphaniae, ut anniversarium admittat, etsi legatum a testatoribus?

Resp. Inter dies privilegiatos recenseri Vigiliam Epiphaniae, nemini dubitandum, id explicite Rubricis testantibus. In quo autem consistit privilegium? Primum, quod illi Rubricae concedunt, est ius commemorationem habendi quocumque occurrente festo (*Tit. VI, n. 2*). Praeterea ritus est semiduplicis, officium habet quasi integrum, solis nempe exceptis lectionibus propriis, desumptum ex festo Circumcisionis et Dominicae infra octavam Nativitatis. Denique commemoratione gaudet etiam in primis Vesperis, quae neque in concursu cum festo duplici primae classis omittitur. Hinc auctores plures, uti Gavantus (*Sect. 6, cap. 7, n. 1*), Guyetus (*Lib. 4, cap. 12, quaest. 7*), et Cavalerius (*Tom. 2, cap. 15, num. 18*) iure concludunt, eiusmodi Vigiliam suffectam esse illi Dominicae, quae saepe occurrit inter Circumcisionem et Epiphaniam, et cuius officium veluti suppressum manet ob octavas S. Stephani, S. Ioannis Ev. et SS. Innocentium, ut Dominica vacans soleat nuncupari. Unde inferunt, Vigiliam istam aequivalere Dominicae, et semiduplicia excludere, sicut excluduntur a Dominica, dum tamen sicut ista, ita et illa, duplicia occurrentia admittit. Huic sententiae et cl. noster Marchesi subscribit, et nos cum ipso subscribimus. Translatio autem S. Thelesphori, si ea in vigilia occurrebat, olim Romae facta, casus est particularis, nihil probans, uti praefatus Marchesi satis osten-

dit: sicuti nil valet exemplum particulare Hispaniae, quod officium etsi semiduplex S. Thomae Cantuariensis in hanc eamdem Vigiliam transfert.

Iam nunc ex expositis arguendum ne, ab huiusmodi Vigilia excludi anniversaria fundata? Reponimus negative. Primo, quia Vigiliae, ut anniversaria impediant, magis esse debent privilegiatae, quam ista: ea videlicet debent excludere festa duplicia, in quibus anniversaria vetantur, uti sunt Vigiliae Nativitatis Domini et Pentecostes. At de Vigilia Epiphaniae id praedicari nequit; excludit enim tantum semiduplicia, sed duplicia occurrentia admittit, a fortiori duplicia maiora, quibus profecto diebus festis anniversaria fundata permittuntur. Ergo iure dicimus, eadem quoque permitti in ipsa Vigilia Epiphaniae. Secundo, auctores generatim inter dies anniversaria impedientes, Vigiliam Epiphaniae non recensent, uti videre praecipue est in A Carpo (*Calend. perp. cap. 8, n. 30*), qui de hac Vigilia tacet omnino, et in De Herdt (*pars 1 n. 60*), qui aperte docet, anniversaria fundata permitti *omnibus diebus, etiam in duplici minori et maiori, ac in Vigilia Epiphaniae:* deinde exceptiones recenset. Tertio, quia nec desunt decreta id confirmantia. Namque Decretum *Cadurcen.* d. d. 9 Maii 1857 ad II declarat, *diebus secunda, tertia, quarta, et quinta Ianuarii licere decantare Missas de requie... de diebus tertio, septimo, trigesimo et anniversario.* Praeterea Decretum ultimum, adhuc ineditum, quod relatum nihilominus legi potest in *Caeremoniale Romano Seraphicum*, inter Vigilias privilegiatas anniversaria impedientes, non recenset Vigiliam Epiphaniae (*Decr. Gen. 2 Dec. 1892*).

Ulterius animadvertendum, inter anniversaria fundata seu a testatoribus relicta, et privata seu ad petitionem viventium, impraesentiarum amplius non esse distinguendum. Certo enim id constat, seu ex Decreto in *Neapolitana* d. d. 23 Febr. 1884 ad 7, seu ex recentiori Decreto Generali mox citato.

Ex quibus omnibus satis superque patet responsio omni certitudine gaudens, pro dubio proposito resolvendo, nempe: Affirmative, seu in Vigilia Epiphaniae permittuntur anniversaria, seu fundata seu privata.

Nota. Festum S. alicuius patroni praecipui loci potest esse quidem secundarium *per se,* sed *ratione patronatus* semper est primarium. Nunc autem festa patronalia cedunt tantum festis solemnioribus universalis Ecclesiae, nunquam aliis, sive de occursu, sive de concursu agatur. Ex eiusmodi ineluctabili principio facile resolvet adm. Rev. Inquirens, B. M. Virginem sub titulo salutis, civitatis Patronam, neque in occursu neque in concursu debere cedere festo SS. Sindonis, licet aequalis ritus, sed potioris dignitatis.

IV. *E Dioecesi Dertonensi.* **De occursu inter festum sept. Dolorum Deiparae et SS. Mauritii et Socior. dupl. mai.** Festum sept. Dolorum Deiparae incidit anno 1895 cum alio Deiparae festo, seu SS. illius nomine, de quo agendum est, et transferendum festum sept. Dolorum in proximiorem Dominicam, seu quartam Septembris. At in hac quarta Dominica in pluribus Ecclesiis occurrit festum, fixum diei 22 Sept., Ss. Mauritii et Sociorum Mm. Cum itaque utrumque festum, mobile et fixum, sint ritus

dupl. mai. quaeritur, de quo agendum et quodnam transferendum?

Resp. Ex Decreto *Urbis et Orbis* 16 Sept. 1815 festum sept. Dolorum Deiparae, si in die sua, cedit tantum SS. eiusdem Virginis Nomini, quando in Dom. 3 Sept. occurrit octava Nativitatis eiusdem Virg., diebus octavis et duplicibus 1. vel 2. cl. In die vero translata, licet praefatum Decretum iubeat, idem festum solis etiam cedere duplicibus 1. et 2. classis; nihilominus mitigatum ipsum fuit per alterum Decretum d. d. 12 Aug. eiusdem anni. In hoc autem statuitur, ut festum Dolorum translatum in die sua impeditum *transferri debeat in proximiorem Dominicam, etiam si incidat cum festo ritus dup. min. dummodo non sit dies octava* alicuius festi; tunc enim, uti ex contextu patet, iterum festum sept. Dolorum transferendum esset. Ergo patet, festum septem Dolorum in die translata, a duplici minori non impediri (die octava excepta): haec lex. Quid ergo de duplici maiori iudicandum? Porro adm. Rev. Inquirens iure animadvertit, duplex maius non esse duplex minus; quod ergo festum lex iubet non impediri a duplici minori, optimo iure concluditur impediri a duplici maiori. Perfectam huiusmodi ratiocinandi rationem, nostram facimus, et inferimus in casu agendum esse de Ss. Mauritio et Sociis, in aliam proximiorem Dominicam translato sept. Dolorum festo. Et sane, si Decretum voluisset praeferre festum sept. Dolorum duplici, seu minori seu maiori, indubie dixisset: *etiam si incidat cum festo dup. min. vel maioris;* atqui locutum est solummodo de duplici minori, et tacuit de maiori, ergo festum Dolorum non impeditur ab illo, sed impe-

ditur ab isto, inclusio namque solius dup. min. est exclusio dup. maioris, uti patet.

Adde, hunc argumentandi modum vim maiorem nunc acquirere post Gen. Decretum de primariis et secundariis festis: vi cuius festa Domini, Deiparae etc. secundaria, quamvis maioris dignitatis personalis, cedere debent primariis Sanctorum si eiusdem sint ritus. Ita in casu, cum privilegium festi Dolorum ad casum propositum se non extendat, festum fixum Ss. Mauritii et Soc. Mm. indubie primarium, occurrens vel etiam concurrens cum festo mobili translato septem Dolorum Virginis, citra controversiam secundario, huic praevalere debet.

Nota. De Decreto particulari silemus, utpote decisioni circa festa primaria et secundaria anteriori. Sciendum interim, particularia responsa aliquid contrarium disponentia, vim amplius habere posse, uti per se patet. Eiusmodi est Decretum in casu, de quo adm. Rev. Inquirens loquitur: ad quod proinde iam non est attendendum. Hinc facile inferat adm. Rev. Inquirens, ordinationem Calendarii a se factam, nobisque ostensam, aequam esse, et ad Rubricarum Decretorumque normam.

V. *Ex Hispania.* **De iure mulieris post partum benedicendae.** Quis potest Mulieri post partum benedicere? solus ne Parochus, an quivis alius Sacerdos?

Resp. S. R. C. plura hac super re Decreta vulgavit, et ipsa S. C. Conc. super eadem materia rescripsit. Ab his decisionibus referendis abstinemus, utpote abunde notis. Veritatem tamen certam docemus, quae sequens est, et constat etiam ex recentiori sed inedito S. R. Congnis decreto.

Parochus de iure potest, et *ex obligatione* benedicere *debet* mulierem post partum, si exoratus: quivis vero alius Sacerdos idem, si exoratus, *potest* tantum. Ita plura Decreta, quae contraria sibi videntur, apprime consonant.

Nota 1. Quando plures Collectae ab Ordinario sunt imperatae, uti communiter auctores docent, ordo Missalis optime tenetur: qui ceterum satis est commodus ex una, ex alia parte alius ordo, ex. gr. ordo temporis, quo fuere praescriptae, nullam praesefert gravitatem.

Nota 2. In Missa solemni coram Sacramento exposito, post recitatum *Gloria*, sicut et *Credo*, Celebrans et Ministri genuflectunt super pradellam, et deinde per breviorem ad sedendum pergunt. Genuflexionem iterare postquam e pradella descenderint, est actus prorsus supervacaneus et inutilis, quem neque lex, neque Ecclesiarum observantiorum consuetudo cohonestant.

VI. *E Regione Belgica.* **De repositione duorum festorum, quorum primarium alterum, alterum secund.** Si transferri debeant Cathedra S. Petri Antioch. (22 Febr.) et S. Benedictus Abb. (21 Mart.), quonam ordine reponenda sunt haec festa?

Resp. Notum satis est adm. Rev. inquirenti, uti in Dubii expositione notat, Cathedram S. Petri esse festum secundarium, sicuti S. Benedictum, in casu, festum primarium, est enim illius dies natalitia. Hoc satis superque constat ex catalogo festorum, quae S. R. C. exhibet, seu primaria, seu secundaria. Nunc autem aeque indubium est, ex Decreto Gen. d. d. 27 Iun. 1893, festa secundaria Sanctorum omnium cedere festis eorumdem primariis, in occursu, in concursu, atque in re-

positione, maxime si ritus aequalis, quo gaudent, sit duplici minori superior. Vix ergo intelligitur ratio propositi dubii; quidquid nihilominus sit, certum est, in casu prius esse reponendum S. Benedictum, et postea Cathedram S. Petri. Diximus, *maxime si ritus aequalis sit duplici minori superior;* quia, licet Doct. Piacenza Decretum superius citatum intellexerit universaliter, et applicaverit non solum duplicibus I et II classis, ac duplicibus maioribus, sed etiam duplicibus minoribus, imo et semiduplicibus; nihilominus de his duobus inferioribus ritibus institui fortasse posset controversia. Sed cum S. R. C. impraesentiarum huic det operam quaestioni, eius decisio expectanda est, cui nostram sentiendi rationem, quam cum praefato cl. Coadiutore nostro nunc dividimus, libenti animo subiiciemus.

VII. *Ex eodem loco.* **De Missa convenienti cum officio in Oratorio privato.** Sacerdos saecularis tertio Ordini S. Francisci adscriptus eiusdemque Ordinis Breviario utens, celebrat in Oratorio non publico Monialium, orphanos curantium, sed nullo modo chorum habentium. Recitare ne potest Missam suo officio conformem, dioecesis calendario prorsus neglecto?

Resp. Affirmative. Ex Decreto *Viglevanen.* d. d. Iun. 1888 constat Sacerdotem saecularem tertio Ordini S. Francisci adscriptum, posse sequi eiusdem tertii Ordinis calendarium *quoad officium et Missam.* Sacerdos autem in casu celebrat non in Ecclesia, ubi occurrere quaestio posset de colore, sed in Oratorio non publico, seu privato Monialium, quae cum chorum non habeant, Missam non tenentur audire conventualem, proprio officio con-

formem. Atqui Sacerdos quicumque, sicut in Ecclesiis, quando idem sit color, ita in privatis Oratoriis semper Missam potest et debet celebrare officio suo respondentem, ergo.

Dices quidem, officium non esse ex calendario Dioecesis, ac proinde praeceptivum, sed ex calendario tertii Ordinis et indultivum. Id non negamus, sed cum iure illud officium recitaverit, et Missa cum officio in casu concordare debeat; non videmus qua de causa eiusmodi Celebrans prohiberi valeat a Missa dicenda, quae cum officio conveniat. Itaque, casu excepto de solemniori festo, quod apud dictas Moniales celebretur, in quo Celebrans de eodem festo Missam tenetur facere, ut saepe accidere potest, Sacerdos in Oratorio privato celebrans, non solum potest, sed et tenetur Missam facere officio suo conformem.

VIII. *E Provincia N.* **De praecedentia in communione recipienda clericum inter et laicum.** Puer laicus inservit Missae, in qua ipse et alius qui est clericus communicant: cuinam ex ipsis primo danda communio?

Resp. Si clericus cotta indutus accedat ad communicandum, prius credimus ei dandam esse communionem, quam laico, licet inservienti Missae. Idem dicas, si clericus Missae ministret, vel religiosus laicus, et Sacerdos vel Diaconus superpelliceo stolaque indutus accedat ad communicandum: his communio danda primo est, non clerico inservienti. Ratio est, quia clericus superior est laico, et Sacerdos vel Diaconus clericis aliis superior. Diximus tamen *si cotta clericus, Diaconus et Sacerdos etiam stola induti accedant ad communicandum;* quia nisi in forma appareant,

seu proprio habitu induti, Celebrans distinctionem facere non tenetur, et saepe nequit. Ceterum communio sine superpelliceo pro clerico, ac sine cotta et stola pro Diacono aut Sacerdote, habetur uti communio mere laica. Hoc autem in casu valere iudicamus rationem ministerii, ob quam inserviens prius communicandus est, quam alii, etiam quavis praeminentia neglecta.

Equidem cl. De Herdt hoc notat (*pars 2, n. 276*): « In Missa privata minister ratione ministerii communicandus est ante ceteros, quamvis digniores ». Sententiam munit Decreto S. R. C. *Galliarum* 13 Iul. 1658. At Decretum istud quaerit tantum, utrum minister Missae privatae communicari debeat post vel ante Moniales. Porro S. R. C. respondet: « In casu praedicto ministrum Sacrificii non ratione praeeminentiae sed ministerii praeferendum esse ceteris, quamvis dignioribus ». At quinam sunt ceteri in casu, nisi moniales, et viri saeculares? Verum, aliud est loqui de monialibus, aliisque in genere communicantibus, aliud est loqui de iis qui ad clerum pertinent, si proprio relativo habitu ad altare accedant. Haec nostra sentiendi ratio, quam recto sensui liturgico innixam censemus, dum alia opposita eidem apparet satis adversa, et quamdam admirationem nisi scandalum pareret.

IX. *Ex Italia centrali.* **De Collectis in Ordinationis Missa dicendis.** In Missa Ordinationis sacrorum ministrorum, Orationibus praescriptis addere ne debet Episcopus Collectas, puta pro Papa, pro Ecclesia, ad repellendas tempestates etc.?

Resp. Affirmative. Satis notum ponimus, hanc Ordinationis Missam, si fiat tempore in iure sta-

tutis, esse debere de feria: si extra tempora, de festo; quamquam Ordinatio quae fit, non sit generalis de omnibus, sed de aliquibus tantum, ex. gr. de Subdiaconis tantum, de aliquibus Diaconis, vel de aliquo tantum Sacerdote. Hoc explicite declaratum legitur in una *Compostellana* d. 18 Sept. 1675 ad 7. At idem Decreti Dubium septimum quaerit de commemoratone Duplicis occurrentis, si Missa fit de feria, et de com. feriae, si Missa sit de festo occurrenti. Et S. R. C. nihil ad hoc respondet: quod significat, commemorationem de qua in casu omittendam esse, uti aperte etiam declaratur in Decreto *Conchen.* aliisque pluribus. Quod vero Collectas attinet, seu Suffragia, quas feria exigit, dubitari non potest; quia mox citatum Decretum eas exigit, quamvis commemorationem festi occurrentis excludat. En verba praecisa: « In Missa Ordinationum.... etiamsi occurrat festum duplex, facienda consueta Suffragia, ac Missam prout iacet, ac si non esset festum duplex celebrandam (*25 Ian. 1658*) ». Haec quoque praxis Archibasilicae Lateranensis in Ordinationibus Generalibus: ut proinde certa res sit atque in praxi omnino tenenda.

DE VITA ET OPERIBUS
IOANNIS PETRALOISII
PRAENESTINI
MUSICAE PRINCIPIS

(*Contin. V. num. 3, pag. 172*)

Sic ergo res ad ecclesiasticum cantum quod attinet se habebant, cum Petraloisius noster musices arti animum adiecit. Propositum hoc instaurationis signat exordia divinae musices artis, illiusque scholae originem, quae peritorum omnium admirationem in se iugiter concitavit.

Petraloisius vero, duce Goudimel, eo usque in musica progressus est, ut nedum optimos inter sodales, uti Animuccia, Merlo, Bettini, brevi, longe anteierit; verum ipsum magistrum. Ad instar ergo fulgidissimi solis Belgici magistri scholam deseruit, ceteros musicae peritos obnubilavit, exploratas leges cantui posuit, opera edidit summa arte perfecta, perenne exemplum posteris relinquens.

Musicali vero arte satis percepta, Praenestae moratus est; sedemque Romae non fixit, quam vel post connubium cum Lucretia de Goris, anno scilicet 1547, vel statim post annum 1544, cum hocce anno praecise musices magistrum Praenestinae Cathedralis reperiamus.

Nihilominus certum est, nescimus tamen an a viro aliquo potenti vocatum, consilium tandem coepisse Romae commorandi, summorum virorum scilicet in urbe, et ubi nobilissimus ipsius animus quidquid praeclarissimo suo ingenio satisfacere

posset facile invenire poterat. Et Romae reipsa mirum suum explicuit ingenium, et divinas illas composuit melodias, sibi immortalitatem pariens, Ecclesiae decorem.

Primum autem munus, quo in alma Urbe Praenestinus functus est, illud fuit, pueros Capellae Iuliae in Basilica Vaticana, musicam docendi. Antiquissimi enim est instituti in Ecclesia Dei cantum pueros erudire. Exempla extant iam usque a saeculo VII, quo *Pueri sinphoniaci* dicebantur. Innocentes namque argenteasque ipsorum voces animarum moderatores *scholarumque cantoribus* praepositi in media aetate in Basilicis institutarum, potiores habebant, ad demulcenda corda atque ad animos in Deum elevandos. Nec quisquam putet haec Petraloisii primordia nimis obscura fuisse; numquam enim obscurum munus dicendum, etiam rudimenta tradendi cuiuscumque artis vel scientiae, dummodo scite convenientes artis vel scientiae tradantur regulae. Hinc ex Aniciorum familia maximus Gregorius cantu ecclesiastico pueros imbuere minime dedignatus est.

Capellam autem, ubi ipse munere suo fungebatur, quae et impraesentiarum etiam Iuliae nomen obtinet, Iulius Papa II instituerat Bulla « *In altissimo* » data die 19 Februarii 1513. Bonis insuper eam dotaverat, quibus nonnullis satisfaciendum erat cantoribus et cuidam scholae, ad pueros musicam latinamque grammaticam erudiendos institutae. Nihilominus capella haec stabile non obtinuit fundamentum, nisi sub Paulo III, anno 1547. Huius ab exemplo aliam erexit capellam in Sacrosancta Lateranensi Protobasilica Cardinalis Dominicus De Cupis romanus. Imo Ro-

mani Pontifices fere omnes studium omne insumpsere, ut, praesertim in papalibus functionibus, quam optime caneretur. Frustra tamen sive ob temporum imperitiam, sive ob peritorum deficentiam. Ad quos Pontificum circa cantum conatus quod attinet, celebre est quod accidit Nicolao V Pontifice. Cum enim ipse quosdam musices peritos stipendio conduxisset pro sua capella, quadam die clarum eruditissimumque Cardinalem Dominicum Capranica sciscitatus fuit de cantoribus a se vocatis. Cui ille, audacter quidem sed vere: Pater sancte, inquit, videntur *sacculus porcellis plenus: clamantium strepitum percipio: praeterea nihil* (*Catalani De vit. et script. Card. Dom. Capranica, pag. 125*).

Sed neque alia ratione negotium se habere poterat; cum ipsa musices ars ac ratio exequendi liturgicum cantum sive modulatio valde imperfectae tunc essent. Hinc etiam austerus Dominicanus Frater Hieronymus Savonarola, a S. Philippo Nerio sanctus existimatus, caninos cantorum ululatus lamentabatur taureasque voces, ac permagnam confusionem qua templum Dei resonabat.

Ast, diximus iam, Petraloisii aevum instaurationis signat exordia divinae musicalis artis, novique temporis initium. Eiusdem opera summa arte perfecta ceterarum scholarum exemplar fuerunt, perennis fons ex quo abunde hauserunt subsequentes magistri, speculumque cantus prodigia replicans.

Primigenia Petraloisii opera, quatuor sunt Missae quatuor vocibus canendae, primumque constituunt eius Missarum librum Iulio III Pontifici nuncupatum, et Romae editum anno 1554 a fratribus

Valerio et Aloisio Dorico. In ipsis tamen frustra omnes musicae virtutes quaereres, cum Belgicam scholam redoleant, e cuius vinculis nondum Praenestinus expeditus erat. Nihilominus propter maiestatem quandam ac delicatam quam spirant suavitatem, praecellebant iam. Ideoque melodiae istae veluti primi gradus habendi sunt gigantis, cui musicale stadium brevi currendum erat, bravium accipiendum, ceterosque magistros musica antecedendum. Satis imperfectam musicalem ipse repererat artem, onus eapropter ei incumbebat eam suis operibus instaurandi, exploratas ei leges ponendi, ostendendique divinae musices artis optimum ac perfectum, tam templi Dei sanctitati conveniens.

Et Deo iuvante, mirabile eius ingenium Belgicae scholae vitia emendavit. Sed etiam tunc temporis itala schola haud quidem perfecta erat, imo nihil decoris allicientisque praebebat. Praeclari expertissimique magistri haud perpauci conati fuerant musicam emendare, incassum tamen. Permulti insuper, etiam Petraloisii aevo, musicales prodiere libri, inter quos emicant Zarlini scripta; verum et hi optimum illud perfectumque nondum attigerant, veluti exemplum posteris monstrandum. Incassum etiam huic operi ac labori exsudavere Spatarius Bononiensis, Gafurius Laudensis, Paulus Florentinus, Anselmus Patavinus ac Philippus Saticulanus. Petraloisii enim nostri erat musices artem, ut ita dicam, formare atque ad apicem perfectionis perducere.

Iulius Papa III (*del Monte*), Petraloisii compositiones plurimi faciens, inter Capellanos Cantores Pontificios eum cooptavit, quibusdam dero-

gans praescriptionibus, die 5 Augusti 1553 motu proprio ab ipso emanatis, quibus Praenestino utpote matrimonio iuncto, Cantorum Collegii aditus praecludebatur. Cantores vero aegre tulerunt Praenestinum adscisci in eorum numerum, constrictaque fronte eum exceperunt, nescimus tamen an ob derogationem id acciderit, an potius ob spiritum nationis; etenim cantores fere omnes Capellae Sixtinae alienigeni erant, praesertim e Flandria. Haec Praenestini inter Pontificios Cantores cooptatio die 13 Ianuarii praecise accidit anni 1555, uti ex quodam Diario manuscripto eruitur a Baini relato. Successor autem Petraloisii in Vaticana Basilica, quam ob novum officium reliquerat, fuit Florentinus Animuccia, S. Philippo Nerio aeque ac Petraloisius noster, carissimus.

Sed haec Petraloisii initia fuerunt dolorum. Iulio enim III vita functo, paucissimis tantum diebus Marcellus II summum pontificatus honorem adeptus est, eique subrogatus fuit Paulus IV (*Caraffa*), vir quidem mira sanctitate ac vitae innocentia clarus, sed austerus nimis rigidusque. Is autem cum aulae mores in melius corrigere coepit, Pontificiae Capellae Cantorum haud oblitus est; eiusque aditum uxoratis absolute prohibuit, quamquam ceteroquin spectatissimis, atque debitis facultatibus rite inscriptis. Hinc Praenestinus noster, Dominicus Ferrabosco, ac Leonardus Barè Gallus, compulsi fuerunt Capellam deserere, unice quia uxorati, uti ex motu proprio Pauli IV « *Licet Capellae nostrae* » diei 30 Iulii 1555, manifestum fit. Est autem sequentis tenoris: « ***Mandantes eiusdem Capellae Magistro ac cantoribus capellanis, quatenus, visis praesentibus, eos-***

dem Leonardum, Dominicum, et Petrum Aloysium ab eadem Capella et divinorum officiorum in ea decantatione et aliorum capellanorum numero et consortio cassent, eiiciant et amoveant, nec eos de caetero in eadem Capella divina officia aut alias decantare permittant ». Sed Petraloisius noster ob hanc severissimam et nescimus quousque aequam dispositionem, etiam antequam decretum executioni mandaretur, moeroris magnitudine in morbum inciderat. Moeror ex duplici caussa promanavit: primum quidem quia sine causa deletus erat de spectatissimo cantorum collegio: secundo vero quia omni officio et munere vacabat, impar eapropter se, uxorem liberosque alendis. Vix enim exiguam pensionem praedicti tres expulsi obtinere potuerunt. Verum quale solatium tam parva res miseris afferre poterat? Miseris inquam in Urbe degentibus, ubi magnas expensas agere plane necessarium est? Heu miserum Petraloisium! Etiam de te illud confirmatum est, summorum esse virorum alia ex aliis in fata vocari.

Nihilominus tam praeclara erant Praenestini merita, ut Pontifices, qui post Paulum IV Petri cathedram ascenderunt, magno eum affecerint honore, sive ob eius miram in musica peritiam, sive etiam ob labores haud paucos, quos antea pro Ecclesiae decore ac ornamento sustinuerat. Sixtus V in magistrum Sixtinae Capellae eum eligere cupiebat, quamquam ob rationes ex ipso cantorum collegio exortas abstinuerit. Attamen Pius IV maximi eius musicalia opera faciens, suae Capellae compositorem nuncupavit cum attributione quadam menstrua, munus apposite pro ipso constitutum anno 1565. Insuper non multo post

eius e Sixtina Capella expulsionem, aliqua Romae obivit munera, quae, quamquam perpauca ex ipsis pecunia confici posset, quietem tamen tranquillitatemque illam ipsi attulerunt, tam necessariam ut illas componeret melodias saeculorum miraculum.

(Continuabitur). IOSEPH CASCIOLI.

APPENDIX

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

NICOTEREN. ET TROPIEN.

DUBII SUPER ORATORIO EPISCOPI

Die 16 Decembris 1893.

Labente mense Septembri currentis anni, Episcopus Nicoterensis et Tropiensis insequens dubium pro solutione obtinenda S. V. O. humiliter subiiciebat:

» *An Episcopus, dum extra suam dioecesim degit, tempore a sacris Canonibus concesso, sive in domo propriae familiae sive in extranea domo vel in publico contubernio, gaudeat quoad Missam iisdem iuribus, quibus in Oratorio sui Episcopii, ita ut quilibet sacerdos celebrare queat, et Christifideles praecepto de audiendo sacro diebus festis satisfaciant* ».

Porro, ut aliquid breviter pro meo munere animadvertam, recolendum in primis videtur indultum fuisse Episcopis ex *Cap. XII De Privilegiis in VI,* « ut altare possint habere viaticum et in eo celebrare ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare vel audire divina. » Huic autem privilegio neque derogatum fuisse per disposita a S. Synodo Trid. *Sess. XXII dec. de observ. et evit. in celebr. Mis.*, neque per decr. a Paulo V anno 1615 latum, monet clar. Monacelli *Form. leg. pract. parte 2. pag. 38, Edit. Rom. 1844,* qui praeterea haec addit: « Imo habet Oratorium illud privilegium oratorii publici: nam interessentes, etiamsi extranei sint, quando Episcopi inibi celebrant, tam

in dioecesi quam extra, satisfaciunt praecepto ecclesiae de audienda missa diebus festis, ut respondit *Sac. Cong. Concilii 22 Sept. 1640 in Nullius, lib. 16 Decr. pag. 421, et praecedenter 17 Augusti 1630 provinciae Lombardiae, lib. 14 Dec. pag. 318; in Matheranen. 6 Augusti 1616, lib. 37, pag. 147*, etiamsi sit Episcopus titularis, *ead. Congregat. in Valentina 1616;* quia, ut inquit divus Hieronymus scribens Evagrio, « ubicumque fuerit Episcopus sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriae, sive Tanis, eiusdem est sacerdotii »; verum est tamen, quod hoc privilegio uti non possunt extra domum propriae habitationis, ut ad tollendos abusus declaravit *ead. Sac. Congregatio 15 Decembris 1703*, quod decretum typis impressum et publicatum SS. D. N. Clemens XI approbavit. Attamen Eñus D'Annibale *Summ. Theol. Mor. part. 3, l. 1, tract. 1, n. 3* (*11*) postquam docuerit oratoria Episcoporum, etiam sede vacua aut Praesule absente, tamquam publica esse habenda, haec observat: « Verum Episcopos hic accipere debemus non titulares in partibus (*Gattic. XVII 15, Gardell. n. 4547*) *;* domus autem, non quas utcumque habitant, ut puta in agro rusticandi causa, sed aedes in quibus, sive in ipsa urbe episcopali, sive extra habitualiter resident: » atque idcirco addit (*16*) praecepto missae audiendae diebus festis, in oratoriis Episcoporum titularium fideles haud satisfacere.

Sed missis Doctorum auctoritatibus, quae plures adhuc allegari possent quin tamen quaestionis decisio inde efflueret, referendae potius videntur S. V. O. resolutiones prout ex libris Decretorum diligenter evolutis transcribendas curavi. Ac in primis, ut praeteream *Matheranen. 6 Augusti 1616*, et *Valentinam 30 Maii* eiusdem anni, quae nullimode ad rem faciunt, occurrit declaratio edita die 17 Augusti 1630, qua S. C. respondit Praesulibus provinciae ecclesiasticae Mediolanensis: « Episcopos oratorio quocumque tempore uti posse *cap. fin, de priv. in IV.* » Praeterea die 22 Septembris 1640 cum proposita fuissent dubia: « 1. An ex Decreto S. C. Tridentini *De obs. et evit. etc.*, ex decreto s. m. Pauli V *De privatis oratoriis*, sit in aliquo derogatum privilegio Episcopis concesso in *Cap. fin. de priv. in VI.* — 2. An interessentes, etiam si extranei, quando Episcopus celebrat seu celebrare facit in huiusmodi privatis oratoriis, tam in dioecesi quam extra satisfaciant Praecepto Ecclesiae de audienda missa: » S. C. rescribendum censuit: « Ad 1^{um} *Privilegio Episcoporum ut supra concesso in cap. fin. de priv. in VI non*

fuisse derogatum a S. C. Tridentino nec a decreto s. m. Pauli V super oratoriis privatis. Ad 2.um *Omnes interessentes satisfacere praecepto missae diebus festis.* » Rem tamen conficit Decretum a S. H. C. latum die 15 Decembris 1703 et dein s. m. Clementis XIV approbatione roboratum. In eo enim EE. PP. animadvertebant, plures abusus hac in re, opera nonnullorum Episcoporum, praesertim in regno Neapolitano et in ipsa Neapoli civitate, irrepsisse; « siquidem nonnulli Episcopi etiam in aliena dioecesi et extra domum propriae habitationis, in privatis laicorum domibus erigi faciunt altare, ibique per unum aut plures ex suis cappellanis vivificam Christi hostiam immolare etc. » Quibus abusibus occurrere volentes expresse declaraverunt: « Episcopis et his maioribus Praelatis, etiamsi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub praetextu privilegii clausi in corpore iuris, neque alio quocumque titulo ullo modo licere extra domum propriae habitationis in domibus laicis etiam in propria dioecesi, quod fortius intelligitur in alia, etiamsi dioecesani consensus adhiberetur erigere altare ibique sacrosanctum missae sacrificium celebrare seu celebrari facere etc. »

Tandem commemoranda etiam videntur, quae leguntur apud Gardellini *Decret. Aut. C. SS. RR. v. 3, pag. 108 et seq. edit. tertiae*, quae licet circa Episcopos mere titulares versentur, nihilominus et Episcopis extra dioecesim degentibus aliquomodo possunt aptari. (ibi): « Quum non una eademque sit auctorum omnino sententia de privilegiis, quibus Episcopi titulares praesertim gaudent relate ad missae celebrationem, dum in propria vel aliena dioecesi peragrantur, ad quascumque eliminandas dubitationes, sequentia dubia in ordinario conventu Sac. Rit. diei 22 Augusti 1818 Emis et Rmis Patribus enucleanda proposita sunt, nimirum: « 1° Utrum Episcopus titularis valeat, sine speciali Rescripto erigere altare ubicumque is velit, etiamsi in domo suae habitationis iam extet cappella ad usum propinquorum suorum? 2.° Utrum possit permittere, ut aliae praeter suam, Missae celebrentur? 3.° Utrum dicta vel dictae Missae valeant pro adimplendo praecepto, etiam pro propinquis secum commorantibus, et pro aliis personis tam eius servitio addictis, licet actu Missae non necessariis, quam etiam suorum parentum secum habitantium? 4.° Num celebrare ipse possit vel celebrare facere diebus in Indulto Apostolico exceptis? 5.° Utrum in casu quo illius propinqui, qui Oratorio privato gaudent, Missam iam celebrare per-

miserint, valeat Episcopus permittere, ut praeter suam alia quoque celebretur? » S. RR. C. respondendum censuit: Ad 1.um *Affirmative.* Verum consulendum SSmo pro extensione privilegii, videlicet quod Episcopi, in casibus a iure permissis, hospitantes domi vel parentum vel extraneorum, qui gaudent Indulto oratorii, possint et valeant in eodem celebrare vel celebrare facere, loco et vice arae portatilis, quod tantum extra propriam dioecesim indulget Bonifacius VIII *Cap. Quon. Episcopi De priv. in 6.*° servata in reliquis forma decreti Clementis XI, iuxta tamen posteriores declarationes s. m. Innocentii XIII et Conc. Rom. sub. Benedicto XIII *cap. 15, n. 3.* Ad 2.um *Negative.* Verum consulendum SSmo pro extensione privilegiorum quoad unicam missam, quam, propria celebrata, Episcopi solent audire. Ad 3.um *Affirmative* quoad familiares dumtaxat eidem Episcopo actu necessarios, negative quoad reliquos. Ad 4.um *Affirmative.* Ad 5.um Iam provisum in primo et secundo. Facta autem relatione (die 25 Augusti 1818), Sanctitas Sua adprobavit, et extensionem privilegii, ut in responsione ad primum et secundum ex propositis dubiis indulsit, contrariis non obstantibus. »

Hisce relatis, ne longior evadam, ab ulterioribus rationibus hinc inde deducendis abstineo. EE. VV. autem quomodo proposita quaestio enodanda sit, sueta iudicii maturitate definire dignabuntur. Quare etc.

Resp. Detur Decretum S. R. Congñis diei 22 Augusti 1818.

ANIMADVERSIO.

Decretum, quod invocat S. C. Concilii, S. R. Congregationis, denominatur « Dubia » De Episcopis Titularibus »; cumque ad litteram (versione excepta Dubiorum, quae italice fuere proposita), in discussione sit relatum, ab eo referendo abstinemus. Interim impraesenti notare liceat, Episcopos celebrare posse in domo in qua habitant, ubicumque versentur, et quocumque anni die, nulla exceptione facta. Ius praeterea ipsis inest permittendi, ut alia pro se Missa celebretur; verum praefatis Missis non satisfieri praecepto, nisi ab iis tantum ex familiaribus, qui unicuique Episcopo actu Missae necessarii sunt.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1894.

S. RITUUM CONGREGATIO

1.

MONTIS PESSULAN.

R̃mus D̃nus Franciscus Maria Roverié de Cabrières, hodiernus Episcopus Montis Pessulan. Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium quoad Commemorationem Patroni pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum. « An Commemoratio Patroni loci, qui a Titulari Ecclesiae differt, facienda sit ab illis qui alicui Ecclesiae stricte addicti sunt, ita ut duplicem Commemorationem agere teneantur, nempe primam de Loci Patrono, alteram de Titulari Ecclesia? » Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: *Affirmative de Titulari Ecclesiae; atque etiam de Patrono si vigeat consuetudo.* Atque ita rescripsit die 6 Aprilis 1894.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA PRAEF.

VINCENTIUS NUSSI *Secret.*

SUFFRAGIUM

SUPER DUOBUS DUBIIS

AB ANTISTITE NUCERINAE PAGANORUM S. R. CONGREGATIONI PROPOSITIS

Rm̃us Episcopus Nucerinae Paganorum duo insequentia dubia S. R. Congñi subiecit, quorum solutio data iam fuit ab altero ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris et nihilominus, quadam super iisdem nova suborta difficultate, novo quoque studio mihi examinanda fuere exhibita (1). Primi Dubii sequens est obiectum: Utrum Archisodalitas S. Mariae de Monte Carmelo, in Consodalitatem Tertii Ordinis Carmelitarum canonice erecta, privilegio frui valeat praecedentiae in processionibus, qua per Decretum 27 Mart. 1893 statutum est gaudere Sodalitatem Tertii Ordinis S. Dominici?

Alterum Dubium quaerit: An in casu affirmativo, ius praecedentiae inter plures Consodalitates Tertii Ordinis, ab antiquitate originis respectivi Ordinis desumendum sit, an potius ab antiquitate temporis, ex quo Consodalitas Tertii Ordinis in loco erecta fuit?

Data iam solutio primo ex Dubiis affirmative respondebat, dummodo Confratres proprio ince-

(1) Ex hoc Ven. Lectores nostri facile inferent, quanta in Dubiis resolvendis cautela utatur Sacrorum Rituum Tribunal, ut Decreta ac Responsa evulganda, ea qua par est, sapientia et aequitate luceant.

derent habitu et sub cruce: quoad alterum vero sustinebat, ius praecedentiae non esse desumendum ex origine fundationis respectivi Ordinis, ac proinde respondebat negative ad primam partem; sed potius ex tempore quo Consodalitas in loco instituta fuerat, hinc affirmative ad secundam.

Iam vero haec duo proposita Dubia ac relativae solutiones mihi accuratius perpendenti aequae omnino visae sunt, ut iis contradicere non valeam, sed potius validioribus momentis robur adiungere necessarium iudicem. Ceterum, post rationes quas expositurus sum, huius S. Tribunalis erit, quid respondendum revera sit praefatis Dubiis sapientiori consilio decernere.

SOLUTIO ALTERA.

1. Circa primum paucis me expediam, cum nulla mihi videatur adesse dubitandi ratio super data iam solutione. Namque praecedentia gaudere Confratres tertii Ordinis S. Francisci super quascumque laicas Sodalitates, adeo res certa est, ut uniuscuiusque assensum facillime sibi vindicet. Sane, hunc tertium Ordinem Summus Pontifex Benedictus XIII *verum et proprium* declarat et decernit in Constit. *Paterna Sedis,* quamvis coalescat *ex saecularibus in toto orbe degentibus, aliisque collegialiter viventibus, et Regularibus.* Hinc Benedictus XIV in Constit. quae incipit « Emanavit nuper » d. d. 7 Ian. 1749, Tribunal Sacrae Rotae 9 Mart. 1736, et 11 Mart. 1743, et S. C. Episc. et Regular. 10 Sept. 1748, una-

nimes sunt in praecedentia super quascumque laicas Confraternitates Franciscalibus Tertii Ordinis tribuenda. Quod pluries ipsamet S. R. C. ulterius confirmat, maxime die 28 Maii 1886, edicens: « Ad tramitem Apostolicarum Constitutionum, nec non declarationis S. Congñis Ep. et Reg. Tertiariis Franciscalibus coetum constituentibus, nempe proprio habitu indutis (1), ac sub cruce incedentibus, ius inest super quascumque Sodalitates laicas ».

Iam vero, quod iam antiquitus legitur statutum de Tertiariis S. Dominici, nempe, *quod eiusmodi Professi eodem iure censeantur cum aliis Professis Tertii Ordinis S. Francisci (Ap. Fagnanum Cap.* Omnis, *n. 64, De poenit. et remiss. ex S. C. rescript.),* S. R. C. nuperrime iterum declaravit, confirmavitque per Decr. *Monopolitana* d. d. 27 Mart. 1893, statuens, Tertiarios Ordinis S. Dominici eadem, qua Tertiarii Franciscales, praecedentia gaudere super quascumque laicas Sodalitates. Et quidem sapienter, cum satis superque notum sit, ubi eadem est ratio, eamdem quoque esse debere dispositionem iuris. Ve-

---

(1) Ordo Tertiariorum S. Francisci degentium in saeculo, seu saecularis, propria gaudet Regula, quam Honorius III, et Gregorius IX approbarunt, Nicolaus IV confirmavit, et Leo Papa XIII quaedam in illa sapientissime immutavit (Constit. *Misericors Dei Filius*). Etsi nihilominus Confratres in saeculo vivant, quamdam Novitiatus, antequam in Tertium Ordinem cooptentur, formam habent, et exercent, habent suam peculiarem Professionem, et peculiarem quoque induunt habitum. Qui tamen private et occulte defertur, et consistit in *scapulari parvo et cingulo.* Ita ex pluribus Constitutionibus Pontificum. Haec notanda censui, ne quod de habitu Tertiariorum dicitur, aliter intelligeretur.

rum ex his palam sequitur, huiusmodi ius praecedentiae aeque extendendum esse, ex eiusdem paritatis ratione, ad Confratres tertii Ordinis Carmelitae.

2. Ad alterum proinde Dubium devenio, super cuius aequitate responsi quaedam oriri potest dubitandi ratio. Ante omnia supponendum, uti ex iure communi certum et exploratum, saecularem Clerum praecedentia gaudere super quemcumque Clerum regularem. Item uti certum quoque suppono, Monachos quoscumque praecedentiae iure gaudere super quoscumque Ordines Mendicantes. Similiter suppono Clericos regulares soli Clero saeculari digniorem cedere locum, et super Monachos ac Mendicantes praecedentia gaudere.

Quaestio nostra hoc habet obiectum, cuinam ex pluribus diversisque Ordinibus Tertiariorum competat praecedentia: an illi qui antiquior est ratione originis, an illi potius qui antiquior et ratione fundationis in loco, seu canonicae erectionis. Cum nihilominus de tribus tantum Ordinibus sermo sit, pro quibus ius praecedentiae statutum est, quaestionem mihi liceat intra arctiora confinia continere, videlicet: Ex tribus Ordinibus Tertiariorum, S. Francisci, S. Dominici et S. Eliae seu Carmeli, cui praecedentia competat inter se.

Tertium Ordinem S. Francisci (consequenter S. Dominici et Carmeli) *verum et proprium* Ordinem esse, superius vidimus ex Constitutione Benedicti XIII *(V. num. 1)*. Ubi ergo ius positivum desumendum pro praecedentiae iure statuendo, nisi in Constitutionibus Pontificum, quae

principia tenenda stabiliunt, ut uni prae altero ex Ordinibus Mendicantium praecedentia tribuatur? Notum est enim. quidquid sit de facto, Ordines S. Francisci, S. Dominici et Carmeli, ex Mendicantibus esse.

Audiendus itaque Gregorius Papa XIII in sua Constitutione « Exposcit », cuius en quae ad rem nostram faciunt: « De nobis attributae potestatis plenitudine volumus, et Apostolica Auctoritate decernimus, quod quicumque ex dictis Fratribus Mendicantibus, inter se de praecedentia huiusmodi contendentibus, aut Confratribus Confraternitatum praedictarum, inter quos lites et causae praemissorum occasione ortae iam sint, seu oriri contigerint in futurum, qui in quasi possessione praecedentiae, ac iuris praecedendi sunt positi, quibuscumque reclamationibus, appellationibus, et aliis subterfugiis prorsus remotis, et cessantibus et postpositis, in processionibus tam publicis quam privatis praecedere debeant.

Quando vero non probetur, aut non constet de quasi possessione praecedentiae huiusmodi, inter Fratres quidem Mendicantes ii, *qui antiquiores in loco controversiae,* Confratres vero inter se litigantes ii, qui prius saccis usi sunt in processionibus, tam publicis quam privatis, praecedere debeant: ita ut si nova Monasteria, aut Domus alicuius Ordinis Mendicantium contigerit fundari in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria aut Domus prius erecta et instituta sint, ille Ordo, qui prius Monasterium seu Domum in loco habuerit, praecedat...

Non obstantibus etc. 25 Iul. 1583 ».

Quivis ergo ex tribus praefatis Ordinibus, sive eum Sodalitatem aut Archisodalitatem appelles, sive, uti Constitutio exigit Pontificia, verum et proprium Ordinem dixeris, ille ex iis semper praecedentia gaudet, qui antiquior est ratione fundationis in loco seu canonicae erectionis, haud vero alter qui antiquior est ratione originis.

Praestat insuper, ad sensum quidem ne prolixior evadam, referre Constitutionem Urbani VIII « Nuper pro parte », quae rationem procedendi iuxta Gregorii XIII Constitutionem, in processionibus, servari mandat. In ea itaque praescribitur in apposita Epistola ad Episcopum Soanae, iis tribuendam esse praecedentiam inter Conventuales Fratres, et Fratres Servorum, quorum antiquior erat Domus in loco, seu in civitate Soana.

Altera ex Epistolis respicit praecedentiam Fratres Conventuales inter et Fratres S. Dominici. Hi enim ex ratione originis, quamvis paucis ab illinc annis morarentur in loco, ius vindicabant sibi praecedentiae super Ordinem Conventualium: quod tamen denegatur, statuiturque Conventuales praecedere, qui a tribus saeculis cum dimidio in loco fundati erant.

Orta item controversia super praecedentia inter Fratres S. Dominici et Fratres S. Francisci, per alias Litteras, quae Gregorii XIII Constitutionem pariter invocant, ad Episcopum Ferentinatem missas, idem principium statuitur et sancitur.

Et notandum, praefatas Litteras ius constituere; in fine namque ultimae decernitur, ius praecedentiae iuxta antiquitatem Domus in loco controversiae, semper esse servandum. Etenim

motus proprii Gregorii XIII iustitiae innituntur, et sunt conformes Declarationibus S. Conc. Tridentini ac Rituum Congñis: « ut qui sunt in possessione praecedentiae praecedant, et ubi non probatur, etc. praecedant ii qui sunt antiquiores in loco controversiae etc. Auctoritate Apostolica... praecipimus et mandamus etc. *(18 Dec. 1632)* ».

Idem renovatur principium a S. C. Episc. et Regul. et quidem gravioribus verbis; atque ad rem invocantur duae Constitutiones, Gregorii XIII et Urbani VIII *(6 Oct. 1645)*.

Ad rem videre est L. Ferraris (*ad verb.* Praecedentia), a quo plura hausi ex dictis hucusque; ipse namque totus quoque est in dictis Constitutionibus explicandis, eodemque stabiliendo principio.

Negotium compleat S. R. C. cuius quamplura sunt Decreta, praefatis Constitutionibus inhaerentia; sed ex iis sequens seligo in *Cusentina*, quamvis post Constitutionem Gregorii XIII, sed ante Urbanum VIII. Est diei 1 Mart. 1614, et, ni fallor, ostendit, unum idemque hac de re principium, semper eam fuisse secutam.

« Cum in oppido Montisalti Cusentinae dioecesis orta fuerit differentia praecedentiae inter Fratres Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, qui ab annis hinc circiter *(nonaginta novem)* 99, Monasterium in dicta terra Montisalti, sub titulo SS. Annunciationis fundaverunt et habuerunt; et Fratres Ordinis Carmelitanorum, qui a novem annis Monasterium in eadem terra habuerunt; et licet semper in praeteritum praecedentiam dictis Fratribus Minimis, tanquam in loco antiquioribus dederint et concesserint, novissime ta-

men tentaverunt praecedere dictis Fratribus Minimis, sub praetextu quod Carmelitarum Religio sit antiquior Religione Minimorum, et quia in aliis locis praecedant dictis Fratribus Minimis Fratres Carmelitani: Proposito huiusmodi negotio in S. R. Congñe, et audita relatione facta per Illm̃um et Rm̃um Dom. Car. d. Lancellottum, cui haec causa cum aliis similibus commissa fuerat:

Eadem S. R. C. ut alias, ita nunc iuxta mentem SS. Dom. N. Papae declaravit, in hoc casu servandam esse « Bullam fel. rec. Gregorii PP. XIII, in qua cavetur, quod illa Religio aliis praecedat, quae prius in civitate seu loco ubi residet, fundavit et habuit Monasterium; et ita iuxta dictae Bullae tenorem servandum esse in dicta terra Montisalti, inter Fratres Minimos S. Francisci de Paula, et Fratres Carmelitanos, censuit et declaravit die 1. Mart. 1614 ».

Hisce haud obstantibus, postremo notandum, si consuetudo praecedendi faveret Ordini antiquiori ratione originis, ea servanda est (*S. C. Epis. in Forolivien. 23 Febr. 1693*).

Praeterea si alia sit praecedendi ratio in Urbe, non est attendenda: eam sequuntur tantum Suburbia et Territorium romanum. Ita plura Decreta S. R. Congñis, uti Ferraris notat (*ad verb.* Praecedentia, *n. 55*).

Hinc concludo: Illi debetur Ordini Tertiariorum in casu praecedentia, ex praefatis tribus, qui uti antiquior iam possidet in iure praecedendi in Nucerina Paganorum: Atqui Ordo Tertiariorum Carmelitarum ab anno tantum illic fundatus fuit 1887, et longe antiquior ibi est, uti ex Dubiorum expositione eruitur, Tertius Ordo S. Do-

minici, qui proinde in iure praecedendi possidet; ergo huic super illum praecedendi ius in processionibus, tam publicis quam privatis, debetur.

Hucusque pro modulo meo discussa, certa mihi videntur, dummodo principium moderandi praecedentiam inter Tertiarios Ordinum Mendicantium, idem sit ac illud, quod eamdem praecedentiam dirigit inter Ordines primarios. Sed et hoc certum mihi apparet: secus unde basis desumeretur pro iure praecedendi statuenda? Iam nunc Ordo Tertiariorum est unus cum Ordine primario: hoc definitum est. Si ergo pro primario Ordine una est ratio praecedendi, impar mens mea est intelligendo, quare pro secundario diversum stabiliendum sit principium.

Proinde, quantum capio, ad duo proposita Dubia respondendum censeo:

Ad primum Affirmative, dummodo incedant proprio habitu, et sub cruce.

Ad secundum: Negative ad primam, affirmative ad alteram partem.

Ita semper salvo meliori iudicio.

Die 21 Decembr. 1893.

C. MANCINI P. C. M.
Sacr. Rit. Congñis Consult.

Post praefatum Suffragium S. R. Congñi exhibitum, sequens ab Ea vulgatum est

2.

NUCERINA PAGANORUM.

R̃mus D̃nus Aloisius Delforno Episcopus Nucerinus Paganorum Sacrae Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis in Monopolitana diei 27 Martii 1893 statutum est, Sodalitatem Tertii Ordinis S. Dominici iure pollere praecedentiae in processionibus, etiam SS̃mi Sacramenti, supra Archisodalitates et Confraternitates laicas, etiam a SS̃mo Sacramento nuncupatas. Intuitu huius Decreti, quaeritur:

Dubium I. Pervetusta Sodalitas S. Mariae a Monte Carmelo, vulgo *Delle Galline*, in terra Paganorum Nucerinae Dioeceseos, ad Archisodalitatis dignitatem anno 1883 erecta, et in Consodalitatem Tertii Ordinis Carmelitarum anno 1887 canonice erecta, potestne frui eodem privilegio?

Dubium II. Et quatenus affirmative, an inter varias Tertii Ordinis Consodalitates ius praecedentiae ab antiquitate respectivi Ordinis desumi debeat, vel a die qua canonice unaquaeque Sodalitas vel Archisodalitas laica in tertium Ordinem commutata fuit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Affirmative; dummodo incedant proprio habitu et sub cruce.

Ad II. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 1 Martii 1894.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

VINCENTIUS NUSSI *S. R. C. Secretarius.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE ALMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

V.

Disceptatum fuit inter quosdam Sacerdotes pietate doctrinaque distinctos circa modum, quo plerumque exornari solet Altare, in quo continuo asservatur SS. Sacramentum. Perraro etenim baldachinum seu umbraculum super huiusmodi Altaria suspensum videtur, ut innuit vel saltem erui potest ex Caerem. Episc. *num. 8 et 13 capit. XII, Libr. 1,* sicuti ex S. R. Congregationis decretis. 2. Lampadum numerus in num. 17 eiusd. Capit. requisitus, plerumque desideratur. 3. Reliquiae Sanctorum etiam inter candelabra haud quaquam exponendae ibidem sunt, sed potius vascula cum floribus vel fictis vel veris: quinimo nec conveniens reputatur, ut in eodem Sacello fidelium venerationi proponatur Imago vel B. Virginis vel Sancti miraculis illustris,

cui fideles peculiari devotione affluere solent; ne eorum animos a veneratione tanti Mysterii distrahantur. 4. Tandem ex num. 9 eiusd. Capit. Caerem. ipsae Missae privatae in eodem Altari rarissime essent celebrandae, ne fideles forte cogantur aliquoties vel retardare vel omittere Communionem: quodque ex modo quo antiquitus Sacra asservabatur Eucharistia olim consultum fuisse iudicari potest; at saepe contrarium cernitur.

Quaeritur:

1. *Quaenam dicenda veniant, spectata antiqua Ecclesiae disciplina circa usum Lampadum collucentium ante tabernacula ubi asservari solitum erat SS. Sacramentum; quaque ratione ille sit institutus: quibusque legibus nunc temporis coarctetur numerus, et materia qua alantur?*

2. *Num baldachinum seu umbraculum necessario sit adhibendum; et in casu etiam, quo habeatur capella velut ad instar throni, quid dicendum sit?*

3. *Quid tandem sentiendum, tum de expositione Reliquiarum vel alicuius Imaginis prodigiis illustris B. Virginis vel Sancti; tum de celebratione Missarum privatarum in eodem Sacello de quibus in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Francisci Pascucci ex Alumnis Pontificii Seminarii Romani, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 8 Martii 1893: acta Epitoma per Rmum. Dom. Alfonsum Carinci S. Liturgiae Professorem.

I. Prima petitio inquirit, quaenam dicenda veniant, spectata antiqua Ecclesiae disciplina, circa usum Lampadum collucentium ante tabernacula, ubi asservari solitum erat SS. Sacramentum, quaque ratione ille sit

institutus: quibusque legibus nunc temporis coarctetur numerus, et materia qua alantur.

Cereorum lampadumque usus una cum Ecclesia ortum habuit. Impio enim gentilium furore acriter urgente, in caeca noctis caligine compulsi fuerunt fideles, ipso lucis in limine, sacra peragere; imo persecutionum in aestu ad hypogea descendere, ibique clanculum Deo suo laudes persolvere. Confer si lubet archaeologiae scriptores, maxime recentiores, et praesertim praeclarissimos De Rossi et Armellini, et passim cereos ac lampades nominatas reperies.

Sed cum pace ac tranquillitate Ecclesia uti incoepit, et maiestatem omnem in sacris peragendis splendoremque ostentare potuit, cereos lampadesque, quos antea ex necessitudine adhibuit, retinuit; ast haud quidem ad effugandas tantum tenebras, uti observat Hieronymus contra Vigilantium, sed etiam in signum laetitiae maiorisque decoris. Perantiquae huiusmodi consuetudinis innumera extant testimonia Patrum in scriptis, ac priorum saeculorum Concilii. Ita S. Paulinus, in hymno natalicio S. Felicis Nolani, altaria canit spissis circumornata lampadibus, diu noctuque coruscantibus ita, ut maiori luceat dies splendori, et diei lumine emicet nox. Ita etiam Chrysostomus (*Homil. 60 ad popul. Antioch.*) de argenteis refert lampadibus, ante altaria suspensis. Nonnulla etiam Concilia uti Bracharense, Aquisgranense et alia, quae nominat Catalanus (*Tom. II Pont. Rom. Titul. I*), de lampadum usu sermonem instituunt. Praescribunt enim ante Ecclesiarum aedificationem, reditus constituendos esse lampadibus alendis, praesertim ante martyrum sepulcra. Summae autem curae fidelibus fuit Ecclesiarumque Antistitibus templa lampadibus ditare; hinc omnigena forma qualicumque materia, etiam pretio-

sissima, reperiri datum est. Anastasius Bibliothecarius (*in Vitis Rom. Pontif. seu in Libro Pontificali*) testatur, Pontifices aureis argenteisque lampadibus saepissime Ecclesias donasse. Mirandum ideoque non est, si Caeremoniale Episcoporum (*Lib. 1, c. XII*) mandet: " Lampades quoque ardentes in Ea adsint „.

Attamen quod tantum ad ornatum et Ecclesiae nitorem ante martyrum reliquias vel etiam ante altaria olim peragebatur; absque dubio et ante tabernacula Christum in Sacramento reserantia, peragi debuit. Namque cuiuscumque aevi apud fideles magno semper in honore SSm̃um fuit Eucharistiae Sacramentum, et semper Ecclesia studuit ad maximam Eucharistiae venerationem fideles deducere. Usus, qui postea lege firmatus est; nam in Rituali Romano legitur: " Lampades coram Eo (*Sacramento*) plures vel saltem una, die nocteque perpetuo colluceat (*Tit. IV, paragr. VI*). Quibus verbis aperte Rituale mandat, ut aliquod saltem lumen coram SSm̃o Sacramento iugiter luceat, veluti signum fidelibus ostendens, quem primum venerari debeant, Christum Iesum Redemptorem, qui in Sacro Eloquio dicitur etiam, *candor lucis aeternae et lumen inextinguibile*. Seu etiam veluti signum corda fidelium praefigurans, quae fidei et caritatis igne succensa coram Deo indesinenter adesse debent, et in similitudinem prudentium virginum in occursum sponsi iugiter parata. Hisce ergo breviter delibatis circa Ecclesiae disciplinam ad usum lampadum quod attinet coram SSm̃o Sacramento, et de rationibus quibus mota Ecclesia hunc usum recepit, servarique mandavit, videamus nunc quid statuerit circa earundem numerum, et materiam qua alantur.

Et de numero primum sermo sit. Dubium, de quo in hoc primo commate tertiae partis primi quaesiti,

originem, ni fallimur, sumpsit ex sequentibus Caeremonialis Episcoporum verbis; " Lampades quoque in Eiis adsint, tum ad cultum et ornatum, tum ad mysticum sensum: hae vero in primis adhibendae sunt ante altare maius, quibus in locis lampadarios pensiles esse decet, plures sustinentes lampades, ex quibus qui ante altare maius erit, tres ad minus: qui ante SSm̃um Sacramentum saltem quinque lucernas habeat..... Ante SSm̃um Sacramentum, si non omnes, saltem tres accensae tota die adsint (*Lib. I, c. 12, n. 17*) „. Quae, uti quisque probe intelligit, innuere videntur, ante altare SSm̃i Sacramenti lampades numero plures, et si fieri possit, impares, collucere perpetuo debere, seu ad maiorem cultum et decorem, seu ad differentiam omnibus ostendendam altare inter SSm̃i Sacramenti et cetera, seu etiam ob mysticam significationem in S. Liturgia imparis numeri; unde in Apocalypsi legimur, Ioannem Filium hominis vidisse inter septem candelabra aurea (*Cap. I, v. 12, 13*). Et revera praeceptum verba illa constituunt; nihilominus aeque certum est, non parum ex antiqua disciplina Ecclesiam remisisse pro re nostra; ita ut etiam lampas una in praesentiarum ut sufficiens censeatur. Hinc Rituale Romanum: " Lampades coram Eo (Sacramento) plures vel *saltem una* diu noctuque perpetuo colluceat (*Titul. IV, parag. VI*) „. Quibus verbis, quamquam non improbetur, imo laudabilior usus lampadum numero plurium reputetur, declaratur tamen unam tantum satis esse, ut legi pareatur.

Postquam vero Caeremoniale edixerit: " Lampades numero impari adsint „ ante altaria et praesertim ante illud quod Christum Dominum in Sacramento reserat, subiungit: " Quibus in locis lampadarios pensiles esse decet, plures sustinentes lampades... „, ex

qua dicendi ratione manifestum fit de quadam tantum convenientia hic agi. Insuper cum Caeremoniale de lampadibus etiam loquatur, ante cetera altaria diebus solemnibus accendendis, si lubet; praedicta eiusdem Caeremonialis verba, " ante SSm̃um Sacramentum si non omnes saltem tres accensae tota die adsint „ uno ore liturgici omnes de diebus tantum solemnibus interpretantur: secus enim praedictis in festis nullum discrimen appareret altare inter SSm̃i Sacramenti et alia. Quamobrem Catalanus in Commentariis ad Caeremoniale (*Lib. I, c. 12, parag. 17, n. 11*) ait: " Ante SSm̃um Sacramentum si non omnes, saltem tres lampades tota die accensae adsint, *cum saltem*, scilicet, *solemne aliquod festum celebratur:* nam alias, quod satis sit ut una duntaxat perpetuo lampas colluceat ante altare ubi asservatur in tabernaculo SSm̃um Sacramentum, scriptores liturgici uno ore affirmant „. Et in Commentariis ad Rituale Romanum haec refert S. Caroli Borromaei verba: " Lampadarium sit in quo lampades accensae semper colluceant, sique non plures, una saltem in conspectu SSm̃ae Eucharistiae „: hucusque S. Cardinalis, cuius de cetero diligens ac religiosa Ecclesiae decretorum ac praescriptionum observantia ab omnibus rescitur.

Insuper unanimi huic liturgicorum consensui, supremi Tribunalis Sacris tuendis Ritibus praepositi accedit auctoritas, cum in eius responsis de una duntaxat lampade iugiter mentio fiat. Iure merito eapropter concludere licebit, convenientius esse, iuxta Caeremoniale, ut lampades numero plures coram SSm̃o Sacramento diu noctuque colluceant, maioris decoris venerationisque gratia; sufficere tamen, ut legi fiat satis, unam tantum lampadem. Notandum tamen, hanc unicam absolute et ubique de necessitate requiri. Hinc

S. Congregatio Episcoporum et Regularium (*Vid. Cavaler. Lib. 4, decr. 92*) interrogata, quid agendum in casu omnimodae paupertatis et absolutae impotentiae huiusmodi lampadis alendae, die 14 Martii 1614 respondit, rem Ordinario deferendam, ut eleemosynarum collectorem instituat. Eodem prorsus modo S. Concilii Congregatio die 22 Martii 1594 loquuta est. Ideoque omnino improbanda quorundam opinio, a Cavalerio relata, asserentium, SSm̃um Sacramentum sine ulla lampade asservari posse in parochialibus Ecclesiis humilium locorum.

Et haec pro lampadum numero satis sint; ad materiam nunc deveniamus, qua alantur.

Antiquissimi est instituti in Ecclesia olei olivarum usus pro lampadibus alendis. Hinc S. Hieronymus: " Cera quae dulcia continet, non luceat in Tabernaculo, sed oleum purissimum quod de olivae profertur amaritudine "; in quibus, amaritudo praeferens olivarum cerae dulcedini, mysticum etiam S. Doctor exhibet sensum, oleum, scilicet, dolores exprimere et huius lacrymas vitae, quas Christo Domino immolamus, dum ab Eo quaerimus solamen.

Sed et in Veteri Testamento dixerat Deus Moysi: " Praecipe filiis Israel ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum: ut ardeat lucerna semper in Tabernaculo testimonii.... (*Exod. c. XXVII, v. 20*) ": omnia enim circum altare summa redolere debebant munditia. Et hanc consuetudinem perpetuo Ecclesia retinuit, etiam ob mysticas significationes in oleo inclusas, uti praesertim gratiae plenitudinem et Spiritus Sancti unctionem.

Verum, quid agendum in locis, ubi difficile invenire oleum hoc datum est, seu nonnisi magnis sumptibus comparari potest? Usu iam receptum fuit, Epi-

scopos indulgere posse oleum ab illo olivarum genere diversum, in locis olivarum penuria laborantibus: unde S. Carolus in suis Instructionibus de Sacramento Eucharistiae haec habet: " Lumen vero lampadum oleo olivae nutrietur: non vero alterius generis adhibeatur, nisi quibus locis Archiepiscopus ob eam causam concesserit, quia nullum eius generis haberi possit ".

Usum istum S. R. Congregatio ratum habuit; quibusdam enim Galliarum Episcopis sciscitantibus, num, attenta nonnullarum Parochiarum extrema egestate, nec non expensis haud parvis pro olivarum oleo sibi comparando, adhibere liceret oleum ex vegetalium substantia expressum, seu etiam petroleum: die 14 Iulii 1864, re mature perpensa, respondendum censuit affirmative, lege tamen generali de olivarum oleo in omni suo robore permanente, ac Ordinariorum prudentia negotio remisso.

Exposita ergo perstringentes, ita propositis in primo quaesito respondemus. 1.° Perantiquus est in Ecclesia Dei usus lampadum coram SSmo Sacramento collucentium, seu ob honoris venerationisque signum quod exprimit, seu etiam ob mysticas significationes quas prae se fert. 2.° Etsi convenientius lampades numero plures coram SSmo Sacramento ardere deberent, iuxta tamen Liturgicos omnes, ipsamque Ritualis legem, una etiam sufficit. 3.° Oleum ex olivis expressum materia est, qua lampades ali debent; Ordinarius nihilominus quibusdam in casibus usum alius generis olei indulgere valet.

II. Ad alterum nunc progrediamur quaesitum in quo inquiritur: Num baldachinum seu umbraculum necessario sit adhibendum, et in casu etiam quo habetur capella ad instar throni.

Duplex esse potest baldachinum, fixum vel mobile. Sed in casu, de fixo agi manifestum est, in quodam tegumento metallico vel ligneo seu etiam lineo consistente altari superimposito, ipsumque altare ac Sacerdotem ab omni immunditia seu pulvere, quae ex alto dilabi posset defendente. Ad baldachinum hoc quod attinet, Caeremoniale Episcoporum habet: " Desuper vero (idest super altare) umbraculum, quod baldachinum vocant, in alto appendatur formae quadratae, cooperiens altare, et ipsius altaris scabellum (*Lib. I, c. 12, parag. 13*) „, ut ab altari et Sacerdote, ut diximus, sordes arceat. Insuper subiungit: " coloris ceterorum paramentorum „, quod tamen Gavantus de casu quo commode fieri potest interpretatur.

Vult igitur ut cuicumque altari baldachinum super imponatur, parieti adereat, altare vel non, uti in Basilicis Urbis. Quod si altare desuper ciborium habeat ex marmore aut ex lapide, seu aediculam a columnis sustentatam, sicuti in Romanis Basilicis videre est, tunc baldachinum non requiritur, cum aedicula eiusdem vices optime gerat.

Generalissima eapropter confici potest haec regula: super unoquoque altari, iuxta Caeremonialis praescriptum, baldachinum pendere debet, forma quadratum, ita ut altare et celebrantem defendat a sordibus; iis tantum exceptis altaribus, in quibus ciborium seu aedicula aliqua lignea vel marmorea reperitur, quae eiusdem baldachini vices gerat.

Regula haec per Decretum S. R. Congregationis (*Cortonen. 27 Aprilis 1697*) plene confirmatur. Interrogata enim: " An in omnibus altaribus, sive Cathedralis sive aliarum Ecclesiarum debeat erigi baldachinum, vel in maiori tantum in quo asservatur

Augustissimum Sacramentum „, respondit: “ *In omnibus* „.

Nihilominus de sententia hac postea discessum est; et baldachinum super singulis altaribus in desuetudinem abiit, illudque super altari tantum in quo Sacramentum asservatur, urgeri coeptum est. Et revera eadem S. R. Congregatio altero Dubio: “ Num super omni altari in quo SSmum Sacramentum asservatur apponi omnino debeat Baldachinum „, die *23 Maii 1846*, sequens responsum dedit: “ Comperiens usque ab anno 1697 quinto Kalendas Maii in una Cortonen. sancitum fuisse; ut Baldachinum omnino apponatur super altare in quo Augustissimum Sacramentum asservatur rescribendum censuit: Detur Decretum in una Cortonen. die 27 Aprilis 1697 „; decretum scilicet, quod supra retulimus, baldachinumque praescribens super quolibet altari. Nunc autem super hocce decreto ita ratiocinamur. S. R. Congregatio decretum nominans in una *Cortonen.*, haud quidem per integrum illud retulit, sed in ea parte tantum, quae super altari Sacramenti baldachinum urget. Notandum insuper in Dubio expositum fuisse, parochialem Ecclesiam Oratores erexisse, et cum adamussim liturgicis legibus obtemperare cuperent, sciscitabantur etc. Ideoque S. R. Congregatio si in toto suo robore doctrinam in decreto *Cortonen.* expositam urgere adhuc voluisset, absque dubio per integrum illud retulisset praescribens, super singulis altaribus baldachinum apponendum. Quod cum non fecerit, stat, ni fallimur, quantum asseruimus, generalissimam illam regulam impraesenti limitationibus obnoxiam esse. Sed et universalis Ecclesiarum praxis, in quibus, nemine conquerente, super omnibus altaribus baldachinum minime reperitur, nostrum firmat sentiendi modum.

Orationem nostram eapropter ad altare SSm̃i Sacramenti contrahentes, dicimus, iuxta decretum citatum diei 23 Maii 1846, necnon et praxim multarum Ecclesiarum, super hoc altari baldachinum absolute requiri.

Sed statim dubium exurgit, de quo et in nostro quaesito, an etiam sit adhibendum baldachinum, in casu quo habeatur capella velut ad instar throni. Verum cum per capellam istam ad instar throni, capella intelligatur formam aediculae habens ac tholum superimpositum, sicuti Capella Sixtina in Basilica S. Mariae Maioris, illam non sufficere autumamus. Primo quidem quia decretum, nullam admittens exceptionem, aperte docet, baldachinum collocandum esse super altare in quo SSm̃um Sacramentum asservatur; secundo vero quia capella haec incommodum omnino removere non valet, ob quod baldachini usus inductus fuit. Tholus namque a Celebrante et ab altari sordes arcere non valet, sicuti Basilicarum ciborium, de quo specialis mentio fit a Caeremoniali.

Nihilo tamen minus consuetudo quarumdam Ecclesiarum, etiam observantiorum, uti Basilicae S. Mariae Maioris et Ecclesia huius Missionis, sententiae nostrae contradicit. Ideoque percontamur, num casus sit supremum tribunal adeundi, ab eoque decisionem expetere.

III. Sed tempus est ut ad tertium descendamus quaesitum. In duas dispescitur partes, inquiritur primum: quid sentiendum de expositione Reliquiarum vel alicuius Imaginis prodigiis illustris B. Virginis vel Sancti; inquiritur secundo, quid sentiendum de celebratione Missarum privatarum in Sacello SSm̃i Sacramenti.

Ad primam partem quod attinet huiusce quaesiti, respondemus, quamquam prima fronte videri posset

Imagines vel Reliquias Sanctorum fideles distrahere a veneratione SSmi Altaris Sacramenti, ideoque amovendas, tamen non ita revera negotium succedit. Etenim si de Reliquiis agatur inter candelabra expositis, uti innuitur in casu, ornamenti potius quam cultus rationem hae habent, neque ipsis fideles particularis exhibent venerationis signa.

Eapropter exponi posse putamus, sicuti universalis Ecclesiarum fert consuetudo; eo vel magis cum nullum reperiatur decretum hanc praxim reprobans; uti ipsa inhibita fuit cum SSmum Sacramentum publicae fidelium venerationi expositum manet. Tantummodo praescriptum invenimus, ut cum hae Reliquiae inter candelabra exponuntur, praeter lampadem de more, saltem duo lumina ante ipsas colluceant. Ita ex decretis 22 Ianuarii 1701, et 12 Augusti 1854: in quibus edicitur, ut potius Reliquiae non exponantur, quam sine lumine eas relinquantur.

Ad Imagines vero quod spectat Sanctorum respondemus, si de maiori altaris tabula agatur, haud vero de minoribus (vulgo sottoquadri), absque dubio convenientius foret, ut in altari SSmi Sacramenti non collocarentur, ne fidelium mentes a veneratione SSmi Sacramenti distraherentur. Hinc in non paucis Ecclesiis aut nullam videmus tabulam in altare Sanctissimi Sacramenti, aut videmus quidem, sed quae sanctissimam Trinitatem vel ultimam Coenam, vel Angelos tantum Eucharistiam venerantes repraesentat. Attamen nullibi hoc reperitur praescriptum, iure eapropter et in altari SSmi Sacramenti Sanctorum Imagines collocari possunt. Imo interdum cum gravissimo iretur obviam incommodo videndi ante Sanctorum Imagines quamplures ardere lampades, ante Sacramentum e contra unam tantum, si in eodem Sacra-

menti altari praedictae imagines collocarentur, auderemus hoc in casu hanc praxim consulere.

Sedulo tamen curandum esset, ne SSm̃um Sacramentum veluti secundaria res praedicto in altari tunc evadat: tabernaculum eapropter eminentiori in loco, ita ut ab omnibus facile videri posset, collocandum esset, neque ullum omittendam signum praesentiam Sacramenti populo ostendens, uti praesertim est conopeum.

Neque obiiciatur omnem, in sententia nostra, cultum ac venerationem Imagines Sanctorum absorbere: etenim neminem latet, cultum latriae alium esse a cultu hyperduliae ac simplicis duliae; quidam ideoque venerationis actus, uti verbi gratia genuflexio, nullo pacto Sanctorum Imaginibus convenire queunt, sed necessario ad SSm̃um Sacramentum referendi sunt. Insuper quis prohibere potest ne ad Deum per Beatissimam Virginem aut per Sanctos accedamus? Hinc aliquando evenisse legimus, S. R. Congregationem expositionem indulsisse venerandae alicuius Imaginis, etiam Sacramento exposito, dummodo tamen non pro solemni 40 horarum Oratione. Si autem de minoribus agitur tabulis (vulgo sottoquadri), cum solum ab Ecclesia tolerentur, nullo modo Sacramenti Altari eas convenire asserimus: maxime ne crux, quae in altari eminere deberet utpote obiectum principe, vel abscondatur vel etiam microscopicis reducatur proportionibus. passim infeliciter accidit.

Sed progrediamur iam ad ultimam quaestionem: scilicet, quid sentiendum de celebratione Missarum privatarum in sacello in quo SSm̃um Sacramentum asservatur. Huic novissimo dubio Caeremonialis verba, " Non incongruum sed maxime decens esset ut in altari ubi Sacramentum situm est, Missae non celebra-

rentur, quod antiquitus observatum fuisse videmus „, originem dederunt. Nunc autem verba haec quidam ex liturgicis commentatoribus interpretantur quidem de altari SSm̃i Sacramenti, uti Gavantus, qui (*Par. I, Titul. 20, lit. n.*) postquam posuerit quaestionem, " An in altari in quo continue in tabernaculo immobili clausum Sanctissimum adservatur Sacramentum, collocanda sit Crux cum Crucifixo in medio altaris ante ipsum tabernaculum, prosequitur: Cui quaestioni Romae saepius agitatae ut respondeam, praemitto cum Caeremoniale Episcoporum maxime decere ut ibi Missae non celebrarentur, quod antiquitus observatum esse testatur „; sed plures alii cum Catalano de altari in quo SSm̃um Sacramentum expositum manet, interpretati sunt. Nobisque istorum opinio magis arridet, utpote amplius connexa cum caeteris quae antecedunt Caerĕmonialis expressionibus. Et sane, Caeremoniale sermonem ibidem instituit de Episcopo vel de alio Sacerdote, praesente tamen Episcopo, celebrante coram SSm̃o exposito; ideoque de genuflexionibus ac reverentiis omnibus ad unguem servandis loquitur, necnon ut stet sine mitra Episcopo mandat, deinde subiungit: " Et ideo (post ea idest quae de Missa coram SSm̃o dicta sunt) non incongruum sed maxime decens esset ut in altari ubi Sacramentum situm est, Missae non celebrarentur „.

Quae verba cum naturali nexu praecedentibus coniungantur, absque dubio harum iuxta sensum nobis intelligenda videntur. Arroges, studio Caeremoniale dictionem adhibuisse *ubi SSm̃um Sacramentum situm est*, haud vero ubi adservatur: et ideo *to situm* de publica tantum Sacramenti expositione intelligendum est. Insuper ibidem haec altera adhibetur absoluta dictio, *maxime decens ut Missae non celebrarentur:* nunc

autem in Ecclesia viget quidem laudabilis consuetudo non litandi in altari ubi SSm̃um Sacramentum publicae venerationi expositum manet, minime vero consuetudo non celebrandi in altari in quo Sacramentum adservatur. Arroges etiam Caeremoniale (*loc. cit.*) haec addere: " aut saltem celebrans in eo sive solemnes sive planas Missas, reverentias et genuflexiones praedictas omnino servare debet „. At, quaeso, nonne luce meridiana clarius patet, verba haec aliis genuflexionibus et reverentiis nectenda esse, de quibus ante Caeremoniale egerat, de genuflexionibus et reverentiis, inquam, coram Sacramento exposito peragendis? Eo vel magis cum speciales reverentiae vel genuflexiones coram SSm̃o Sacramento in tabernaculo reserato non dentur.

Sed fortasse dicet aliquis, celebratio Missae in Sacello in quo SSm̃um Sacramentum adservatur, nonne fideles cogere posset aliquoties vel retardare vel omittere Communionem? Respondemus imprimis: Ecclesiae mentem esse, fideles de Eucharistica mensa infra Missam participare immediate post Celebrantis communionem, quod antiquitus severe observatum fuisse videmus; cum et ipsi de eodem, quod offert Sacerdos, sacrificio participent. Hinc Rituale notat: " Orationes quae in Missa post Communionem dicuntur non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectant (*Tit. IV, c. 2, par. 10*) „. Insuper nonne fideles etiam in fine Missae ad sacram Communionem accedere valent? Apposite ad rem nostram Rituale: " Communio populi intra Missam statim post Communionem Celebrantis fieri debet (*nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda*) (*loco cit.*) „. Quid vero pro rationabili hac causa intelligatur, explicat Gavantus in Rubricis Missalis (*Par. II, Tit. X, n. 6*), multitudo scilicet

communicantium, quae efficere posset, ut fideles, qui Sacro intersunt, ipsam Missam fastidiant. Ideoque fideles, tum intra quam post Missam, de Eucharistica mensa optime participare valent: imo cum iam invaluerit mos et immediate ante Missam communicandi, incommodum, de quo in dubio, haud revera, sicuti apparet, grave evaderet. E contra maius, absque dubio, incommodum esset, quorundam consuetudo, qua, vix absoluta sacra exomologesi, statim ad Eucharistiam accedunt; cum saltem aliquod requiratur temporis spatium, sicuti etiam inculcat Rituale (*Tit. IV*, *c. 11*, *par. II*), ad fervorem illum excitandum, qui tam necessario requiritur, ut Christus Dominus minus indignam quam fieri potest, inveniat in pectoribus nostris habitationem.

Nihilominus in casu maximae vel innumerae communicantium multitudinis, bene et forsan convenientius Missa celebrari potest in altari, alio a Sacello SS̃mi Sacramenti, praesertim si de die festo agatur: ne fideles ad Eucharistiam non accedentes Missam fastidiant, sicut diximus. Incommodum quod praesertim hisce miserrimis nostris temporibus, maxime curandum est, cum multorum fides refrigescere inceperit.

Disceptationi nostrae eapropter finem imponimus animadvertentes, maximam adhibendam esse curam in honore et cultu Augustissimi Sacramenti, cum, ut ait Rituale (*Titul. cit. De Euch. Sacram.*), " nihil sanctius et admirabilius habeat Ecclesia, in Eo enim continetur praecipuum et maximum Dei donum, et ipsemet omnis gratiae et sanctitatis fons auctorque Christus Dominus ".

DE MISSA CONVENIENTI CUM OFFICIO
IN ORATORIIS PRIVATIS

CONSULTATIO.

Dicitur et decantatur, Missam in Oratoriis privatis debere esse conformem officio Celebrantis: verumne semper est, cum nihilominus non desint plura Decreta, quae videntur contrarium disponere?

Eiusmodi est propositum nobis Dubium e Galliis, quocum eadem Decreta in oppositum citantur, et sunt: 5804 in *Marianen.* 5855 in *Annecien.* et 5943 in *Marianopolitana*, Dub. XI ad 3. Ab aliis praefatum Dubium separavimus, ut accuratius perpenderemus, et undequaque commodius discuteremus.

Itaque maxime interest, ut ante omnia videamus, quid sit Oratorium privatum. Si Oratorium generalissime accipias, definiri potest: Locus aptus ad orandum precesque Deo offerendas. Dividitur in publicum et privatum. Illud est, quod auctoritate Episcopi erigitur, ad Dei cultum solummodo et perpetuo destinatur, aditum habens liberum in via publica. Istud vero privatum, illud est, quod intra domesticos parietes ex indulto Sedis Apostolicae erigitur sub certis limitibus, et cum recognitione Ordinarii.

Si in his sistamus, negotium foret prorsus absolutum, et doctrina de Missa convenienti vel

non cum officio, omnino certa esset, nullique difficultati obnoxia. Namque indubium est, in Oratoriis publicis Missam conformem esse debere officio Celebrantis si color concordet: officio Oratorii, si color non concordet; Decreta enim docent, Oratoria publica, ad propositum nostrum, aequivalere Ecclesiis. In privatis vero, Missa officio Celebrantis semper debet esse conformis: haec quidem ex regula generali.

At negotium satis implicant alia loca sacra, quae Oratoria quoque nuncupantur, sed sub quodam respectu dici privata possunt, sub alio quodam publicis aequivalent. Sunt autem Oratoria Seminariorum, Collegiorum, Ospitalium, et etiam piarum quarumdam Communitatum. Dicimus *quarumdam;* quia nonnullae ex Communitatibus Ecclesiam habent, et tunc de earum Oratoriis nulla est quaestio, sunt enim mere privata. Sed nonnullae ex iisdem unicum Oratorium habent, in quo plures sacrae functiones aguntur ac si esset Ecclesia, et plures quoque Missae in die celebrantur. Quid ergo de istis Oratoriis censendum, sunt ne publica, sunt ne privata?

Respondere cogimur, nec privata esse nec publica, sed utrumque simul, ut semipublica, vel semiprivata nuncupari possent. Sed utcumque ea appellaveris, indubium est, ea stricte privata non esse. Nam ex his Oratoriis aliqua non desunt, quae uti Ecclesiae consecrata sunt. Clerum habent, ut in Seminariis accidit, et etiam in aliis Communitatibus, etsi alterius sexus, nonnulli sunt cappellani, qui iisdem in Oratoriis Missam faciunt. Quid ergo de his iudicandum ad Missae cum officio concordantiam quod attinet?

Respondendum credimus, id genus Oratoria, quae stricte privata dici nequeunt, generalem normam pro Oratoriis stricte privatis ex communi lege statutam non posse sequi. In illis enim plures dicuntur Missae, dum una tantum in istis (1) dici potest. In illis functiones solemnes fieri nequeunt, quae tamen crebro in his peraguntur. In illis nullus est clerus, sed unus Sacerdos tantum: in his vero plures, qui licet non sint eiusmodi Oratoriis adscripti, nihilominus ita se gerunt ad Missae quod spectat celebrationem, ac si de illorum gremio essent.

Ex quibus sequitur, praefata Oratoria lato sensu privata, quod spectat propositum nostrum veluti publica reputanda esse. Secus enim in pluribus, quae continuo accidunt, illa deficeret uniformitas tantopere necessaria, quam lex et spiritus Ecclesiae exigunt. Et revera in his Oratoriis saepe Cappellani diversum sequuntur calendarium: quandoque in eodem Seminario duo sunt Sacerdotum coetus, ex quibus alter unum, alter alterum calendarium sequi tenentur. Praeterea ad eadem Oratoria alii saepe accedunt Sacerdotes externi Sacrum facturi. Si ergo unicuique horum facultas inesset, aut onus Missam semper faciendi iuxta proprium relativum calendarium, nulla servaretur uniformitas, imo enormis sequeretur difformitas, ex qua cultus dedecus. Praeterea grave imponeretur, sine iure, onus Communitati, ad quam per-

---

(1) Id intelligas de Oratoriis domesticis tantum, uti ordinario conceditur: exceptiones nihilominus plures faciendae essent, quae hic locum non habent.

tinet Oratorium, diversi coloris quotidie paramenta praeparandi: quod, ritu semiduplici, vel eo inferiori secluso, admitti nec potest nec debet. Consequenter idem de his Oratoriis credimus esse dicendum, quod dicitur, pro casu nostro peculiari, de Ecclesiis, seu de Oratoriis publicis, quae chorali obligationi non sunt addicta. Videlicet: Sacerdos celebraturus Missam faciet iuxta Oratorii calendarium, si color non concordet cum officio a se recitato: si autem concordet color, Missam celebrabit officio proprio, seu proprio calendario conformem.

His positis, videamus quid Decreta in Dubii propositi expositione citata disponant. Primum in *Marianen.* d. d. 20 Mart. 1880, respicit Seminarium in duas partes divisum, in quarum una docent Presbyteri Congregationis Missionis, in alia Presbyteri dioecesani, licet utramque primi gubernent. Quaeritur autem, cum Oratorium Seminarii utrique parti sit commune, cuinam standum sit calendario in Missis agendis, an dioecesano, an proprio Congregationis Missionis? Responsum est autem: « Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam. » Nil sapientius. Etenim seu Seminarium, seu Oratorium ad Dioecesim pertinent; ergo huius sequendum est calendarium in Missa, et Presbyteri Congregationis Missionis Sacerdotibus Dioecesanis se conformabunt, uniformitatis ergo, quod Missam attinet. Quod intelligendum est, privilegio aliquo secluso, quo certe Presbyteri Congregationis Missionis gaudent in Oratoriis id genus, ut nempe diebus saltem dup. 1. et 2. classis Missam legere valeant proprio calendario conformem. Per regulam enim

generalem arbitramur, non infirmari privilegium ab eadem lege eximens.

Alterum *Annecien.* d. d. 1 Dec. 1882, loquitur de Sacerdotibus exteris, confluentibus in dicta Oratoria ad celebrandum; et quaeritur, utrum se illi gerere debeant in celebranda Missa, *eodem modo ac si celebrarent in Ecclesia, an potius non aliter ac si celebrarent in Oratorio stricte privato.* S. R. C. respondit: « Debere se conformare calendario dioecesano, nisi Oratorium sit hac in re privilegiatum ». Hoc quoque uti patet superius expositam doctrinam confirmat.

Tertium in *Marianopolitana* d. d. 18 Iul. 1885 ad Dub. XI, quaes. 3, quaerit: *An regulae generales circa Missae celebrationem in Ecclesia aliena, similiter obligent in Oratoriis?* Responsio autem data est sequens: « Servanda regula generalis etiam in Oratoriis, exceptis mere privatis ». Uti patet hoc quoque Decretum aliis consonat, cum mere privata Oratoria excipiat a generali regula sequenda.

Hinc ergo certum et indiscutibile educitur principium: Oratoria, quae stricte privata non sunt, aequiparantur Ecclesiis, quod ad Missae attinet celebrationem; in iisque generalis regula tenenda semper, quae pro Ecclesiis statuta est. Hoc autem perfecte consonat doctrinae superius expositae, uniformitati servandae, rectoque sensui liturgico.

Expositis haud obstantibus, nunc iuvet nobis inquirere: Si in Oratoriis semipublicis unus tantum Sacerdos Missam faceret, uti saepe accidit seu in Seminariis, seu in Hospitalibus, seu in domibus quarumdam piarum Communitatum, cui-

nam calendario standum esset Celebranti? Putasne calendario Dioecesis? Nonne potius calendario proprio ipsius Celebrantis? Momenta enim superius allata, quae militant pro dioecesano calendario sequendo, nulla vi pollent in casu. Aliunde agitur de Oratoriis, quae ob eadem allata momenta uti Ecclesiae habenda sunt, cum cetero privata esse non desinant. Hac ergo in hypothesi, pro certo habendum, Celebrantem debere Missam facere iuxta proprium calendarium. Nonne autem ista est hypothesis, in qua Ephemerides pluries docuerunt, Oratoria Seminariorum, Hospitalium etc. uti privata censenda esse pro Missae celebratione? Eas relegat adm. Rev. Dom. qui Dubium proposuit; et, ni fallimur, re perpensa, se conquerendi fortasse cessabit ratio. Quod si aliter se alicubi explicare Ephemerides visae sunt, profecto ad hunc sensum reducendae.

Hanc nanciscimur occasionem duo inter se concordandi Decreta, quae eamdem propemodum ac superius materiam tangunt, de quibus idem adm. Rev. Consulens noster verba facit. Primus est *Sancti Chrystophori* in *Havana* d. d. 23 Iun. 1893 (Vid. *Ephem.* eiusd. anni, pag. 453): alterum est in *Marianen.* de quo iam locuti sumus. Illud declarat, Ordines religiosos, qui dioecesanis inserviunt Ecclesiis, pro quo et remunerationem a Gubernio accipiunt, debere se conformare calendario Ordinis, si proprio gaudeant, secus calendario dioecesis. Alterum, uti exposuimus declarat, Presbyteros Congregationis Missionis dirigentes Seminarium, et alios adlaborantes sibi Sacerdotes habentes, qui ad dioecesim pertinent, non posse

Missam facere proprio, sed tantum dioecesano calendario conformem.

Quantum videmus, haec duo Decreta concordant inter se. Silemus de officio, quod debet esse iuxta proprium calendarium, et duo dicta Decreta nil in contrarium statuunt. Ad Missam vero quod pertinet, Decretum *Sancti Chrystophori* exigit, ut calendario proprii Ordinis fiat illa conformis: alterum *Marianen.* ut sit conformis calendario dioecesis. En contradictio, quae profecto apparens est, nequaquam realis. Sane in primo Decreto agitur de Ordinibus religiosis, qui Ecclesiis dioecesanis inserviunt, ut hae Ecclesiae ad eosdem Ordines veluti pertineant, cum in omnibus et quibuscumque functionibus eas ipsi moderentur. Se ergo conformantibus in Missa calendario proprio, nil accidit contra uniformitatem, quae perfecte servatur, cum unum calendarium sequantur omnes et singuli. In altero vero agitur de duobus coetibus, qui diversum sequuntur calendarium; et Ecclesia, seu Oratorium, in qua Missam faciunt, ad Dioecesim pertinet ita, ut exclusive neutrius e duobus coetibus sit propria. Iam pone, S. R. Congregationem exegisse, ut Presbyteri Missionis proprium sequerentur calendarium, iam de uniformitate actum esset, magnaque in illo Oratorio exorta confusio. Tu vero subsumes, S. R. Congregationem potuisse respondere, ut Presbyteri dioecesani, calendario Missionis se conformassent. At reponimus, id aequum non esse; quia Seminarium, quod Presbyteri Missionis moderantur, ab Episcopo dioecesano dependet, Oratorium in dioecesi est, et ad eumdem pertinet Episcopum, ad quem etiam pertinent Presbyteri dioecesani cum illis commorantes, et

docentes. Quomodo igitur eiusmodi facere potuisset iniuriam Sacrum Rituum Tribunal Episcopo dioecesano, ut eius Presbyteros cogeret alienum calendarium sequi? Opposita proinde responsa diversitas casuum cohonestat: ut nullo pacto sibi contradicant, stetque Sacri Tribunalis sapientia, quae pro diversis rerum locorumque adiunctis, diversa quoque responsa tradidit.

Concludimus, maximi faciendam, uti in hoc, ita in casibus superius expositis, uniformitatem, ad quam attendens S. R. Congregatio, suas responsiones exhibet, quae non possunt, quin aequitate atque sapientia sint praeditae.

ELOGIA

IN MARTYROLOGIO ROMANO INSCRIBENDA

Tertio Idus Februarii.

Etruriae in Monte Senario Sanctorum Septem Fundatorum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, qui post asperrimum vitae genus, meritis et prodigiis clari, pretiosam in Domino mortem obierunt. Quos autem in vita unus verae fraternitatis spiritus sociavit, et indivisa post obitum populi veneratio prosecuta est, Leo Decimustertius una pariter Sanctorum fastis accensuit.

In Africa natalis sanctorum Martyrum etc.

Idibus Augusti.

Ad calcem, post verba: virtutibus claruit. Romae natalis sancti Ioannis Berchmans scholastici

e Societate Iesu, vitae innocentia et religiosae disciplinae custodia insignis, cui Leo Decimustertius Pontifex Maximus caelitum Sanctorum honores decrevit.

Quinto Idus Septembris.

Ad calcem, post verba : sancti Querani Abbatis. Carthagine nova in America meridionali, sancti Petri Claver Confessoris e Societate Iesu, qui mira sui abnegatione et eximia caritate Nigritis in servitutem abductis annos amplius quadraginta operam impendens, tercenta fere eorum millia Christo sua ipse manu regeneravit, et a Leone Decimotertio Pontifice Maximo in Sanctorum numerum relatus est.

Tertio Kalendas Novembris.

Ad calcem, post verba : sancti Gerardi Episcopi. Palmae in Maiorica sancti Alphonsi Rodriguez Confessoris, coadiutoris temporalis formati Societatis Iesu, humilitate ac iugi mortificationis studio insignis, quem Leo Duodecimus Beatorum, Leo vero Decimustertius Sanctorum fastis adscripsit.

IOANNES PONZI, *Secretariae S. R. C. Substitutus.*

QUAESTIO SOLVENDA MENSE SEQUENTI

In Brevi *Illud est* diei 21 Ianuarii vertentis anni (*V. Eph. mens. Martii pag. 129*), praeter alia, haec leguntur: « Qui vero alicuius Metropolitanae vel Cathedralis aut Collegiatae Ecclesiae seu Basilicae minoris extra Urbem Canonici sunt ad honorem, *privilegiis et insignibus tantum utantur in dioecesi ubi nominati sunt*, nullo modo extra illius territorium.

Quaeritur: Quomodo intelligenda sint?

EXPOSITIO NOVISSIMA

RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*V. N. 3. huius anni pag. 139*)

(*Contin. Tit. VII. n. 3*).

(180)... *ac etiam de duplicibus translatis.* De duplicibus nempe I, vel II classis, maioribus, et etiam minoribus doctorum Ecclesiae, non de ceteris duplicibus quae privilegio translationis nunc carent, ut dicetur infra Tit. X. n. 1.

(181)... *cum commemoratione octavae;* duo enim in casu occurrunt officia de festo et de infra octavam; agitur ergo de primo, et de altero, utpote minoris dignitatis, fit commemoratio iuxta legem generalem.

(182)... *nisi illa festa,* idest occurrentia infra octavam, *sint de solemnioribus enumeratis in sequenti Rubrica de Commemorationibus.* In loco hic citato (*Tit. IX, nn. 4, 5 et 6*) enumerantur festa, quae vi Rubricarum celebrantur ritu duplici I vel II classis, in quibus *de die infra octavam non fit commemoratio;* sed et in quibuscumque aliis duplicibus I et II classis, licet in citata Rubrica non enumeratis, quae alicubi celebrantur, non est commemoranda dies infra octavam. Siquidem eo nobilius est festum, quo minus in eo commemorantur alia officia; de infra octavam ergo,

ne minuatur solemnitas I et II classis, non agendam esse in casu commemorationem hic praecipit Rubrica.

(183).... *exceptis octavis Nativitatis, Epiphaniae et Corporis Christi, de quibus fit semper commemoratio, quocumque festo in illis occurrente;* quamquam est duplex I classis in aliquo loco solemnissimum. Quia festa Nativitatis, Epiphaniae, et Corporis Christi, ex solemnioribus sunt in Ecclesia Dei, ob magnitudinem mysteriorum quae in eis commemorantur; quocumque ergo festo infra eorum octavas occurrente, de eis agenda est commemoratio, proindeque hae octavae dicuntur privilegiatae. Hoc eodem privilegio donata fuit, pro Clero Romano, octava quoque Ss. Apostolorum Petri et Pauli, ex S. R. C. decreto Urbis et Orbis 5 Iulii 1883 N. 5879 ad III.

Cum autem dicitur infra octavas non privilegiatas agendum esse de duplici translato, hoc intelligendum sane est, quando infra octavas dies vacua existat, scilicet non occurrat aliquod officium novem lectionum, duplex vel semiduplex, ita ut de octava ipsa esset agendum officium. Hinc si infra aliquam octavam occurrat fieri officium Dominicae, tunc, uti cuique patet, et declaravit S. R. C. (*In Veronensi 24 Ianuarii 1643, N. 1431*), in ea Dominica de duplici translato agi nefas est.

(184) *Infra Octavas autem Paschae et Pentecostes non fit de Festo aliquo, etiam principali Patrono vel Titulari Ecclesiae vel Dedicatione eiusdem, sed transfertur post Octavam.* Solemnissima sunt haec duo festa, ceterisque omnibus praeferuntur, hinc et eorum octavae privilegiatissimae sunt, ita ut infra ipsas fieri nequeat de festo quocumque, etiam in locis celeberrimo, du-

plici I classis, quod in casu post octavas illas erit transferendum.

(185)... *si transferri valeat, secus de eo fit commemoratio, ut dicetur in eadem Rubrica de Translatione Festorum.* Haec verba adiecta fuere in ultima Rubricarum reformatione; de duplici ergo minore non doctoris, et de semiduplici occurrente infra octavam Paschae et Pentecostes, agitur hodie commemoratio, exceptis feriis II et III earumdem octavarum, eo quod ritu duplici I classis recoluntur; cum ex praecepto Rubricae reformatae (Tit. IX, n. 7) *de festis duplicibus et semiduplicibus, quoties... reduci debent ad modum simplicis fit commemoratio... praeter quam in omnibus duplicibus I classis*: alia vero festa, infra octavas Paschae et Pentecostes occurrentia, quae transferri possunt, post ipsas celebrantur.

(186) *Infra Octavam Epiphaniae fit tantum de Patrono vel Titulari Ecclesiae et Dedicatione eiusdem (non tamen in die octava).* Privilegium Octavae Epiphaniae habet, ut infra illam de nullo agi possit festo, nisi sit I classis. Licet hic Rubrica loquatur *tantum de Patrono vel Titulari Ecclesiae et Dedicatione eiusdem;* nihilominus et de quocumque alio Duplici I classis loqui voluisse, tria nobis suadent. Primo, quia Rubrica, ut infra videbimus (*Tit. X, n. 1*), inter festa solemniora excepta, quae celebrari possunt in dominicis maioribus II classis, *et in diebus infra octavam Epiphaniae*, enumerat festa solemnia localia, dicens: *excepto quoque Festo quocumque solemni alicuius loci*, ergo non tantum Titulus vel Dedicatio Ecclesiae aut loci Patronus, infra Octavam Epiphaniae, sed et quodcumque festum I classis utpote *solemne.* Secundo, quia cum in nuperrima Rubricarum emendatione (*Tit. IX, n. 2 in fine*) adiecta fuerint verba: *Idem dicendum de aliis*

festis I classis occurrentibus in praefatis Dominicis maioribus, in quibus dominicis iam dixerat Rubrica agi posse *festum Patroni, vel Tituli aut dedicationis Ecclesiae*, a similibus argui debet, quod et infra Octavam Epiphaniae admittenda sint festa I classis. Tertio quia S. R. C. (*die 22 Martii 1817, N. 4530 ad 1, 2 et 3*) postquam declaravit in Lusitaniae Regnis octavam Corporis Christi privilegiatam, aequiparandam esse Octavae Epiphaniae, decrevit: *Si infra Octavam Corporis Christi*, ad instar octavae Epiphaniae, *occurrat festum sub ritu I classis, de eo celebretur officium cum commemoratione Octavae occurrentis;* ergo supponit S.R.C. quod et infra octavam Epiphaniae fieri possit de quocumque duplici I classis. Consulto hoc probandum suscepimus, ad tollendum dubium quod ponit *De Herdt* (*p. 4, n. 244*) docens: " In secundo gradu est octava „ Epiphaniae infra quam, tantum fit de principali „ Patrono et Titulari atque de Dedicatione Ecclesiae, „ et FORTE de alio quocumque festo duplici I classis „.

Item ad diluenda argumenta in contrarium, quae afferuntur a viro alioquin clarissimo, Iosepho Marchesi Presb. Congr. Missionis in sua elucubratione, lecta in Academia liturgica Romana die 9 Ianuarii 1856, n. 18 et 19.

... *non tamen in die octava.* Cum in die octava Epiphaniae recolatur memoria Baptismi D. N. I. C. de quo legitur evangelium in Missa, et homilia in officio, ab ea respuit Rubrica quodcumque festum, etiam primae classis. Ad rem ait Durandus: " Octava dies „ Epiphaniae suppletionis est, quia sicut in festo re„ colimus quomodo Christus baptizatus est, ita in „ octava rem propter quam baptizatus est. In octava „ igitur, de secundo Epiphaniae miraculo, scilicet de „ Baptismo, iubilatur. „ Ne ergo haec sancta iubilatio

minuatur, voluit Ecclesia ut numquam omittatur officium octavae Epiphaniae, etiamsi alicubi occurrat solemnissimum festum I classis.

... *cum commemoratione octavae;* licet ergo agatur de duplici I classis occurrente, in huiusmodi tamen festo agenda est commemoratio octavae: primo quia octava privilegiata est, secundo ne omittantur antiphonae propriae ad *Magnificat* et *Benedictus.*

Rubrica quam hic exponimus, concordat cum Rubrica speciali, quae habetur in Breviario post festum Epiphaniae. Sub oculis lectorum ponantur simul textus antiquus et textus emendatus.

Textus antiquus.	Textus emendatus.
Infra octavam Epiphaniae si occurrat festum duplex vel semiduplex transfertur post octavam, nisi fuerit Patroni vel Tituli Ecclesiae vel Dedicatio eiusdem, ut dicitur in Rubrica de Octavis, de simplicibus vero fit commemoratio.	Infra octavam Epiphaniae si occurrat festum duplex ex maioribus, vel alicuius doctoris Ecclesiae, transfertur post octavam, nisi fuerit Patroni vel Titularis Ecclesiae, vel Dedicatio eiusdem, de aliis vero duplicibus et semiduplicibus et de simplicibus fit commemoratio iuxta Rubricas.

Utrumque textum hic posuimus, ut videant lectores antiquam locutionem nihil habere difficilis intelligentiae, novam vero, et emendatam Rubricam non parvam difficultatem praeseferre.

Revera, in antiquo textu unusquisque etiam ex tyronibus liturgicis, statim intelligit, quodcumque fe-

stum natale duplex vel semiduplex alicuius Sancti, infra octavam Epiphaniae occurrens, (nempe a die VII usque ad XII Ianuarii) fieri non posse sua die, nisi sit duplex 1. classis, proindeque transferri debuisse post ipsam octavam. In novo autem textu res aliter se habet, dicit enim: *si occurrat festum ex maioribus vel alicuius doctoris ecclesiae, transfertur post octavam*; (ex maioribus, nempe duplex II classis et duplex maius, quae sicut et duplex doctoris Ecclesiae, iuxta Breve *Nullo unquam* 28 Iulii 1882, adhuc transferuntur post octavam), et in hoc nihil immutata fuit Rubrica. Deinde autem dicit: *de aliis vero duplicibus* (nempe minoribus non doctoris) *et semiduplicibus... fit commemoratio*. In his verbis stat gravis difficultas.

Si Epiphania esset festum mobile, ac proinde mobilis esset eius octava, tota exularet difficultas; compertum est enim, ex praescripto reformatae Rubricae, duplicia minora et semiduplicia, cum impediuntur a nobiliori officio non amplius transferri, sed eo anno vel commemorari, vel si occurrant in duplicibus I Classis, penitus omitti. Citata ergo haec nova Rubrica si respiceret octavas Paschatis vel Pentecostes, omnibus numeris absoluta esset; quia hae duae octavae, cum mobiles sint, saepe saepius accidit ut infra eas occurrant festa duplicia et semiduplicia. Sed cum octava Epiphaniae, suis diebus fixa sit, ita ut quovis anno iisdem diebus mensis occurrat, non intelligitur quomodo infra eam occurrere possint festa duplicia et semiduplicia quae commemoranda sint. Si reapse dictis diebus occurrit festum natale alicuius Sancti, puta S. Hygini, quod recolitur ritu duplici minori aut semiduplici, tunc officium eius reponitur perpetuo post octavam ipsam, et proinde de eo non est fa-

cienda commemoratio; cur ergo ita se expresserit nova Rubrica, sapientioribus relinquimus inquirendum. Si nobis licet nostram proferre sententiam, de hac nova Rubricae locutione, sicut de quibusdam aliis, dicendum est, S. R. C. Officialem, qui provinciam sumpsit Rubricas emendandi ad mentem Brevis *Nullo unquam*, antiquam locutionem, minus quam potuit immutare voluisse; bene ergo citata Rubrica hisce vel similibus verbis exprimi potuisset: ex. gr. Infra octavam Epiphaniae si occurrat festum natale alicuius Sancti sub ritu duplici vel semiduplici, reponitur perpetuo post ipsam octavam, nisi fuerit festum I classis; de simplicibus vero fit commemoratio; sed in obsequium laudabilis antiquitatis tali locutione usus est. Ad tollendam ergo omnem difficultatem super huiusmodi reformatam Rubricam, tyrones recurrant ad leges occurrentiae, ex quibus satis abunde apparebit, quid erit agendum quando concedatur in futuro festum agere, duplex minus vel semiduplex, alicuius Sancti, cuius natale contingat infra octavam Epiphaniae.

(*Continuabitur.*) Doct. Petrus Piacenza.

MONITUM.

Lectores monitos volumus, duo Dubia circa *Angelus Domini* recitando genibus flexis, vel stando in Sabbatis Quadragesimae, et de eodem dicendo, vel *Regina caeli* in Sabbato infra octavam Pentecostes, iam fuisse a nobis resolvenda S. Ind. Congregationi proposita: quaestionem diremptam expectamus.

SPECIMEN KALENDARII

UNIVERSALIS ECCLESIAE

PRO ANNO 1895.

in quo PASCHA contingit die 14 Aprilis.

Tabella Temporaria

Littera Dominicalis	f.
Aureus Numerus	15.
Epacta	IV.
Littera Martyrologii (*parva*)	d.
Indictio Romana	VIII.
Dominicae post Epiphaniam	N. 4.

Festa Mobilia

Septuagesima	10 Febr.
Dies Cinerum	27 Febr.
Pascha Resurrectionis . . .	14 April.
Rogationes 20, 21,	22 Maii.
Ascensio Domini	23 Maii.
Pentecostes	2 Iunii.
Corpus Christi	13 Iunii.
Dominicae post Pentecosten	N. 25.
Dominica 1. Adventus .	1 Decem.

Quatuor Anni Tempora

In vere 6, 8,	9 Mart.
In aestate 5, 7,	8 Iunii.
In autumno . . 18, 20,	21 Sept.
In hyeme 18, 20,	21 Decem.

NUPTIAE CELEBRARI POSSUNT

A die 7 Ianuarii usque ad diem 26 Februarii inclusive et a die 22 Aprilis usque ad diem 30 Novembris pariter inclusive.

IANUARIUS.

✠ 1. F. 3. CIRCUMC. D.NI *d.* *2. cl.*
2. F. 4. Oct. Stephani *d.* c. octavar.
3. F. 5. Oct. Ioannis *d.* c. oct.
4. F. 6. Oct. Innoc. *d.*
5. S. Vig. Epiph. *sem.* c. Telesphori.

✠ 6. D. *(vacat)* **Epiphania D.ni** *d. 1. cl. cum oct. priv.*

CRAS MANE APERIUNTUR NUPTIAE.

7. F. 2. De 2. die infra oct. *sem.*
8. F. 3. De 3. die infra oct. *sem.*
9. F. 4. De 4. die infra oct. *sem.*
10. F. 5. De 5. die infra oct. *sem.*
11. F. 6. De 6. die infra oct. *sem.* c. Hygini.
12. S. De Dom. infra oct. *sem.* c. oct.

✠ 13. D. 1. p. Epiph. (*de qua nihil*) Oct. Epiph. *d.* — *Inc. Ep. I. ad Corinth.*
14. F. 2. Hilarii *d.* c. Felicis.
15. F. 3. Pauli. I. Er. *d.* c. Mauri.
16. F. 4. Marcelli I. *sem.* « Resumuntur **Suffragia** ».
17. F. 5. Antonii *d.*
18. F. 6. Cathedra Rom. *d. m.* c. Pauli et Priscae.
19. S. Canuti *sem. ad lib.* c. Marii et Soc.

✠ 20. D. 2. p. Epiph. NOMINIS IESU *d. 2. cl.* c. Fabiani et Sebastiani ac Dom.
21. F. 2. Agnetis *d.*
22. F. 3. Vincentii et Anastasii *sem.* (Romae *d.*) — *Inc. Ep. II. ad Corinth.* (ex Dom. praec).

23. F. 4. Raymundi a Peñaf. *sem.* c. Emerentianae. — *In Stat. Eccl. et aliq. locis* Desponsatio B. M. V. *d. m.* c. Ioseph et Emerentianae.
24. F. 5. Timothei *d.*
25. F. 6. Conversio Pauli *d. m.* c. Petri.
26. S. Polycarpi *d.*
✠ 27. D. 3. p. Epiph. Io. Chrysost. *d.* c. Dom. -- *Inc. Ep. ad Galatas.* — *Romae et aliq. loc.* S. Familiae *d. m.* c. Dom.
28. F. 2. Agnetis *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Agnetis. — *Romae et aliq. loc.* Io. Chrysostomi *d.* (*f. heri*) c. Agnetis. — *Inc. Ep. ad Galatas* (ex Dom. praec.).
29. F. 3. Francisci Salesii *d.*
30. F. 4. Martinae *sem.* (Romae *d.*) — *Inc. Ep. ad Ephesios.*
31. F. 5. Petri Nolasco *d.*

FEBRUARIUS.

1. F. 6. Ignatii *d.*
✠ 2. S. Purificatio B. M. V. *d. 2. cl.*
✠ 3. D. 4. p. Epiph. De ea *sem.* c. Blasii. — *Inc. Ep. ad Philippenses.*
4. F. 2. Andreae Corsini *d.*
5. F. 3. Agathae *d.*
6. F. 4. Titi *d.* (*In Stat. Eccl.* Hyacinthae Mariscott. *d.*) c. Dorotheae. — *Inc. Ep. ad Colossenses* (ex fer. 3. praec.).
7. F. 5. Romualdi *d.* — *Inc. Ep. I. ad Thessalonicenses.*
8. F. 6. Ioannis de Matha *d.*
9. S. Cyrilli Alexandr. *d.* (*In Stat. Eccl.* Titi *d. ass. ex 6 hui.*) — *Inc. Ep. II. ad Thessalonicenses,* 9. l. hom. et com. Dom. 5. p. Epiph. ac Apolloniae in Laud. et Miss.
✠ 10. D. Septuagesimae *2. cl. sem.* c. Scholasticae.
11. F. 2. Sept. Fundatorum *d.*
12. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. — *In Stat. Eccl.* Cyrilli Alexandr. *d.* (*ass. ex 9 hui.*) — *aliq. loc.* Raymundi a Peñaf. *sem.* (*ass. ex 23 Ian.*) — *Ubi vero est concess.* Orationis D.ni *d. m.* (c. Raymundi a Peñaf. *aliq. locis tant.*).
13. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph. — *In Stat. Eccl.* Raymundi a Peñaf. *sem.* (*ass. ex 23 Ian.*).
14. F. 5. Valentini *simp.* — *vel* Vot. Sacramenti, c. Valentini. — *In Stat. Eccl.* (*ubi f. 3. praec. peractum est off. Orat. Dni*) Cyrilli Alexandr. *d.* (*f. 12 hui. ass. ex 9*) c. Valentini.
15. F. 6. Faustini et Iovitae *simp.* — *vel* Vot. Passionis c. Faustini et Iovitae.
16. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 17. D. Sexagesimae *2. cl. sem.*
18. F. 2. Simeonis *simp.* — vel Vot. Angel. c. Simeonis.
19. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. — *aliq. loc.* Comm. Passionis *d. m.*
20. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
21. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti.
22. F. 6. Cathedra Antioch. *d. m.* c. Pauli.
23. S. Vig. Petri Damiani *d.* c. Vigil.
✠ 24. D. Quinquagesimae *2. cl. sem.*
25. F. 2. Mathiae *d. 2. cl.* (*f. heri*) — *In Italia et aliq. loc.* Margaritae Corton. *sem.*

26. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. — *In Italia et aliq. loc.* Mathiae *d. 2. cl.* (*f. 24 hui.*).

CRAS CLAUDUNTUR NUPTIAE.

27. F. 4. CINERUM *simp.*
28. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti (per tot Quadr. in off. de Ss. dicitur IX. lectio et fit com. feriae).

MARTIUS

1. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Spineae Coronae *d. m.*
2. S. De eo — *vel* Vot. Immacul. Concept.

INCIPIT PARS VERNA BREVIARII.

✠ 3. D. 1. QUADRAG. *2. cl. sem.*
4. F. 2. Casimiri *sem.* c. Lucii I.
5. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.
6. F. 4. QUAT. TEMP. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
7. F. 5. Thomae Aquinatis *d.* c. Perpetuae et Felicitatis.
8. F. 6. QUAT. TEMP. Ioannis de Deo *d.* — *aliq. loc.* Lanceae et Clavor. *d. m.* c. Ioannis de Deo.
9. S. QUAT. TEMP. Franciscae Rom. *d.*
✠ 10. D. 2. QUADRAG. *2. cl. sem.* c. Quadraginta Mm.
11. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
12. F. 3. Gregorii I. *d.*
13. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
14. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti.
15. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis. — *aliq. loc.* Sindonis Dñi *d. m.*
16. S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 17. D. 3. QUADRAG. *2. cl. sem.* c. Patritii.
18. F. 2. Cyrilli Hierosol. *d.* — *aliq. loc.* Gabrielis Archang. *d. m.*
✠ 19. F. 3. **Ioseph.** *d. 1. cl.*
20. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph. — *aliq. loc.* Cyrilli Hierosol. *d.* (*ass. ex 18 hui.*).
21. F. 5. Benedicti *d. m.*
22. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — (*In Italia* Catharinae Fliscae Adurnae) *d.* — *aliq. loc.* Quinque Vulner. Dñi (c. Catharinae *in Italia tant.*)
23. S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 24. D. 4. QUADRAG. *2. cl. sem.*
✠ 25. F. 2. ANNUNTIATIO B. M. V. *d. 2. cl.*
26. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.
27. F. 4. Ioannis Damasceni *d.*
28. F. 5. Ioannis a Capistrano *sem.*
29. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Pretios. Sanguinis Dñi *d. m.*
30. S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 31. D. PASSIONIS *1. cl. sem.* « Cessant Suffragia et Off. vot. »

APRILIS.

1. F. 2. De ea.
2. F. 3. Francisci a Paula *d.*
3. F. 4. De ea.
4. F. 5. Isidori *d.*
5. F. 6. Septem Dolorum B. M. V. *d. m.* c. Vincentii Ferreri.
6. S. De eo.
✠ 7. D. PALMARUM *1. cl. sem.*

8. F. 2. mai. hebd. De ea.
9. F. 3. mai. hebd. De ea.
10. F. 4. mai. hebd. De ea.
11. F. 5. in Coena Domini *d. 1. cl.*
12. F. 6. in Parasceve *d. 1. cl.*
13. Sab. Sanctum *d. 1. cl.* (nihil de Hermenegildo).
✠ 14. D. **Pascha Resurr.** *d. 1. cl. cum oct. privil.* (nihil de Iustino ac Tiburtio et Soc.)
† 15. F. 2. De ea *d. 1. cl.*
† 16. F. 3. De ea *d. 1. cl.*
17. F. 4. De ea *sem.* c. Aniceti.
18. F. 5. De ea *sem.*
19. F. 6. De ea *sem.*
20. S. De eo *sem.*
✠ 21. D. in Albis *1. cl.* De ea *dup.*

CRAS MANE APERIUNTUR NUPTIAE.

22. F. 2. Soteris et Caii *sem.* — *Inc. lib. Act. Ap.*
23. F. 3. Georgii *sem.*
24. F. 4. Fidelis a Sigm. *d.*
25. F. 5. Marci *d. 2. cl.*
26. F. 6. Cleti et Marcellini *sem.* — *aliq. loc.* B. M. V. de Bono Consilio *d. m.*
27. S. Leonis I. *d.* (*f. 11 hui.*) — *aliq. loc.* Cleti et Marcellini *sem.* (*ass. ex heri*).
✠ 28. D. 2. p. Pascha. Pauli a Cruce *d.* c. Dom. et Vitalis.
29. F. 2. Petri *d.*
30. F. 3. Catharinae Sen. *d.* (Romae *d. 2. cl.*)

MAIUS.

† 1. F. 4. Philippi et Iacobi *d. 2. cl.*
2. F. 5. Athanasii *d.*
† 3. F. 6. Inventio Crucis *d. 2. cl.* c. Alexandri I. et Soc. in Laud. et Miss. priv.
4. S. Monicae *d.*
✠ 5. D. 3. p. Pascha. Patrocinium Ioseph *d. 2. cl.* c. Pii V. et Dom.
6. F. 2. Ioannis ante P. L. *d. m.* — *Inc. lib. Apocal.* (ex Dom. praec.)
7. F. 3. Stanislai *d.*
8. F. 4. Appar. Michaelis Arch. *d. m.*
9. F. 5. Gregorii Nazianzeni *d.*
10. F. 6. Antonini *d.* c. Gordiani et Epimachi.
11. S. Anselmi *d.* (*f. 21 April.*) *aliq. loc.* Leonis I. *d.* (*f. 11 April.*)
✠ 12. D. 4. p. Pascha. De ea *sem.* c. Nerei et Soc. - *Inc. Ep. Iacobi.*
13. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. — *aliq. loc.* Anselmi *d.* (*f. 21 April.*)
14. F. 3. Bonifacii *simp.* — *vel* Vot. Apost. c. Bonifacii.
15. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
16. F. 5. Ubaldi *sem.* — *aliq. loc.* Ioan. Nepomuceni. *d.*
17. F. 6. Paschalis Baylon C. *d.*
18. S. Venantii *d.*
✠ 19. D. 5. p. Pascha. Petri Caelestini *d.* c. Dom. et Pudentianae. — *Inc. Ep. I. Petri.*
20. F. 2. Rogat. Bernardini Sen. *sem.* c. fer.
21. F. 3. Rogat. De ea. Miss. de Rogat. (*col. viol.*) — *vel* Vot. Apost. c. fer. in Miss. tant. — *In Italia.* Felicis a Cantalicio *sem.* c. fer. in Miss. tant. — *aliq. loc.* Ubaldi *sem.* (*ass. ex 16 hui.*) c. fer. in Miss. tant.
22. F. 4. Rogat. Vig. Ascens. De Vigil. (c. fer. in Miss. tant.) — *aliq. loc. in Italia* Ubaldi *sem.* (*ass. ex 16 hui.*) c. Vigil. (In Miss. 3. or. fer.)

✠ 23. F. 5. **Ascensio D.ni** *d. 1. cl. cum oct.*
24. F. 6. De oct. *sem.* — *Inc. Ep. II. Petri* — *In Stat. Eccl. et aliq. loc.* B. M. V. Auxilium Christ. *d. m.* c. oct.
25. S. Gregorii VII. *d.* c. oct. et Urbani I. — *In Stat. Eccl. et aliq. loc. Inc. Ep. II. Petri* (ex fer. 6. praec.)
✠ 26. D. infra oct. Philippi Neri *d.* c. Dom., oct. ac Eleutherii — *Inc. Ep. I. Ioann.* — Romae *d. 2. cl.* c. Dom. (ac Eleutherii in Laud. et Miss. priv.)
27. F. 2. M. Magdalenae de Pazzis *sem.* (*In Italia d.*) c. oct. et Ioannis I. — *Romae. Inc. Ep. I. Ioannis* (ex Dom. praec.)
28. F. 3. Augustini Cantuar. *d.* c. oct.
29. F. 4. De oct. *sem.* — *Inc. Ep. II. Ioann.*
30. F. 5. Oct. Ascens. *d.* c. Felicis I. (*In Stat. Eccl.* c. Ferdinandi III. et Felicis I.)
31. F. 6. Angelae Merici *d.* c. fer. ac Petronillae. — *Inc. Ep. III. Ioann.*

IUNIUS.

1. S. Vig. Pent. De ea *sem.* — *Inc. Ep. Iudae* « Cessant Octavae ».
✠ 2. D. **Pentecostes** *d. 1. cl. cum oct. privil.* (nihil de Marcellino et Soc.)
† 3. F. 2. De ea *d. 1. cl.*
† 4. F. 3. De ea *d. 1. cl.* (nihil de Francisco Caracciolo).
5. F. 4. Quat. Temp. De ea *sem.* c. Bonifacii.
6. F. 5. De ea *sem.* c. Norberti.
7. F. 6. Quat. Temp. De ea *sem.*
8. S. Quat. Temp. De eo *sem.* « Explicit tempus Paschale. »

Incipit pars aestiva breviarii.

✠ 9. D. Trinitatis *d. 2. cl.* c. Dom. (ac Primi et Feliciani in Laud. et Miss. priv.)
10. F. 2. Margaritae Regin. *sem.* — *Inc. lib. I. Reg.* « Resumuntur Suffragia. »
11. F. 3. Barnabae *d. m.*
12. F. 4. Ioannis a S. Facundo *d.* c. Basilidis et Soc.
✠ 13. F. 5. **Corporis Christi** *d. 1. cl. cum oct. priv.* (nihil de Antonio a Padua). — *aliq. loc. cum oct. priv. ut Epiph.*
14. F. 6. Basilii *d.* c. oct.
15. S. De oct. *sem.* c. Viti et Soc.
✠ 16. D. infra oct. De ea *sem.* c. oct.
17. F. 2. De oct. *sem.*
18. F. 3. De oct. *sem.* c. Marci et Marcelliani.
19. F. 4. Julianae de Falcon. *d.* c. oct. ac Gervasii et Protasii.
20. F. 5. Oct. Corporis Christi *d.* c. Silverii.
21. F. 6. **Cordis Iesu** *d. 1. cl.* (nihil de Aloisio).
22. S. Vig. antic. De ea *simp.* ℟℟. ex fer. 2. infr. hebd. I. post oct. Pent. c. Paulini — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Vigil. et Paulini.
✠ 23. D. 3. p. Pent. De ea *sem.*
✠ 24. F. 2. **Nativ. Ioannis Bapt.** *d. 1. cl. cum oct.*
25. F. 3. Gulielmi *d.* c. oct.
26. F. 4. Ioan. et Pauli *d.* c. oct.
27. F. 5. De oct. *sem.*
28. F. 6. Vig. Leonis II. *sem.* c. oct. et Vig.
✠ 29. S. **Petri et Pauli** *d. 1. cl. cum oct.* — *aliq. loc.* c. omn. App.

+ 30. D. 4. p. Pent. Comm. Pauli *d. m.* c. Petri, Dom. ac oct. Nativ. Ioann. Bapt.

IULIUS.

1. F. 2. Oct. Nativ. Ioann. Bapt. *d.* c. oct. App.
2. F. 3. VISITATIO B. M. V. *d. 2. cl.* c. (oct. App. *Romae tant.* ac) Processi et Martiniani in Laud. et Miss. privat.
3. F. 4. De oct. *sem.*
4. F. 5. De oct. *sem.*
5. F. 6. Cyrilli et Methodii *d.* c. oct.
6. S. Oct. App. *d.*

+ 7. D. 5. p. Pent. PRETIOS. SANGUINIS D.NI *d. 2. cl.* c. Dom.

8. F. 2. Elisabeth Portug. *sem.*
9. F. 3. De ea — *vel* Vot. Angel. — *Romae* Prodigior. B. M. V. *d. m.* — *In Stat. Eccl.* Veronicae de Iulianis *d.* — *Inc. lib. II. Reg.* (ex Dom. praec.)
10. F. 4. Septem Fratrum et Soc. *sem.* — *Romae. Inc. lib. II. Reg.* (ex Dom. praec.)
11. F. 5. Pii I. *simp.* — *vel* Vot. Sacramenti, c. Pii I. — *Romae.* Veronicae de Iulianis *d.* (*ass. ex 9 hui.*) c. Pii I.
12. F. 6. Io. Gualberti *d.* c. Naboris et Felicis.
13. S. Anacleti *sem.*

+ 14. D. 6. p. Pent. Bonaventurae *d.* c. Dom.

15. F. 2. Henrici *sem.*
16. F. 3. B. M. V. de Monte Carmelo *d. m.*
17. F. 4. Alexii *sem.* (Romae *d.*)
18. F. 5. Camilli *d.* c. Symphorosae et Filior.
19. F. 6. Vincentii a Paulo *d.*
20. S. Hieronymi Aemiliani *d.* c. Margaritae.

+ 21. D. 7. p. Pent. De ea *sem.* c. Praxedis. — *Inc. lib. III. Reg.*

22. F. 2. M. Magdalenae *d.*
23. F. 3. Apollinaris *d.* c. Liborii.
24. F. 4. Vigil. De ea simp. c. Christinae — *vel* Vot. Ioseph c. Vig. et Christinae.

† 25. F. 5. IACOBI *d. 2. cl.* c. Christophori in Laud. et Miss. privat.

† 26. F. 6. ANNAE *d. 2. cl.*

27. S. De B. M. in Sabb. *simp.* (*vel* Vot. Imm. Concept.) c. Pantaleonis.

+ 28. D. 8. p. Pent. De ea *sem.* c. Nazarii et Soc.

29. F. 2. Marthae *sem.* c. Felicis II. et Soc.*
30. F. 3. Abdon et Sennen *simp.* — *vel* Vot. Apost. c. Abdon et Sennen.
31. F. 4. Ignatii de Loiola *d.*

AUGUSTUS.

1. F. 5. Petri ad Vinc. *d. m.* c. Pauli et Machab.
2. F. 6. Alphonsi *d.* c. Steph. I.
3. S. Inventio Stephani *sem.*

+ 4. D. 9. p. Pent. 1. Aug. Dominici *d. m.* c. Dom.

5. F. 2. B. M. V. ad Nives *d. m.*
6. F. 3. Transfiguratio Dñi *d. m.* c. Xysti II. et Soc.
7. F. 4. Caietani *d.* c. Donati — *Inc. Parab. Salom.* (ex Dom. praec.)
8. F. 5. Cyriaci et Soc. *sem.*
9. F. 6. Vig. De ea *simp.* ℟℟. ex 1. Noct. Dom. praec. c. Romani — *vel* Vot. Passionis c. Vigil. et Romani.

† 10. S. Laurentii *d. 2. cl. cum oct.*

✠ 11. D. 10. p. Pent. 2. Aug. De ea *sem.* c. oct. ac Tiburtii et Susannae. -- *Inc. lib. Ecclesiastes.*

12. F. 2. Clarae *d.* c. oct.

13. F. 3. De oct. *sem.* c. Hippolyti et Cassiani.

14. F. 4. Vig. De oct. *sem.* c. Vigil. et Eusebii. Miss. de Vigil. c. oct. et Eusebii.

✠ 15. F. 5. **Assumptio B. M. V.** *d. 1. cl. cum oct.*

16. F. 6. Hyacinthi *d.* c. octavar. — *aliq. loc.* Rochi *d.* c. octavar.

17. S. Oct. Laurentii *d.* c. oct. Assumpt.

✠ 18. D. 11. p. Pent. 3. Aug. Ioachim *d. 2. cl.* c. (Hyacinthi *aliq. loc. ass. ex 16 hui.*) Dom. (ac Agapiti in Laud. et Miss. priv.)

19. F. 2. De oct. *sem.*

20. F. 3. Bernardi *d.* c. oct. — *Inc. lib. Sapientiae* (ex Dom. praec.)

21. F. 4. Ioan. Franc. Fremiot de Chantal. *d.* c. oct.

22. F. 5. Oct. Assumpt. *d.* c. Timothei et Soc.

23. F. 6. Vig. Philippi Benitii *d.* c. Vigil. (except. Romae).

† 24. S. Bartholomaei *d. 2. cl.* — *Romae* Vig. De ea *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Vigil.

✠ 25. D. 12. p. Pent. 4. Aug. De ea *sem.* c. Ludovici — *In Gallia* Ludovici *d.* c. Dom. — *Inc. lib. Ecclesiastici.* — *Romae.* Bartholomaei *d. 2. cl.* c. Dom. — *aliq. loc.* Purissimi Cordis B. M. V. *d. m.* c. Dom. et Ludovici (*in Gallia* c. Ludovici et Dom.)

26. F. 2. Zephyrini *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Zephyrini — *Romae* Ludovici *sem.* — *Inc. lib. Ecclesiastici,* ex Dom. praec. (etiam ubi heri peract. fuit Off. Purissimi Cordis B. M. V.) c. Zephyrini.

27. F. 3. Ioseph Calasanct. *d.*

28. F. 4. Augustini *d.* c. Hermet.

29. F. 5. Decollat. Ioannis Bapt. *d. m.* c. Sabinae.

30. F. 6. Rosae Lim. *d.* c. Felicis et Adaucti.

31. S. Raymundi Nonnati *d.* (hoc anno omittitur Dom. 5 Aug.)

INCIPIT PARS AUTUMNALIS BREVIARII.

SEPTEMBER.

✠ 1. D. 13. p. Pent. 1. Sept. De ea *sem.* c. Aegidii et Duodec. Fratr. — *Inc. lib. Iob.*

2. F. 2. Stephani Reg. *sem.*

3. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. — *aliq. loc. in quib. fest. S. Barthol. agitur die 25 Aug.* Purissimi Cordis B. M. V. *d. m.* (*f. 25 Aug.*)

4. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph. *In Stat. Eccl. et aliq. loc.* Rosae a Viterb. *d.*

5. F. 5. Laurentii Iustin. *sem.*

6. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis.

7. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.

✠ 8. D. 14. p. Pent. 2. Sept. Nativitas B. M. V. *d. 2. cl. cum oct.* c. Dom. (ac Hadriani in Laud. et Miss. priv.).

9. F. 2. De oct. *sem.* c. Gorgonii.

10. F. 3. Nicolai a Tolent. *d.* c. oct.

11. F. 4. De oct. *sem.* c. Proti et Hyacinthi.

12. F. 5. De oct. *sem.*
13. F. 6. De oct. *sem.*
14. S. Exaltatio Crucis *d. m.* c. oct.

✠ 15. D. 15. p. Pent. 3. Sept. Nominis B. M. V. *d. m.* c. Dom. ac Nicomedis.

16. F. 2. Cornelii et Cypriani *sem.* c. Euphemiae et Soc. — *Inc. lib. Tobiae* (ex Dom. praec.)
17. F. 3. Stigmat. Francisci *d.*
18. F. 4. Quat. Temp. Ioseph a Cupertino *d.* c. fer.
19. F. 5. Ianuarii et Soc. *d.*
20. F. 6. Quat. Temp. Vig. Eustachii et Soc. *d.* c. fer. (In Miss. 3. or. Vigil.)

† 21. S. Quat. Temp. Matthaei *d. 2. cl.* c. fer.

✠ 22. D. 16. p. Pent. 4. Sept. VII Dolor. B. M. V. *d. m.* c. Thomae a Villanova, Dom. ac Mauritii et Soc.

23. F. 2. Lini *sem.* c. Theclae. — *Inc. lib. Iudith* (ex Dom. praec.)
24. F. 3. B. M. V. de Mercede *d. m.*
25. F. 4. De ea, ℟℟. ex 1. Noct. Dom. praec. — *vel* Vot. Ioseph.
26. F. 5. Cypriani et Iustinae *simp.* — *vel* Vot. Sacramenti c. Cypriani et Iustinae. — *Inc. lib. Esther* (ex Dom. 5. Sept.)
27. F. 6. Cosmae et Damiani *sem.*
28. S. Wenceslai *sem.*

✠ 29. D. 17. p. Pent. 1. Oct. Dedic. Michaelis Archang. *d. 2. cl.* c. Dom.

30. F. 2. Hieronymi *d.*

OCTOBER.

1. F. 3. Remigii *sem. ad lib. vel simp. de praecepto* (in Gallia *d.*) *Inc. lib. I. Machab.* (ex Dom. praec.)
2. F. 4. Angelorum Cust. *d. m.*
3. F. 5. De ea, ℟℟. ex 1. Noct. Dom. praec. — *vel* Vot. Sacramenti.
4. F. 6. Francisci *d. m.*
5. S. De B. M. in Sabb. (*vel* Vot. Imm. Concept.) c. Placidi et Soc. — *Romae* Gallae *d.* c. Placidi et Soc.

✠ 6. D. 18. p. Pent. 2. Oct. Rosarii B. M. V. *d. 2. cl.* c. Brunonis et Dom.

7. F. 2. Marci *simp.* c. Sergii et Soc. — *vel* Vot. Angel. c. Marci ac Sergii et Soc.
8. F. 3. Birgittae *d.*
9. F. 4. Dionysii et Soc. *sem.*
10. F. 5. Francisci Borgia *sem.*
11. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passion.
12. S. De B. M. in Sabb. — *vel* Vot. Imm. Concept.

✠ 13. D. 19. p. Pent. 3. Octob. De ea *sem.* c. Eduardi — *aliq. loc.* Maternitatis B. M. V. *d. m.* c. Dom. et Eduardi.

14. F. 2. Callisti I. *d.*
15. F. 3. Teresiae *d.*
16. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
17. F. 5. Hedwigis *sem.*
18. F. 6. Lucae *d. 2. cl.*
19. S. Petri de Alcantara *d.*

✠ 20. D. 20. p. Pent. 4. Octob. Ioannis Cantii *d.* c. Dom. — *Inc. lib. II. Machab.* — *aliq. loc.* Puritatis B. M. V. *d. m.* c. Ioannis Cantii et Dom.

21. F. 2. Hilarionis *simp.* c. Ursulae et Soc. — *vel* Vot. Angel.

c. Hilarionis ac Ursulae et Soc. — *aliq. loc. Inc. lib. II. Machab.* (ex Dom. praec.)
22. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.
23. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph — *Romae.* SS. Redemptoris *d. m.*
24. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti. — *aliq. loc.* Raphaelis Archang. *d. m.*
25. F. 6. Chrysanthi et Dariae *simp.* — *vel* Vot. Passionis, c. Chrysanthi et Dariae.
26. S. Vig. antic. De ea c. Evaristi. — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Vigil. et Evaristi.
✠ 27. D. 21. p. Pent. 5. Oct. De ea *sem.* — *Igitur Eleazarus.*
† 28. F. 2. Simonis et Iudae *d. 2. cl.*
29. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. — *Mortuo itaque* (ex fer. 2. praec.)
30. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph — *Antiochus autem* (ex fer. 3. praec.)
31. F. 5. Vig. De ea — *vel* Vot. Sacramenti, c. Vigil.

NOVEMBER.

✠ 1. F. 6. **Omnium Sanctorum** *d. 1. cl. cum oct.*
2. S. De oct. *sem.* Comm. omn. Defunct. *d.*
✠ 3. D. 22. p. Pent. 1. Nov. De ea *sem.* c. oct. — *Inc. lib. Ezechielis.*
4. F. 2. Caroli *d.* c. oct. ac Vitalis et Agricolae.
5. F. 3. De oct. *sem.*
6. F. 4. De oct. *sem.*
7. F. 5. De oct. *sem.*
8. F. 6. Octava omnium Ss. *d.* c. Quatuor. Coronat.
9. S. Dedic. Basilic. SS. Salvatoris *d. m.* c. Theodori (hoc anno omitt. Dom. 2. Nov.)
✠ 10. D. 23 p. Pent. 3. Nov. Andreae Avellini *d.* c. Dom. ac Tryphonis et Soc. — *Inc. lib. Danielis* — *aliq. loc.* Patrocinium B. M. V. *d. m.* c. Andreae Avellini, Dom. ac Tryphonis et Soc.
11. F. 2. Martini *d.* c. Mennae.
12. F. 3. Martini I. *sem.* — *aliq. loc. Inc. lib. Danielis* (ex Dom. praec.)
13. F. 4. Didaci *sem.* — *In Italia* Stanislai Kostkae *d.*
14. F. 5. Iosaphat *d.*
15. F. 6. Gertrudis *d.*
16. S. De B. M. in Sabb. — *vel* Vot. Imm. Concept. — *In Italia.* Didaci *sem.* (*ass. ex 13 hui.*)
✠ 17. D. 24. p. Pent. 6. p. Epiph. 4. Nov. De ea *sem.* c. Gregorii Thaum. (Romae Gregorii Thaum. *d.* c. Dom.) — *Inc. lib. Osee.*
18. F. 2. Dedic. Basilic. Petri et Pauli *d. m.*
19. F. 3. Elisabeth *d.* c. Pontiani. — *Inc. Ioël.*
20. F. 4. Felicis de Valois *d. 1. Inc. Amos, 2. Abdias, 3. Ionas* (ex fer. 5. 6. et Sabb. seq.)
21. F. 5. Praesentatio B. M. V. *d. m.*
22. F. 6. Caeciliae *d.*
23. S. Clementis I. *d.* c. Felicitatis.
✠ 24. D. 25. ult. p. Pent. 5. Nov Ioannis a Cruce *d.* c. Dom. ac Chrysogoni. — *Inc. Michaeas.*
25. F. 2. Catharinae *d.* — *Inc. Nahum.*

26. F. 3. Silvestri *d.* c. Petri Alexandrini. — *Inc. Habacuc.*
27. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph — *Inc. Sophonias.*
28. F. 5. De ea — *1. Inc. Aggaeus 2. Zacharias* (ex fer. 6. seq.) *3. Malachias* (ex Sabb. seq.) — *vel* Vot. Sacramenti — *Inc. Aggaeus* tant.
29. F. 6. Vigil. De ea, c. Saturnini — *vel* Vot. Passionis, c. Vigil. et Saturnini — *1. et 2. Inc. Zacharias, 3. Malachias.*

† 30. S. ANDREAE *d. 2. cl.*

INCIPIT PARS HYEMALIS BREVIARII.
CRAS CLAUDUNTUR NUPTIAE.

DECEMBER.

✠ 1. D. 1. ADV. *1. cl. sem.* « Cessant Suffragia ».
2. F. 2. Bibianae *sem.* (dieb. fer. per tot. Adv. in Off. 9. Lect. fit com. fer.)
3. F. 3. Francisci Xaverii *d.*
4. F. 4. Petri Chrys. *d.* c. Barbarae.
5. F. 5. De ea, c. Sabbae — *vel* Vot. Sacramenti, c. Sabbae.
6. F. 6. Nicolai *d.*
7. S. Vigil. Ambrosii *d.* (In Miss. 3. or. Vigil.)

✠ 8. D. 2. ADV. *2. cl.* **Immac. Conceptio B. M. V.** *d. 1. cl. cum oct.* c. Dom.
9. F. 2. De oct. *sem.*
10. F. 3. De oct. *sem.* c. Melchiadis — *aliq. loc.* Translatio Domus Lauret. *d. m.* c. Melchiadis.
11. F. 4. Damasi I. *sem.* c. oct.
12. F. 5. De oct. *sem.*
13. F. 6. Luciae *d.* c. oct.
14. S. De oct. *sem.*

✠ 15. D. 3. ADV. *2. cl. sem.* c. oct.
16. F. 2. Eusebii *sem.*
17. F. 3. De ea « Cessant Off. votiv. » *O Sapientia.*
18. F. 4. QUAT. TEMP. De ea — *aliq. loc.* Expectat. Partus B. M. V. *d. m.* ll. 3. Noct. hom. fer. cum ℟℟. de festo. In fine Miss. dic. Ev. solit. S. Ioann. — *O Adonai.*
19. F. 5. De ea — *O Radix.*
20. F. 6. QUAT. TEMP. Vig. De fer. In Miss. 2. or. Vigil. — *O Clavis.*

† 21. S. QUAT. TEMP. THOMAE *d. 2. cl.* — *O Oriens.*

✠ 22. D. 4. ADV. *2. cl. sem.* — *O Rex.*
23. F. 2. De ea — *O Emmanuel.*
24. F. 3. Vigil. Nativ. De ea. *simp.* Ad Laud. et deinceps *dup.*

✠ 25. F. 4. **Nativitas D. N. I. C.** *d. 1. cl. cum oct. privil.*

† 26. F. 5. STEPHANI *d. 2. cl. cum oct.* c. oct. Nat. — *aliq. loc.* c. omn. Mm. et oct.

† 27. F. 6. IOANNIS *d. 2. cl. cum oct.* c. octavar. (Romae ✠).
28. S. INNOCENTIUM *d. 2. cl. cum oct.* c. octavar.

✠ 29. D. infra oct. De ea *sem.* c. octavar. — *Inc. Ep. ad Romanos.* — *In Stat. Eccl.* Thomae Cantuar. *d.* Lect. 1. Noct. *A Mileto*, c. Dom. et octavar.
30. F. 2. Thomae Cantuar. *sem.* (*f. heri*) c. octavar. — *In Stat. Eccl.* De infr. oct. Nativ. *sem.* *Inc. Ep. ad Romanos* (ex Dom. praec.) c. aliar. octavar.

† 31. F. 3. Silvestri I. *d.* c. octavar.

***Hodie et Anno insequenti 1896 littera Martyrologii erit* q.**

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Italia Centrali.* De capite detegendo in Vesperis ad « Sit nomen Dom. benedictum ». Alicubi psalmi Vesperarum sic concinuntur, ut unus versus cantetur, alter vero recitetur sub organo, sicque fit alternatim usque ad finem. Quaeritur: si versus « Sit nomen Dom. benedictum » recitetur sub organo, utrum caput detegi etiam debeat?

Resp. Affirmative. Ratio enim aperiendi capitis, non est quia eiusmodi versus canitur, sed quia id verba exigunt. Sive ergo canantur, sive recitentur, caput eadem de causa detegendum est.

II. *E Dioecesi Briocensi.* **De Missa de requie in die translati festi illam impedientis.** Hoc anno 1894, festum S. Ioseph occurrit in feria III maioris hebdomadae, eiusque officium in feriam IV post octavam Paschae translatum est; imo in quibusdam Dioecesibus eius solemnitas in proximiori Dominica ex indulto celebratur. Quaeritur: Utrum prohibitio Missae exequialis *praesente cadavere* tres supradictos dies afficiat?

Resp. Missa exequialis, etiam *praesente cadavere*, prohibetur citra controversiam in festo S. Ioseph almae Virginis Sponsi, et in die quo illius festi solemnitas transfertur. Haec enim duo explicite declarata sunt in una *Quebecen* 31 aug. 1872. Quaerenti enim, utrum tam in festo S. Ioseph, quam in Dominica, in quam transfertur solemnitas, Missa praesente cadavere prohiberetur, S. R. C. respondit: « Affirmative ad utrumque ». Et qui-

dem sapienter; namque festum S. Ioseph ad universalia et solemniora pertinet. Praeterea idem Sanctus, cum declaratus sit universalis Ecclesiae Patronus, cum omnibus iuribus ac privilegiis Patronorum propriis (*Pius Papa IX, die 7 Iul. 1871,* **Inclytum Patriarcham**), luce meridiana fit clarior, Missam exequialem praesente cadavere esse vetitam in die suo festo. Privilegio autem isto S. R. C. Dominicam quoque decoravit, in quam illius solemnitas transfertur, ratione fortasse mota eiusdem solemnitatis, cuius ipse populus fit particeps. Adeo ut, sicut solemnior censetur dies 19 Martii, quamvis liturgicum in ea omittatur officium, ita solemnior quoque iudicanda sit Dominica, in qua pars praecipua, nempe Missa, eiusdem officii, maxima exteriori pompa, fideliumque concursu recolitur.

Ad diem vero quod spectat, in quam merum transfertur officium, nihil habetur statutum, confundi nihilominus non potest, neque cum die festo, neque cum die translatae solemnitatis. In die enim festo solemnitas agitur in universa Ecclesia, iis non exceptis locis, in quibus talis dies, quamvis sit de iure, de facto tamen non est praeceptivus. In Dominica autem translatae solemnitatis, non deest, uti diximus, nec potior pars officii quae solemniori apparatu celebratur, nec fidelium frequentia. At quid duobus istis diebus, et diei translati officii? Nihil vel fere nihil. Totum enim consistit in ritu duplici I classis, quo translatum officium recolitur; sed nulla est pompa exterior, nullusque concursus fidelium, qui de officio mere liturgico impraesenti nullimode se occupant. Cum ergo ratio potissima desit, ex qua talis Missa

exequialis prohibetur, videtur nobis posse concludi, tali die eamdem Missam non esse vetitam. Itaque Missa praesente cadavere prohibita certo est in die festo S. Ioseph, 19 Martii, et in Dominica in quam transfertur illius solemnitas, non vero, salvo meliori iudicio, in die, in quem merum transfertur officium.

III. *Ex Africa.* **De consecratione altaris cum una tantum Reliquia cuiuscumque Sancti.** Quaeritur: 1. Est ne valida consecratio altaris, si in eius sepulchrulo una tantum recondatur Reliquia Martyris? 2. Quid dicendum foret, si una vel plures Reliquiae Ss. Confessorum tantum eodem in sepulchrulo reconderentur?

Resp. Quaesita exposita validum tantum, haud vero licitum tangunt; de hoc enim certa lex extat, praescribens et plures Reliquias, et Reliquias, saltem aliquas, Martyrum. Namque ait Pontificale Romanum: «Pontifex parat *Reliquias* in altari consecrando includendas...» Chartula autem in vase, una cum Reliquiis, includenda, praeter reliqua, indicare debet *Reliquias Ss. Martyrum N. et N. in eo inclusas.* Ut itaque ad primi quaesiti solutionem deveniamus, animadvertendum primo est, actum aliquem tunc esse invalidum, cum in iis deficit, quae illius naturam seu essentiam constituunt. Iam vero consecratio alicuius altaris cum una tantum Reliquia Martyris, est actus in sua natura completus; licet aliquantulum a lege positiva recedat, quae ex dictis Reliquiis plures exigit, ut superius vidimus. Actum autem consecrationis substantialiter esse in casu completum, ex eo patet, quod omnes a Pontificiali praescripti ritus et caeremoniae cum una tantum Martyris Re-

liquia perfecte adimplentur, et in ipso sepulchrulo Reliquias includi comprobatur. Est ergo quaestio, plus et minus tangens, quae licitum quidem sed validum afficere non valet, cum actus non mutet naturam. Eoque magis, quod una Reliquia pluribus aequivalet: ut quam italice singulariter nominamus, latine exprimamus in numero plurium, cum non detur Reliquia, quae in plures non possit dividi. Adeo ut, si lex plures non nominaret Martyres, ad quos pertinere Reliquiae debent, adimpleta perfecte maneret cum una tantum Reliquia, cum comprobaretur, plures Martyris esse Reliquias. Ex quibus inferimus, altare aliquod valide consecrari posse cum una sola alicuius Martyris Reliquia, quamvis sit illicitum, quia lex Reliquias exigit, non unius Martyris, sed plurium. Adde, cum una tantum Reliquia non perfecte comprobari verba, quae a Celebrante dicuntur dum post Confessionem altare ascendit, aiunt enim: « *quorum* Reliquiae hic sunt », non vero, *cuius*.

Quid vero dicendum, si Reliquiae, haud Martyris essent, sed Confessoris, vel plurium haberentur Reliquiae Ss. Confessorum, uti alterum quaesitum postulat? Valida ne esset eiusmodi altaris consecratio?

Huic quoque petitioni affirmativum credimus dari posse responsum, ex iisdem fere momentis superius expositis. Namque Reliquias Sanctorum in consecratione altaris vere adhiberi, indubium est in casu; et si unius tantum S. Confessoris adhiberetur Reliquia, quamvis non comprobarentur plures Sanctorum Reliquiae, comprobarentur nihilominus Reliquiae unius Sancti. Iam nunc videtur nobis id sufficere, ut ritus praescripti com-

pleantur, quamvis aliqua cum imperfectione. Etenim nonnullae antiphonae in altaris fixi consecratione dicendae nonnisi imperfecte comprobantur, uti patet ex antiphona « Gaudent in caelis », quae de sanguinis effusione pro Christo loquitur, sicut ex alia « Sub altare Dei audivi voces occisorum etc. ». Reliqua nihilominus cum perfecte comprobentur, et praefatae antiphonae congruam habere explicationem valeant; non est cur substantiam consecrationis deficere dicendum sit.

Praeterea essentia consecrationis altaris sita est in unctionibus, verbisque relativis, quae dicenda sunt dum unctiones fiunt, uti « Consecretur et sanctificetur etc. »: « Signetur et sanctificetur etc »: « Sanctificetur et consecretur etc. », sicut in aliis similibus signis, quibus altaris partes coniunguntur. Adeo ut proinde, cum sanctae Reliquiae vere in altari ponantur, arbitramur, nihil in eo deficere, quod ad validum consecrationis referatur.

Hisce omnibus haud obstantibus, sive de iam peracta altaris, praefato modo, consecratione agatur, sive, et a fortiori, de adhuc agenda, Rm̃us Inquirens animadvertat, sui muneris esse Sacrum Rituum Tribunal adire, eique rem aperire: ut, vel remedia suggerat pro defectu reparando, vel quid agendum cum auctoritate declaret.

IV. *E Montepessulano.* **De Ecclesiae Tituli mutatione, et de ordine commemorationum in suffragiis.** Ecclesia quaedam, nunc ad Seminarium pertinens, benedicta tantum antiquitus fuit in honorem Iesu, Mariae et Ioseph, quae tamen impraesenti consecrari debet; vel saltem illius altare maius consecrabitur. Hinc quaeritur: 1. Licebit ne Episcopo Titulum Ecclesiae benedictae datum

mutare, antequam eam consecret? 2. Cum dicta Ecclesia, benedicta fuerit die 25 Dec. 1689, deberet ne festum Titularis eadem die celebrari, an potius Dominica III post Epiphaniam? 3. In Suffragiis Sanctorum quonam ordine collocanda esset commemoratio Tituli Sacrae Familiae? 4. Omittendae ne essent commemorationes de B. Maria, de S. Ioseph, et de SS. Corde Iesu, ut non fiat bis de eodem?

Resp. Praenotamus, Ecclesiam, de qua in casu, utpote non consecratam, et in praesenti privatam, ut etiam cappella in Dubii expositione appelletur, vi Decreti in *Marianopolitana* d. d. 29 Nov. 1879 ius non habere, ut de ea festum Titularis celebretur. Decretum enim declarat, similis Oratorii posse, imo debere festum Titularis recoli, *dummodo reapse Oratorium fuerit consecratum et non simpliciter benedictum.* Hinc non sufficeret altare illius Ecclesiae maius tantum consecrare, uti Dubii expositio videtur innuere; sed requiritur, ut Ecclesia ipsa consecretur.

1. Quo praenotato, respondemus primo, Ecclesiam non solum consecratam, sed etiam tantummodo benedictam, suum iam possidere Titulum proprium. Patet ex Pontificali Romano, cuius Oratio *Domine Deus* explicite nominat Sanctum, ad cuius honorem benedicitur Ecclesia, uti ex alia sequenti *Domine Sancte.* Titulus ergo Ecclesiae, etsi benedictae tantum, in casu Sacra Familia, iam est in possessione, ut etiam per subsequentem consecrationem non videatur exturbandus. Alia accedit ratio, pia nempe Fundatorum intentio, cui non videtur adversari posse alia cum Ecclesiae denominatione sine aliqua iniuria. Hinc

arbitramur Episcopum, quin saltem S. R. Congregationem consulat, propria auctoritate Ecclesiae benedictae Titulum antiquum mutare convenienter non posse in novum, quamvis accedente consecratione: in cuius tamen actu, et non ante, semper mutandus Titulus esset per praescriptas in Pontificali Orationes.

2. Non satis videmus relationem inter Titularis festum, et diem, quo benedicta Ecclesia fuit, ad diem quod attinet illius festi celebrationis. Etenim, si celebrandum esset benedictionis anniversarium, uti dedicationis, optime negotium procederet: at hic agitur de Titulo, et in casu de Sacra Familia, qui titulus suum diem habet si simplex, vel suos dies si complexus, ut ita dicam, quibus recoli debet: hi vero dies nullam ad Ecclesiae benedictionem relationem dicunt. Quocumque ergo die celebratus antiquitus fuerit, sive liturgice, sive non, praefatus Titulus Sacrae Familiae; impraesentiarum, si consecretur Ecclesia, optime celebrabitur Dominica III post Epiphaniam, quae ab auctoritate pro tali recolendo festo destinata est.

3. Titulus in casu complexus est, continetque Iesum, Mariam et Ioseph. Rubrica Breviarii docet in harum ordine commemorationum sequendam esse dignitatem. At cuiusnam in casu consideranda dignitas? S. Ioseph, almae Virginis, an Christi Domini? Huius ultimi toto iure arbitramur; quia minus est incongruum, ut S. Ioseph cum Deipara aliis Sanctis praelationem habeat, quam festi natura ut ita dicam exigit, quam ut Christi Domini dignitas aliis Sanctis cedat. Consequenter Sacrae Familiae commemoratio in Suf-

fragiis primas habebit supra ceteros Sanctos, qui commemorari possunt, aut debent.

4. Arbitramur affirmative respondendum, hoc est, de Beato Iosepho, de Deipara, ac de SS. Iesu Corde, omittendas esse in casu commemorationes. Licet enim in antiphonis vix eorum habeantur nomina, et licet finis festi Sacrae Familiae pro speciali obiecto domesticae eius vitae exempla habeat a nobis imitanda; indubium nihilominus est, cultum Iesu Mariae et Ioseph per hoc festum tribui, ut tria veneranda eorum nomina in Oratione explicite nominentur. Si ergo separatae, post commemorationem Sacrae Familiae haberentur aliae eorumdem singulorum commemorationes, viderentur in idem incidere, et contra Rubricam facere (*Tit. XXXV, n. 4*). Ita salvo meliori iudicio.

V. *E Portu divite.* **De ratione thus adolendi.** Decretum *in una S. Marci* d. d. 22 Mart. 1862 ad 21, docet unumquemque ductum thuribuli, dum incensantur Canonici, continere debere duplicem ictum. Quaeritur: id ne semper observandum, etiamsi SSmo Sacramento, sive intra sive extra Missam, thus adhibeatur?

Resp. Ante omnia animadvertimus, ita nos exposuisse Dubium, quia Decretum *Gerunden.* d. d. 27 Ian. 1877, quod cl. consulens in sui Dubii expositione citat, in Collectione authentica non reperivimus. Ex quo non sequitur nihilominus, illud esse apocriphum; nam particulare cum sit, potuit S. R. C. eius insertionem in Collectione omittere. Ceterum ex dicendis patebit, eiusmodi omissionem nullo pacto publicae utilitati nocere, cum in superius relato includatur.

Itaque notandum imprimis nobis est, Caeremoniale Episcoporum, quotiescumque agit de thure adolendo, per haec verba se exprimere « *ducere, reducere, retrahere* », quae significant thuribulum, cum thus adoletur personis aut rebus, ducendum esse versus obiectum, et ab eo reducendum seu retrahendum. Praeterea de uno, de duobus ductibus ac tribus, idem Caeremoniale loquitur, dum tamen aliam non det distinctionem inter *simplicem* ductum et *duplicem*, quam in praxi nihilominus extare, et auctores docere, periti norunt. Ni fallimur ad hanc distinctionem se refert praecitatum Decretum *S. Marci*, sicut alterum mox indicatum. Duplicem ductum et simplicem sic describit cl. Martinucci: « Elevabitur (*thuribulum*) usque ad faciem: vibrabitur ita, ut sua inferiori parte lineam curvam describat quam distincte Mathematici parabolam appellant, deprimetur, scilicet referetur eodem ac antea loco, iuxta dexterum femur. Ductus simplex peragetur tenendo thuribulum eodem pacto, quo de duplici ductu docuimus; sed uno tantum actu elevabitur, vibrabitur ac deprimetur, ut antea: non tamen elevabitur ad vultus sed ad pectoris altitudinem (*Lib. I, cap. I, n. 20*) ». At post haec, ad propositum nostrum, et pro intelligentia Decreti, haec addit: « Notetur postremo, quod ductus duplex fieri potest et alio modo, idest duobus ductibus simplicibus, qui immediate alter alterum subsequantur (*Loc. cit.*) ».

His positis, dicimus duplicem ductum continere duos ictus, alium verum simplicem ex uno tantum ictu constitui. Nunc autem Decretum *S. Marci* loquitur de thure adolendo Canonicis, alterum loquitur de eodem adhibendo thure SSm̃o Eu-

charistiae Sacramento. Iam vero communiter docent auctores, in utroque casu duplici ductu, non vero simplici, thus esse adolendum; ergo aut gerere sic se debet thus adolens, ut priori modo cl. Martinucci docet, aut quemadmodum secunda ratione indicat. Etenim utcumque se gerat, uno vel alio modo, semper plus minusve comprobatur, unumquemque ex ductibus ex duobus ictibus constitui, uti consideranti facile patet. Ex his manifestum est, quandocumque Canonicis thus est adolendum, sicuti Sacramento, quivis ductus ex duplici ictu constare debere, sive in Missa, sive extra Missam, sive in Vesperis, sive extra Vesperas, verbo, quotiescumque iisdem thus adolendum est.

VI. *Ex eodem loco.* **De trina Missa, a Sacerdote Conventualem canente die 2 Nov. aut non, dicenda.** Hispanicum regnum privilegio gaudet, ut Sacerdotes ter celebrent die 2 Novembris. Quaeritur: Canonicus, qui ad Missam Conventualem tenetur canendam post Tertiam, eodem ne potest privilegio uti, duas alias faciendo de requie?

Resp. Equidem, seclusa lege prohibente dicto Canonico alias Missas, non videmus quare ab iis celebrandis abstinere is debeat. Eiusmodi enim privilegium omnibus et singulis Canonicis, uti aliis Sacerdotibus, favet, inter quos enumeratur qui Missam Conventualem canere debet. Ex eo autem quod Canonicus Missam unam facere teneatur vivorum, de die scilicet infra octavam, vel de duplici minori occurrente, non sequitur, abstinendum ei esse ab aliis duabus de requie celebrandis. Quia tunc oporteret ita privilegium esse concessum, ut qui tres Missas dicere nequit de requie, nullam de requie faciat, quod supponi

nulla ratione potest. Praeterea haec trina Missa de requie, in gratiam fidelium defunctorum concessa est; qui ergo unam ex lege non potest, sed alias potest certe facere, eas iure celebrabit ut defunctis suffragetur. Denique absonum omnino apparet, ut qui ex motivo adimplendae legis, unam Missam de festo celebrat, eo ipso a tanto privilegio participando absolute maneat exclusus. Ergone Missam Conventualem renuet decantare, ut per tres de requie Missas fidelibus defunctis suffragari valeat? Concludimus proinde, praefatum Canonicum alias duas Missas de requie, seclusa lege peculiari prohibente, quod non credimus, toto iure posse facere, ante, vel post si congruum tempus suppetat, Conventualem Missam, servatis servandis.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1894.

S. RITUUM CONGREGATIO

I.

QUEBECEN:

Emus et Rmus Dnus Card. Alexander Taschereau Archiepiscopus Quebecen. S. Rituum Congni sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter subiecit, nimirum:

Dubium I. Ad quam diem transferendum sit anniversarium electionis vel consecrationis Episcopi si occurrat die 24 Decembris?

Dubium II. Posito quod Episcopus, die 19 Martii in festo S. Ioseph consecratus, assignaverit iuxta Decretum S. R. C. diei 12 Decembris 1891 pro anniversarii celebratione diem sequentem, nempe 20 Martii, quid agendum sit: 1° in Ecclesia cuius Titulare festum ipsa die 20 quotannis celebratur, 2° per totam dioecesim quando dies 19 occurrit, vel Dominica Passionis vel feria 2ª Maioris Hebdomadae?

Dubium III. Utrum anniversarium ab Episcopo vel coram ipso celebrandum sit in ipsa Ecclesia Cathedrali, an vero solemniter agi possit in alia Dioeceseos Ecclesia?

Dubium IV. Utrum, celebratione ipsius Missae votivae ab Episcopo vel coram ipso per accidens impedita, eius Oratio sub eadem conclusione cum Oratione diei iungenda sit, secundum regulam de Missis pro re gravi impeditis; an vero post

ceteras Orationes a Rubrica praescriptas addenda sit, sicut in ceteris Missis per dioecesim celebratis?

Dubium V. An commemoratio supradicti anniversarii spectet ad omnes et solos Sacerdotes, ipsa die Missam intra dioeceseos limites celebrantes?

Et S. eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Assignandum diei primae, in qua non fit de Duplici secundae classis, ante diem 24 Decembris.

Ad II. In Ecclesiis dioeceseos ubi dies 20 Martii est impedita, nihil fit de Anniversario consecrationis Episcopi.

Ad III. Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam.

Ad IV. Commemoratio in casu addatur Orationi Missae de die sub unica conclusione (*Decret. in Bracharen. 8 Iunii 1809 ad VII*).

Ad V. Affirmative. Atque ita rescripsit et declaravit die 27 Aprilis 1894.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI *Secret.*

II.

DECRETUM

Qui pro Domini grege vitam impenderunt aequum est, ut Ecclesiae suffragiis singulari modo post mortem iuventur. Sacris ideo Ritibus prae-

posita Congregatio, re mature perpensa, decernendum esse statuit: ut dum corpus Episcopi Dioecesani defuncti, sacris indutum vestibus, in propriae Aedis aula maiori, publice et solemniter iacet expositum, Missae in suffragium animae eius per totum mane celebrari valeant; iis omnibus servatis, quae de Episcopi defuncti corpore exponendo ac suffragiis ferendis in Caeremoniali Episcoporum Libro II Cap. XXXVIII praescribuntur. Quod privilegium Episcopis in sua Dioecesi concessum, ad Vicarios Apostolicos in suis Vicariatibus, nec non ad Abbates ceterosque Praelatos *Nullius Dioeceseos,* iurisdictione in plebem ordinaria quum vita cesserunt fruentes, in proprio tamen territorio, pari intelligatur ratione extensum. De speciali tandem gratia Sacra Rituum Congregatio indulget, ut eodem quoque privilegio frui valeant Episcopi Titulares defuncti; dummodo eorum cadavera in aula convenienti exponantur, et ornamentis pontificalibus (absque tamen baculo pastorali), si extra Urbem, fuerint induta; si vero in Urbe, habitu tantum praelatitio. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 3 Aprilis 1894.

Facta autem Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII de his omnibus relatione per me infrascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum, Sanctitas Sua sententiam ipsius S. Congregationis in omnibus ratam habuit, et confirmavit. Die 29 Aprilis 1894.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA
S. R. C. Praef.

VINCENTIUS NUSSI, *Secret.*

SUPER RELATO DECRETO ANIMADVERSIONES.

1. Episcopis statim ac e vita migraverint concedit Caeremoniale Episcoporum, ut clerus seu saecularis seu regularis, vigilias agendi causa invitetur, id est pro Vesperarum recitatione, Matutini cum Invitatorio, et tribus nocturnis ac Laudibus Defunctorum (*Lib. II, cap. XXXVIII, n. 15*). At de una vel pluribus Missis in aula celebrandis, ubi de more defuncti Episcopi cadaver solet solemniter exponi, praefatus codex silet omnino. In Cappella quidem Episcopali unam saltem Missam, defuncto etiam Episcopo, celebrari posse, nemini dubitandum, (*Bituntina 2 Iul. 1661*). At, opportune animadvertit cl. De Herdt, « extra hanc cappellam, in aula maiori palatii, ubi corpus Episcopi exponitur, vel in alia aula contermina, altare unum aut plura erigere, ibique celebrare dum corpus Episcopi exponitur, non permittitur; nullum enim talis permissionis indicium reperitur in Caeremoniali Episcoporum, neque in Caeremoniali S. R. E. Lib. I, Tit. 15, ubi de morte et exequiis RR. Cardinalium et Papae agitur (*Prax. Pontif. Lib. 2, cap. 38, n. 16*) (1) ». Nunc au-

---

(1) Addit cl. citatus De Herdt, auctorem quemdam scripsisse: « *in aula quae est vicina aulae, in qua corpus exponitur defuncti Cardinalis, tria erigi altaria, in quibus celebrant sacerdotes Cardinali addicti*; cum autem hic auctor hoc asserat sine ulla suae assertionis ratione allata, idipsum pro regula directionis inservire nequit ». Super quibus animadvertimus, toto iure cl. De Herdt asseruisse, agendi modum circa defunctorum Purpuratorum Patrum corpora, haudquaquam posse regulam exhibere pro iis, quae facienda sunt circa Defunctorum cadavera Episcoporum. Ex antiquiori tamen tempore vigere consuetudinem, vi cuius super Cardinalium cadavera in aula palatii exposita officium fiat, atque in eadem, haud vero in viciniori aula, plura erigantur altaria, ac Missae dicantur non solum a Sacerdotibus Cardinali addictis, sed ab exteris etiam, pro re omnino indubia habendum est. Imo non solum praefata consuetudo, quae servatur adhuc, Eminentissimis Patribus favet, sed etiam universis Principibus Romanis, quorum cadaveribus eadem pia exhibentur officia, sicuti Purpuratis S. R. E. Principibus.

tem per Decretum praesens, huiusmodi disciplina mutatur, ut non tantum una, praeter illam, quae in Cappella Episcopali de iure legi potest, sed plures etiam, eodemque tempore, Missae per totum mane permittantur in maiori aula, ubi cadaver Episcopi manet expositum, eadem ferme ratione ac peragi Romae consuevit pro defunctis Cardinalibus.

2. At quinam sunt Episcopi, quibus privilegium huiusmodi conceditur? Iis primo ac principaliter, quibus alicuius Dioecesis cura demandata est, quique in medio grege sibi commisso decesserunt. Notandum enim, Caeremoniale Episcoporum de solis Dioecesanis verba facere, cum de clero saeculari loquatur, de Ordinibus religiosis, aliorumque Collegiorum, qui invitari debent. Super quo opportune cl. De Herdt animadvertit: « Ex hoc loco liquet, clerum saecularem et regularem sua sponte accedere non teneri, sed invitandum esse: cum autem invitatus fuerit, ipsum teneri accedere et vigilias cantare (*Loc. sup. cit. n. 268, lit.* (a)) ». Iam nunc patet, omnem clerum, maxime saecularem, subditum fuisse defuncti Episcopi, modo Dioecesani: ut proinde invitatus ad cantandas vigilias, pia Superiori defuncto suffragia denegare licite non valeat. Eapropter Decretum praesens Caeremoniale Episcoporum invocat praescribens, et cadaver Episcopi Dioecesani publice exponendum, et clerum loci, ubi mors evenerit, invitandum, et per eum illi ferenda suffragia. Porro Episcopi, qui Dioecesani non sunt, subditos non habent, qui haec eis officia praestanda teneantur, consequenter de Episcopis Titularibus intelligi nequit Caeremoniale Episcoporum. Cum autem iurisdictionis Episcopalis participes sint Vicarii Apostolici in propriis Vicariatibus, atque etiam Abbates *Nullius Dioeceseos*, qui ordinaria in blebem iurisdictione fruuntur; hinc et ipsis, quamvis Episcopi Dioecesani appellari iure nequeant, idem S. R. C. privilegium extendere dignata est. Ut proinde et hi, si dicta iurisdictione fruentes obierint, ius impraesenti habeant, ut ab eorum subditis in loco ubi decesserunt degentibus, iisdem ac Episcopi dioecesani suffragiis iuventur atque honorentur.

3. Placuit nihilominus S. R. Congñi praefatum privilegium ulterius extendere ad illos etiam Episcopos, qui utpote simpliciter Titulares, nulla iurisdictione gaudentes de-

cedunt, sive eadem antea, sive non, gavisi fuerint. His autem eiusmodi non competere de iure privilegium, patet primo ex ratione, qua se Decretum exprimit cum dicat, *de speciali tandem gratia*: secundo ex iis infertur quae in superiori numero exposuimus. Cum enim subditis careant, quomodo pro iis dicta exhibere suffragia ex obligatione tenebitur clerus, sive saecularis sive regularis, ad quem praecipue spectat vigilias in casu agere? Ex quibus sequitur, ad vigilias in casu agendas pro Episcopis iurisdictione fruentibus clerum loci teneri, uti diximus, si invitatus fuerit, et quidem uti efformantem corpus: pro Episcopis vero sine iurisdictione ordinaria, nullum teneri clerum ex obligatione, sive uti corpus, sive ut individua. Cum nihilominus nunquam desint, sive ex corpore cleri saecularis et regularis, sive ex fidelium laicorum coetu, qui Episcopis Titularibus fuerunt addicti, puta ratione servitii, familiaris consuetudinis, consanguinitatis, benevolentiae etc.; hinc, quamvis sine obligatione, plura tamen dari possunt individua, seu ex ecclesiasticis seu ex saecularibus viris, quae praedictis Episcopis defunctis ex libera voluntate pia pietatis officia praestare velint. Unde fiet, ut ipsi propriae devotioni et affectui in defunctum Episcopum faciant satis, atque defuncti anima salutaribus adiuvetur suffragiis. Praeterquamquod Episcoporum quorumcumque coetus maiori in honore ac veneratione habebitur: quae profecto ratio, ni fallimur, S. R. Tribunal movere potuit, ut tanto post obitum privilegio Titulares Episcopos decoraret.

4. Sed praestat aliquid animadvertere super postremis praesentis Decreti dispositionibus, quae admirationi fortasse esse aliquibus possent. Exigit Decretum, ut cadavera Episcoporum Titularium *in aula convenienti exponantur*, dein *ut ornamentis pontificalibus* (*baculo pastorali excepto*), *si extra Urbem, sint induta: si vero in Urbe, habitu tantum praeclatitio.* Itaque arbitramur, Decretum verba imprimis facere de *aula convenienti*, ut evitetur liturgicorum dedecus actuum, qui in eiusmodi aula persolvi debent. Si enim aula conveniens non esset, ex. gr. non satis ampla, quomodo unum ibi erigi aut plura altaria possent, ut Missae celebrentur? Cadaver enim in media aula expositum iacet, et plures circa

illud esse possunt clerici ac laici, qui aut Missam audiunt, aut vigilias canunt, vel utrumque agunt: nonne grave inconveniens foret, si ob aulae angustiam ab actibus liturgicis persolvendis devoti deturbarentur? Idem dicas, si, elegantiam aut ornatum tacentes, mundities illa ac nitor in aula deessent, quae sive dignitati episcopali convenit, sive maxime eiusmodi loco, qui velut in Ecclesiam pro casu conversus est. Sit ergo aula conveniens ita, ut omnia ibi peragenda exercitia pietatis, fieri commode, ordinate ac decenter possint.

5. Nunc ad episcopalia indumenta. Cum Decretum loquitur de Episcopo dioecesano, nil dicit, sed tantum eius cadaver supponit *sacris vestibus indutum:* cum vero verba facit de Titulari, explicite disponit, huius corpus esse debere *ornamentis pontificalibus indutum* (*baculo pastorali excepto*). Super quo observari potest, Episcopi dioecesani sacras vestes, in casu, esse pontificales, nullum posse oriri dubium; quia Caeremoniale Episc. perspicue docet illum indui debere *sacris vestibus, quibus vivens induebatur dum solemniter erat celebraturus, hoc est, Caligis, Sandaliis, Amictu, Alba etc. etc.* atque etiam pallio si eo utebatur (*Lib. 2, cap. XXXVIII, n. 10*). At aliquod dubium de vestibus, quibus indui debet Episcopus titularis, bene et rationabiliter exurgere poterat. Namque Titularis, licet Pontificales vestes adhibere semper iure possit quando solemniter celebrat; nihilominus dubitari poterat, utrum iisdem quoque debuisset indui cum defunctus in aula esset exponendus, tunc enim videretur pari fere iure frui ac Dioecesanus, quod minus fortasse congruum indicari potuisset. Eo magis, quod Titularis nomine, Episcopus quoque Coadiutor intelligi queat, cuius proinde cadaver exponendus foret in palatio episcopali, Ordinario ipsomet praesente. Ad omnem ergo dubitandi rationem tollendam S. R. Cоñgtio opportunum censuit negotium explicite declarare: adeo ut quicumque ipsi sint, modo Episcopali charactere insigniti, pontificalibus ornamentis uti in casu valeant. Excipitur tamen ex ornamentis baculus pastoralis, qui, nemine contradicente, iurisdictionem indicat; et per hoc S. R. Congregatio certo certius voluit Titularem distinguere a Dioecesano, a cuius sinistro latere baculus solet apponi.

6. At maiori fortasse dignum admiratione poterit apparere, Episcopo titulari extra Urbem vita functo omnia a Decreto dari ornamenta pontificalia, habitus tantum praelatius eidem, si in Urbe decesserit. Quae tamen admiratio cessabit, si unum animadvertamus. Romae Summus Pontifex residet, cuius est Episcopus, et plures illum circumdant ex Purpuratis Patribus, qui sacrum eius senatum constituunt. Iam nunc, licet antiquitus tam Pontifex quam Cardinales omnibus relativis induti pontificalibus ornamentis solemniter exponi consueverint, ille in camera papagalli, isti in maiori aula palatii; nihilominus eiusmodi disciplina antiquior iam amplius non viget, sed a tempore Benedicti XIV mutationi obnoxia fuit. Marcellus in suo Caeremoniali S. R. E. ait: « Post haec (*lotionem cadaveris defuncti Pontificis*), Poenitentiarii induant eum communes vestes usque ad rochetum, deinde sacras ac si esset celebraturus, incipiendo a sandaliis usque ad mitram simplicem: tum et annulo cum fanone, pallio, spinulis etc. Paramenta erunt rubei coloris etc. Corpus lavabitur et ornabitur in camera secreta, et ornatum ponetur in lectica sive feretro in camera papagalli... Hora competenti... cantores cappellae cantabunt, *Subvenite*, et Poenitentiarii portabunt corpus ad cappellam maiorem etc. Collegia clericorum et religiosorum... cantant Vigilias etc. Post quam omnes absolverint, deducunt funus ad Ecclesiam S. Petri etc. (*Lib. primus Tit. XV, De aegrotat. et morte Rom. Pontificis*) ». Idem propemodum ait de cardinali defuncto, ut scilicet post lotum cadaver ornari debeat sacris vestibus, ac si Missam esset celebraturus: si est Presbyter aut Episcopus Cardinalis, imponant sandalia et reliqua Pontificalia ornamenta usque ad mitram etc. Atque ita statuit Caeremoniale, deponendum esse cadaver super lecticam in maiori aula palatii etc. etc. (*Loc. cit. De morte et exeq. Rever. Cardinal.*). At, disciplina mutata, Pontificis defuncti corpus lotum ac balsamo illitum, alba veste talari induitur, rocheto, mozzeta et camauro coloris rubei: sicque exponitur in secreti aula consistorii: Pontificalibus autem ornamentis, ex more vigente, non induitur Pontificis cadaver, nisi pro illius altera repositione in Cappella Sixtina. Eadem ferme ratione nunc agitur circa defuncti Cardinalis corpus: induitur nempe statim

ac vita migravit, eiusque cadaver lotum fuit, veste talari violacea, rocheto, mantelleto et mozzeta etiam violacea, et sic in maiori aula Palatii exponitur: expositionis huiusce tempore vigiliae canuntur; et nonnisi quando ad Ecclesiam sui Tituli deferendum est, Pontificalibus ornamentis induitur, Ordinis propriis. Iam vero, si ita res se habet Romae quod spectat Pontificem et Patres Purpuratos, satis esset incongruum, si Episcopi in Urbe degentes Pontificalibus induti ornamentis solemniter exponerentur. En ni fallimur, ratio discriminis, quod intercedit inter Episcopos titulares decedentes Romae, et eos qui extra decedunt. Quapropter haec omnia adamussim servanda erunt in posterum, eo magis quod Decretum relatum eiusque dispositiones ratas habuerit, et confirmaverit ipsemet Summus Pontifex Leo Papa XIII.

III.

TIRASONEN.

R̃mus D̃nus Ioannes Soldevila y Romero hodiernus Episcopus Tirasonen. omnia rite fieri desiderans , sequentia Dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit, nimirum:

Apostolica Sedes die 2 Maii 1867 pro Hispania quoad locorum Patronos statuit, ut in qualibet Dioecesi unus tantum Patronus principalis a Sancta Sede designandus recolatur, servata lege Sacro adstandi et ab operibus servilibus abstinendi, quod tamen in hac Dioecesi non observatur, nec a Sancta Sede Patronus est designatus; quamvis in Kalendario dioecesano, die 8 Aprilis 1891 a S. R. Congregatione approbato, S. Prudentius Dioeceseos Patronus nominetur, et S. Gaudiosus Patronus aeque principalis.

Verum si Dioecesi uti Patronus horum unus vel alter detur colendus, gravissimum adesset certo inobservantiae periculum. Dioecesis partim ex regno Aragoniae, ubi B. V. Maria de Columna ex Apostolica concessione sub utroque praecepto colitur, partim ex Navarrae regno, ubi S. Firminus pari privilegio gaudet, partim ex Castellae oppidis, ubi nullus Patronus est designatus: denique populi Dioeceseos peculiarem aliquem Sanctum tamquam Patronum venerantur, eiusque festum sub duplici praecepto generatim celebrant. Hisce expositis ad praxim et mores antiquos servandos quaeritur:

I. Haberi debet S. Prudentius uti Dioecesis Patronus; eiusque festum sub utroque praecepto recolendum, quando hucusque nec observatur, et grave adest inobservantiae periculum?

II. Festum B. Mariae V. de Columna in Aragonia, et S. Firmini in Navarrae regno observari potest loco Patroni Dioecesani? Et quatenus affirmative, festum Sancti Patroni uniuscuiusque oppidi in regnis Aragoniae et Navarrae agendum est ne duplici sub praecepto?

III. Peculiares Locorum Patroni celebrandi sunt in reliqua Dioecesi sub duplici obligatione loco Patroni Dioecesani?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Ad primam partem: *Standum Calendario rite approbato:* ad secundam: *Servetur consuetudo.*

Ad II. et III. *Nihil innovandum quoad festa Patroni cuiusque regni, et uniuscuiusque civitatis, oppidi vel loci.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 4 Maii 1894.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.
Vincentius Nussi *Secretarius.*

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 4, anni 1894, pag. 218.*)

§ 6.

DE BENEDICTIONIBUS IN SPECIE SEU CONSTITUTIVIS, SEU INVOCATIVIS.

Quaeres 1. Utrum, et quomodo benedictiones, seu constitutivae, seu invocativae distinguantur inter se?

Resp. Affirmative; et patet ex obiccto earumdem benedictionum, quod una persona tantum vel plures, una vel res plures esse queunt, quae in statu sacro constituuntur, vel quibus aliquid boni confertur. Hinc optime distingui possunt in personales et reales, quae iterum vel communes vel particulares sunt, uti per se patet.

Quaeres 2. Quales sint benedictiones invocativae personales?

Resp. Eas Rituale Romanum notat, uti Benedictio nuptialis, peregrinorum, seu ad loca sancta prodeant, seu ab iisdem redeant: benedictio adulti aegrotantis, pro pluribus infirmis, mulieris praegnantis, puerperae, infantis, pueri, puerorum etc. uti benedictio apostolica in articulo mortis etc.

Quaeres 3. Quales sint benedictiones constitutivae personales?

Resp. Eas, cum omnino propriae sint Episcoporum, vel Praelatorum inferiorum, non Rituale sed Pontificale Romanum habet, uti benedictio, quae ritui sacro coniungitur quo clericalis tonsura confertur, benedictio Abbatis, Abbatissae, Virginum, Regis, etc.

Quaeres 4. Quales benedictiones reales constitutivae?

Resp. Aliae ex iis respiciunt locum, uti benedictio primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda, Ecclesiae vel Oratorii pro Missa, novi coemeterii, Ecclesiae violatae, vel violati coemeterii. Aliae respiciunt sacras supellectiles, uti benedictio indumentorum sacerdotalium, mapparum altaris, corporalium, tabernaculi pro Eucharistia asservanda: aliae, res alias pro Ecclesia, uti benedictio Ostensorii, crucis, campanarum ad Ecclesiae usum, aquae lustralis, candelarum, cinerum, palmarum, sacrorum oleorum, novi ignis etc.

Quaeres 5. Quales benedictiones sint invocativae reales?

Resp. Praecipuae sunt: benedictio rerum comestibilium, uti frugum, agni paschalis, panis, fructuum etc. benedictio animalium, uti volucrum, apum, pecorum et iumentorum, equorum etc. benedictio locorum, uti domi, stabuli, fontis, putei etc. item benedictio cuiuscumque rei.

§ 7.

APPENDIX.

DE NONNULLIS PRAECIPUE OBSERVANDIS IN ALIQUIBUS EX PRAEFATIS BENEDICTIONIBUS.

I.

SUPER BENEDICTIONE PRIMARII LAPIDIS PRO ECCLESIA AEDIFICANDA.

1. Benedictio primarii lapidis non solum pro Ecclesia aedificanda, sed et pro publico Oratorio inservire potest; nil enim vetat, quominus Oratorium publicum, ad rem quod attinet nostram, censeatur Ecclesia.

2. Benedictio, quam impositio sequitur, primarii lapidis, fieri, uti patet, debet antequam Ecclesiae vel Oratorii constructio initium habeat.

3. Si alicui mysterio dedicatio facienda sit, in Oratione *Domine Deus qui licet etc.* verba *et Beati* omittuntur, et quae parenthesis notat non considerantur (*S. R. C. in una Societat. Presbyt. SS. Sacram. 11 Martii 1871 ad III*).

4. Huiusmodi benedictio a simplici Sacerdote fieri non potest, nisi ab Episcopo delegatus fuerit, uti ex Rituali Romano constat.

II.

SUPER BENEDICTIONE ECCLESIAE VEL ORATORII PUBLICI.

1. Ecclesia quaecumque, sicut et publicum Oratorium, optime construitur ab aliis aedificiis ita sepa-

rata, ut circumiri exterius possit: quod si aliter fuerit constructa, circumeatur meliori qua ratione poterit.

2. Altare, in quo Missa fieri debet post benedictionem, sit fixum, sit portatile, semper esse debet ab Episcopo consecratum.

3. In Oratione *Domine Deus, qui licet etc.* illud observandum, quod superius de benedictione primarii lapidis dictum est.

4. Huiusmodi benedictio, pro Cappella aut Oratorio privatis adhiberi nequit (*S. R. C. Civitaten. Prov. Compostel. 11 Mart. 1820 ad 10*); cum benedictio ceterum constitutiva sit ac de se perpetua. Alia pro Oratorio privato benedictio adhiberi potest, ut loci, aut domus novae, eamque quilibet Sacerdos dare potest.

5. Haec pariter benedictio est Episcopi propria, neque a simplici Sacerdote fieri potest, nisi ab eodem Episcopo delegetur.

III.

SUPER BENEDICTIONE SACRARUM SUPELLECTILIUM.

1. Sacrarum aliquarum supellectilium benedictio, uti indumentorum sacerdotalium, sacrorumque vasorum, quae sacra unctione non indigent, ad Episcopum pertinet. Disputatur, utrum ipse simplicem Sacerdotem ad eam delegare valeat. Nos affirmativum dari posse responsum arbitramur; ad hanc enim benedictionem Episcopus non est delegatus a Pontifice, sed vi Ordinis eam peragit, ergo alium delegare valet (*V. Santi, Praelect. Iur. Canon. Lib. III, Tit. XL, n. 11*), saltem ex rationabili causa.

2. Qui facultatem habet benedicendi vestes sacerdotales, eo ipso benedicere valet vasa sacra, quae unctione non indigent (*Imolen. 2 Dec. 1881 ad II*).

3. Benedictionum forma, in casu, pro simplici Sacerdote, semper adhibenda quae in Rituali Romano habetur (*Imolen. sup. cit. ad I*).

IV.

PRO BENEDICTIONE CAMPANARUM.

1. Pro campanarum ad Ecclesiae usum benedictione Episcopus delegare Sacerdotem non potest, et constat certo ex pluribus decretis, licet aquam et oleum adhibenda ipsemet benedixerit: quod cetero semper ipsi agendum est, si a simplici Sacerdote campana benedicatur.

2. Iure praesenti inspecto, campanae quae non inserviunt ad usum sacrum possunt et benedici; et huiusmodi benedictionis forma, haud illa est quae in Appendice prima inscribitur Ritualis Romani, sed altera, quae in recentiori editione secunda post typicam (1891) post indices prostat in fine: quam tamen non credimus reservatam Episcopo, si a solemnitate abstrahas.

V.

DE BENEDICTIONE AQUAE BAPTISMALIS.

1. Haec benedictio bis in anno peragenda ubi fons baptismalis habetur, et consuetudo si vigeat, contraria, tamquam abusus eliminanda (*S. Hippolyti, 13 Apr. 1874:* et *Spalaten. 17 Iun. 1892*).

2. Non debent, statim post benedictionem, sacra olea abradi ab aquae superficie, ex corruptionis timore, qui vanus est (*Academ. Liturg. Rom. Convent. 1 Iul. 1892*). Quod si, cetero, corruptio vere timeatur, abradi ad summum tunc poterit, vel potius aqua renovari.

3. Pro cereo paschali, in hac benedictione, alius minoris molis cereus dummodo sit benedictus, habeatque consueta quinque grana incensi, adhiberi licet (*Venezuela, 23 Apr. 1875*).

4. Eadem benedictio ab eodem facienda, qui Missam decantat, nisi sit Episcopus Ordinarius.

(*Continuabitur*). FRANCISCUS STELLA P. C. M.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE ALMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

VI.

Vetus est mos, pia exequendi exercitia coram SSmo Sacramento in pixide incluso, tabernaculi tantum ostiolo reserato, in quadam vasta dioecesi ultramontana. Ast quidam Sacerdotes dioecesani qui peregrinationis ergo Italiae Sanctuaria visitarunt, pluries animadverterunt hac illac aliquando sacram pixidem extrahi e tabernaculo, ac in Altaris planitie supra corporale vel palla, aut supra parvo scamno ad mo-

dum throni in eadem mensa disposito, exponi ab initio functionis: qua expleta, Sacerdos assumpto supra cottam et stolam aut supra planetam, si functio in fine missae expleri soleat, ac deposito manipulo tantum, velo humerali albo, populo cum SS. Sacramento benedicit. Praeterea in hisce functionibus thurificationes praescriptae in benedictionibus cum Venerabili Sacramento pro lubito omittuntur vel adhibentur; quinimo quatuor vel ad summum sex tantum cerei accenduntur. Huiuscemodi praxis cum probaretur ab iisdem Sacerdotibus, non incunctanter eam induxerunt in suis paroeciis vel Ecclesiis, paucis ab annis. At Episcopus in sacra visitatione de ea certior factus, caeremoniario suo mandat ut hac super re iudicium suum proferat: qui consultis antiquioribus Auctoribus Liturgicis maioris notae, nihil invenit praeter simplicem modum, quo in dioecesi a vetusto tempore fieri solitum erat. Hinc Episcopus prohibet inductas consuetudines, et ad tramites antiquae dioecesis praxis, hanc privatam expositionem fieri praecepit.

Quaeritur:

1. *Quid dicendum de origine harum Expositionum SS. Sacramenti in pixide inclusi: et num pro lubito Parochi vel Rectores Ecclesiae quamvis regularis, expositiones easdem peragere possint absque Ordinarii facultate?*

2. *Num liceat pixidem extrahere e tabernaculo et deponere super mensam altaris, vel in parvo throno per totam functionem; et tandem benedicere populo cum SS. Sacramento?*

3. *Quid dicendum de reliquis consuetudinibus in casu propositis?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Francisci Balducci, ex alumnis Pontificii Seminarii Pii, habita in Ecclesia Presbyterorum Congregationis Missionis die 12 Apr. 1893: acta epitoma per Rmum Dom. Dom. Aloisium Orestem Canon. Borgia.

I. Primae petitionis partis obiectum, est origo Expositionum SS. Sacramenti in pixide clausi: quam altera pars sequitur de iure, quo Ecclesiarum Rectores gaudere possunt huiusmodi Expositiones peragendi.

Sicut ex fide credimus, Eucharistiam ab omnibus esse adorandam, ita tenendum, sapientiam Ecclesiae modum eiusdem adorandae in Expositione adinvenisse. Non tamen idem exponendae Eucharistiae modus in praesenti ac in prima antiquitate Ecclesiae. Vigentis enim consuetudinis, ad hoc quod pertinet negotium, in primis Ecclesiae saeculis vix aliquod vestigium extare dicendum est. Satis enim constat, antiquitus Eucharistiae asservationem unum habuisse finem, communionem infirmorum aut peregrinorum. Quod per plura saecula consuevit fieri, quando servabatur Eucharistia in sacrariis, vel in armariolis altaris, vel ante ipsum altare, sive in turribus, sive in capsis, sive in columbis, sive in pixidibus recondita.

Nihilominus quoddam hodiernae Expositionis Eucharistiae vestigium reperimus ab ipsis Ecclesiae incunabulis, sive in elevatione ad Missam post consecrationem, sive in Eucharistiae delatione ante Pontificem celebraturum. Elevationem namque fuisse antiquitus semper post consecrationem factam omnes Liturgiae testantur. Porro elevatio, quaedam appellari potest Expositio, cuius finis praecipuus, adoratio. Explorata quoque res est, Pontifici e secretario exeunte

Missarum solemnia peracturo, duos acolythos antiquitus iisse obviam, almum Sacramentum in vase contentum deferentes, ut Pontifex adoraret. Cetero ritum Eucharistiae Expositionis, prouti impraesentiarum fieri solet, antiquiorem non esse, silentium vetustiorum omnium scriptorum satis abunde ostendit. Id autem sive de Expositione solemniori agatur, nempe cum Ostensorio, sive de simplici Expositione cum pixide.

Ut autem, prima omissa, de qua nihil petitio nostra, aliquid de huius origine dicamus, animadvertimus primo, anno 1630 Sacram Congñem Concilii verba de ea fecisse. Namque, uti Benedictus XIV refert (*Institut. XXX, n. 11*), Sacrum hoc Tribunal censuit: " Non licere Regularibus... SSñum Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario; ex causa autem privata posse, dummodo SSñum Sacramentum Tabernaculo non extrahatur, et sit velatum ita, ut ipsa sacra Hostia videri non possit ((*10 Aug. 1630*) ". Bissus vero aliud refert Decretum eiusdem Congregationis Concilii d. d. 7 Sept. anni 1598, quo edicitur, ut: *pro particularibus personis exponatur Sacramentum in ostiolo Tabernaculi, aut in pixide velata;* citatque Lantusca in Theatr. Regul. verb. *Eucharist.* (*Hierurgia, Tom. 1, ad verb. Expositio Sacram.*). Notandum praeterea S. Carolum Borromaeum loqui de sacra Hostia in eleganti pretioso tabernaculo ad modum cilindri elaborato, et in pyramidis formam desinente, inclusa (*apud Gardellini Instr. pro Orat. Quadrag. Horar. § 36, n. 9*). Sancti enim Antistitis aetate Ostensoria, seu vasa Eucharistiam monstrantia, unde *Remonstrantia,* nondum adinventa fuerant. Tabernaculum autem, etiam pro solemniori Expositione, non in throno, sed in altaris mensa collocari consueverat, et quidem desuper velo, quod

obumbraret, sed non omnino tolleret adspectum Sacramenti, imposito (*Gardellini loc. cit.*). Hoc autem ostendit, ipsam Expositionem iam privatam antea in usu, aetate S. Caroli, seu saeculi XVI circiter dimidio, incoepisse fieri solemnior.

Dictis haud obstantibus, quae Expositionem cum pixide ad saeculum XVI aut XV ad summum ascendere innuunt, maximi faciendam autumamus sequentem animadversionem. Antiquitatem exponendi Sacramenti consuetudinis, docet Chardon (*Apud Moroni Dizionar. d'erudiz. ad verb. Ostensorio*), plane ostendit usus illorum Tabernaculorum mobilium, quae appellabantur *Ostensoria*, *Custodia*, *Melchisedech* etc. ex quibus nonnulla saeculo XIII confecta et elaborata fuere, post institutum festum Corporis Christi. Dicta Tabernacula nuncupabantur quoque *Monstrantia;* inserviebant enim SS. Sacramento monstrando, erantque ad instar Crucis, vel solis, aut turris. Verum a superius citato auctore docemur, quod et recto sensui omnino conforme est, non eodem in omnibus Ecclesiis usum Expositionis huius, sed diverso tempore ac paulatim incepisse. Eiusdem auctoris autem adnotator P. Bernardus a Venetiis autumat, ritum exponendi Sacramentum esse institutione processionis in festo Corporis Domini antiquiorem: quatenus includebatur sacra Hostia in vasis transparentibus, vel opacis, hoc est in Ostensoriis aut pixidibus. Ex quibus facile infertur, Expositionem cum pixide eiusdem ac cum Ostensorio esse antiquitatis. Cumque ex alibi expositis satis probatum appareat (*V. n. 3 Ephemer. praef. anni pag. 153*), Expositionis solemnis ritum ad XII, nisi et antiquior sit dicendus, ascendere saeculum; iure concludi posse videtur, Expositionis quoque cum pixide usum eadem aetate incepisse.

Super quibus iterum iuvat animadvertere, ritus quoscumque solemniores uno, ut plurimum, temporis momento, non ortum habere consuevisse, sed sensim a minus solemni ad solemniores transire. Haud proinde vero apparet simile, ut Eucharistia statim solemniori modo exponi coeperit in Throno, quin alia minus solemnis antea praecesserit cum pixide in Tabernaculo. Consequenter concludendum est, prius coeptum fuisse adorare Sacramentum in pixide inclusum, ostiolo tabernaculi reserato. Hinc consuetudo in aliquibus successu temporis Ecclesiis invecta, ut ipsamet pixis exponeretur in throno: quod postea S. R. C. pluries prohibuit, ac tandem declaravit, huiusmodi Expositionis ritui non esse locum (*Ordin. Min. Capuccinor. Prov. Helvetiae, 22 Maii 1835 ad 4*). Huic Expositionis ritui alius successit, de quo Benedictus XIV, et Gardellinius (*Comment. ad Instr. Clement. § 36, n. 9*), sacram nempe Hostiam exponendi in Ostensorio, velo tamen obducto, sed super altari posito: quae consuetudo a Gardellini aetate iam obsoleverat, et impraesenti eius vix alicubi aliquod adhuc vestigium extat. Denique huic alteri tertia successit omnino solemnis, quae consistit in Hostia sacra patenter exposita intra Ostensorium, eminentiori loco collocatum. Quae tamen solemnior Sacramentum exponendi ratio primam non abstulit minus solemnem; quin imo haec et permansit, et universalior evasit. Si itaque Expositio cum Ostensorio ad XII ascendit saeculum, satis probabilius ad anteriora etiam tempora ascendit simplex Expositio cum pixide.

Altera pars petitionis est, utrum Parochi vel Rectores Ecclesiarum, sint saeculares, sint Regulares, exponere Sacramentum in pixide inclusum valeant pro lubito quin Ordinarii facultate muniantur.

Praemittimus, Expositionem Sacramenti sub duplici apud Liturgicos sensu accipi, quatenus vel solemniter vel private fieri illa queat. Si solemniter seu cum Ostensorio fiat in throno eminentiori loco posito, Expositio dicitur *solemnis:* si vero fiat sola cum pixide clausa, absque throno, sed intra ciborium seu tabernaculum relicta, *privata* nuncupatur. Benedictus XIV (*Institut. 30, n. 22*) verba quoque facit de Expositione cum Ostensorio sub baldachino, quod tamen, Ostensorium sit velo coopertum, ut sacra Hostia videri non possit: hanc expositionem *privatam* nuncupat. De hac ratione exponendi Sacramentum aliquid iam innuimus, et cum impraesenti vix alicubi vigeat, de ea loqui abstinemus. Unum hic fas est animadvertere, quod causam publicam et privatam respicit, ut verborum ambiguitatem vitemus, et in obscuritatem hac de causa non incidamus. Itaque, re in se inspecta, Expositio sive sit publica, sive sit privata, tam pro causa publica quam pro causa privata fieri potest, uti consideranti facile patet. Nihilominus, praesenti inspecta disciplina, cum pro causa publica fieri soleat Expositio cum Ostensorio et pro causa privata Expositio cum pixide; hinc communiter receptum est, ut pro Expositione publica idem intelligatur ac pro expositione pro causa publica, seu cum Ostensorio: pro privata vero, idem ac pro Expositione pro causa privata seu cum pixide. Consequenter Expositio *publica* et Expositio *pro causa publica* idem sonat; sicut idem est pariter Expositio *privata* et Expositio *pro causa privata.*

Negotio sic explicato, pergimus ad aliam primae petitionis propositam partem, cui citra controversiam respondendum est affirmative: videlicet, nulla requiritur pro agenda Expositione privata Ordinarii facultas. Constat autem primo ex S. Congregatione Con-

cilii, quae, ut refert Benedictus XIV (*Instit. 30, n. 11*) censuit: " Non licere... SS. Sacramentum publice adorandum exponere, nisi pro causa publica... ex causa autem privata posse (*17 Aug. 1630*) „. Quod quidem responsum Regulares particulariter afficit; sed docet praefatus Pontifex, eam esse legem generalem vi aliarum quampluriam Sacri Tribunalis resolutionum (*loc. cit. n. 12*). Secundo constat ex S. Congregatione Rituum; quae eadem ratione, atque iisdem fere verbis se explicat, ac S. C. Concilii, publicam ex Ordinarii venia, privatam vero Expositionem sine eadem venia permittens (*Savonen. 31 Maii, 1642*). Quam doctrinam uti certam, nullique obnoxiam dubio, idem quoque Gardellinius tradit, dicens: " Redacto igitur sermone ad Expositiones vere privatas, quae fieri possunt sine Ordinarii licentia; certum est etc. (*Comment. ad Instr. Clement. § XXXVI, n. 11*) „. Itaque Parochi vel Rectores Ecclesiarum in quibus Sacramentum asservatur, possunt pro lubito, quod profecto aequum esse debet, privatam Eucharistiae Expositionem peragere, quin teneantur proprium pro facultate Episcopum adire.

II. Altera petitio inquirit, num pixidem e tabernaculo extrahere in dicta Expositione liceat, super mensam altaris ponere, vel in parvo throno, functionis tempore, insuper et populo cum eadem pixide in fine benedicere.

Respondendum primo, pixidem in Expositione privata extrahere e tabernaculo esse omnino vetitum. Satis abunde constat imprimis e Sacra Congregatione Episc. et Regul. quae decernit: " Si quandoque privata ex causa Sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, a tabernaculo nunquam extrahatur, sed in pixide velata, in aperto eiusdem tabernaculi ostiolo...

collocetur (*9 Dec. 1602*) „. Cuius Tribunalis dispositioni altera consonat Sacri Concilii, superius relata, quae post Expositionem pro causa privata permissam, addit: " Dummodo Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, et sit velatum, ita ut sacra Hostia videri non possit (*17 Aug. 1630*) „. Utrique Sacrae Congñi apprime adhaeret Rituum Tribunal, iisdem se verbis exprimens mox relatis, uti ex decreto in *Savonen.* manifesto patet, quod superius citavimus, cum conditionem apponat: " Dummodo non extrahatur a tabernaculo, et maneat velatum, ita ut Hostia videri non possit „.

Quo posito, iam patet quid respondendum circa pixidem collocandam super mensam altaris vel in parvo throno; si enim extrahi eam non licet e tabernaculo, a fortiori in decursu functionis eamdem non licebit super altare collocare, vel in throno. Cavalerius nihilominus censet pixidem et e tabernaculo extrahi, et in throno collocari posse, et decreto innititur Congregationis Episc. et Reg. (*an. 1598*): quo permittitur Expositio privata, dummodo Sacramentum *non exponatur detectum, sed ostiolo tabernaculi aperto,* AUT AD SUMMUM IN PIXIDE VELATA (*Tom. 4, cap. 7, Decr. 8, n. 3*) „. In quibus postremis verbis *aut in pixide velata* hanc videt factam permissionem, pixidem, modo velatam, sub throno collocandi. Cavalerio adhaeret Tetamus, uti Gardellinius refert, addens tamen et iure merito, oppido utrumque falli. Quidquid enim per superius allatum Decretum S. C. Ep. et Reg. dixerit, et quocumque sensu possit intelligi, posteriora decreta eiusdem et aliarum Congregationum, ut pixis e tabernaculo extrahatur absolute prohibent: *dummodo Sacramentum non extrahatur a tabernaculo: nunquam extrahatur.* Hinc praefatus Gardellinius Cavalerium confutat et

reiicit (*Loc. sup. cit. n. 13 et seq.*). Nunquam itaque licet sacram pixidem super mensam, aut, quod peius est, in throno collocare.

Ad benedictionem vero quod attinet, aliter iudicandum est. Benedictus XIV notabat aetate sua consuetudinem invectam in pluribus dioecesis Bononiensis Ecclesiis populo cum sacra pixide benedicendi. De quo ritu, ait praefatus Pontifex, tunc tantum dictae dioecesis Antistes, nullum notum vestigium reperiri, quamvis de hac benedictione, in communione tamen infirmorum, loquatur Rituale Romanum. Docet, Romae, quae Rituum sacrarum est magistra, id nonnisi in quodam vel rarissimo casu fieri. Inde dictam benedictionem in illis permittit Ecclesiis, in quibus eius usus iam obtinuerat, in reliquis absolute prohibet (*Instit. 30, n. 23*).

Gardellinius, hac in re, ipso Benedicto XIV severiorem se ostendit, dicens: " Improbanda videtur illorum licentia, qui sibi ius arrogant qualibet ex privata causa, vel etiam uno devotionis motivo, extrahendi a tabernaculo velatam pixidem, ut cum ea benedictionem populo impertiantur. Abusus certe intollerabilis et omnino eliminandus (*Comment. ad Instr. Clement. § XXXVI, n. 14*) „. Abstinemus a pluribus referendis, quae dictus, ceterum cl. auctor, habet contra benedictionem cum pixide, contenti hoc unum advertere, disciplinam Ecclesiae mutationibus subiacere: ut, quod aetate Benedicti XIV in pluribus tantum Bononiae Ecclesiis, aetate Gardellinii in pluribus quoque Ecclesiis Romanis, impraesenti intra et extra Urbem communiter fieri, et consuetudinem cum pixide, post aliquam absolutam functionem, populo benedicendi, fere universalem evasisse. Cum itaque per se laudabilem ipsemet Gardellinius fateatur huiusmodi con-

suetudinem, iam non est cur ea sit censura notanda, maxime si a competenti auctoritate approbata.

Pluribus Decretis praetermissis, quae hanc consuetudinem non damnant; sed potius approbant, unum referre contenti sumus. Est in *Palentina* d. d. 16 Ianuarii 1886, a Leone Papa XIII (saltem partialiter) approbato et confirmato. En quaesitum uti in Collectione authentica Decretorum refertur: Dubium I. " Cum in nonnullis Sacrarum Romanarum Congregationum responsis aliqui putent sacram pixidem, aperto tabernaculi ostiolo, posse fidelium pietate exponi, minime vero inde extrahi; alii vero educi posse opinantur, tantum ut cum ea populo benedicatur, quemadmodum fieri solet certis diebus in pluribus Ecclesiis Regularium; quaeritur num huiusmodi consuetudo admitti possit? „ Clarior vix esse potest ad rem nostram petitio: iam audi simplex responsum etiam petitione clarius: " Affirmative „. Hic autem animadverte primum, de licito generaliter agi huiusce benedictionis, quod alii admittunt, negant alii. Praeterea verba fieri de iam inducta consuetudine in pluribus Regularium Ecclesiis. Hinc quaesitum, non de consuetudine admissa loquitur toleranda, sed de admittenda: " num huiusmodi consuetudo admitti possit „. Ergo responsum simpliciter affirmans satis superque demonstrat, huiusmodi benedictionem cum pixide licitam esse, et servari posse, ubi viget, ubi vero non viget, posse induci.

Quod etiam patet ex dubio IV eiusdem Decreti, in quo quaeritur, num pro explendo Pontificis mandato de Rosario singulis diebus Mensis Octobris recitando, cum Litaniis, et Sacramento exposito, sufficiat nec ne Expositio privata, scilicet aperiendo ostium tabernaculi, pixidemque postea extrahendo, ut cum

ea populus benedicatur. Cui quaesito respondit Sacrum Tribunal Rituum, attenta paupertate Ecclesiarum, id posse fieri per modum exceptionis, et cum Ordinarii facultate: quo in casu iterum permittitur, ut aperiatur ab initio functionis ostiolum ciborii, et cum sacra pixide benedicatur populus. Ergo modus iste benedicendi nulla potest ratione illicitus dici; sed singulis perpensis, concludendum potius, et quidem cum omni certitudine, esse omnino licitum permissumque (1).

Nihilominus, extrahere pixidem e tabernaculo ad unicum finem ut populo benedicatur, quin ullum pietatis exercitium peragatur, non licet, quamvis immediate post Missam id fiat. Constat ex Decreto *Ravennaten*. 7 Iul. 1876 ad 1. Item quoties populus cum pixide benedicendus est, velo humerali utendum, secus benedictio evadit illicita (*Conversanen. 13 Iul. 1883, ad 1*). Denique superpelliceo ac stola indutus esse debet Presbyter, uti ex generali regula notum est, ut devotionis exercitium quodcumque peragatur ante Sacramentum, etsi in pixide expositum.

III. Ultimae petitionis obiectum est, quid iudicandum de reliquis consuetudinibus in casu propositis.

Praeter consuetudinem circa pietatis exercitium coram Sacramento in pixide incluso, et alteram de pi-

---

(1) Nonnulli auctores, etsi recentiores, docent adhuc, benedictionem cum pixide non posse dari, saltem nisi ubi consuetudo vigeat, quam approbaverit Ordinarius. Ita Vapelhorst (*Compend. Sacr. Liturg. n. 226 ad V*), dicens: « Benedictio cum pixide dari nequit, nisi Episcopus, ob consuetudinem existentem, facultatem concesserit ». Ita De Herdt: « In expositionibus privatis benedictio cum SS. Sacramento per se nunquam dari potest (*Pars 2, n. 30*): quamvis admittat, fieri privatam expositionem posse absque facultate Ordinarii (*Loc. cit. n. 24*). Haec porro sententia, quae antea sustineri iure poterat, in praesenti disciplina sustineri amplius nequit, utpote satis severa, et minus veritati conformis.

xide, quae e tabernaculo extrahitur, et super altaris planitie utcumque ponitur, de quibus disseruimus, casus agit de thurificationibus, quae in Expositione privata quandoque fiunt, quandoque prouti magis libet omittuntur. Quid igitur de his thurificationibus iudicandum? Ratio dubitandi est, quia agitur de Expositione privata, thurificationes autem, in casu Expositioni publicae tantum convenire videntur. Sacramento autem de more thus adhibetur statim post Expositionem, tempore *Tantum ergo*, et etiam pluribus in Ecclesiis in actu benedictionis. Ultima ex tribus his thurificationibus omissa, de qua postea, aliquid in genere dicendum de aliis duabus.

Si audias Cavalerium, Expositio privata facienda est ritu ordinario, *nempe cum incensatione,* genuflexionibus, aliisque etc. (*Loc. sup. cit. Decr. 9, n. 6*). Cui sententiae etiam Gardellinius libenter adhaeret (*Loc. cit. n. 25*), addens rationem, quia videlicet quocumque modo fiat Expositio, eidem semper est honor qui Sacramento debetur. E contra, harum thurificationum omissioni favere videtur defectus solemnitatis; ex quo derivat, ut ritus quidam solemniores, inter quos thurificatio, in iisdem liturgicis actibus, adhibeantur, si solemniori, omittantur, si minus solemni modo persolvantur. His perpensis, negotium ratione non solvitur, sed utraque sententia, per se, teneri potest, quae admittit thurificationem in hisce Expositionibus, et quae reiicit. Sed, si ratiocinationis vis impotens est, auctoritatem consulamus.

Decretum datum est in *Ariminen.* dicens: " Omissio incensationis conformior est Ecclesiae praxi in benedictione cum sacra pixide (*11 Sept. 1847*) „. Aliam non novimus hac super re competentis auctoritatis dispositionem; ergo thus Sacramento adhibere in pixide

incluso non est illicitum, et servari potest, quamvis id omittere melius esse videatur.

Iam ad ultimam pergamus thurificationem in actu benedictionis: de qua eadem institui potest quaestio, sive Expositio sit privata, sive publica. Gardellinius eam non admittit, eique adhaerere videtur Martinuccius, hoc innixi momento, quod haec thurificatio uti reliquae, digniori competeret, haud thuriferario, a quo tamen solet dari, et etiam quia Rubricae hac de re silent; ergo ea potius omittenda. Contra Gardellinium stant Cavalerius et Tetamus, quodam freti decreto, cuius Gardellinius auctoritatem infirmat. Opiniones ergo iterum relinquere cogimur, et competentem consulere auctoritatem. Quid haec autem? Primo respondit, hanc thurificationem non praescribi (*Veronen. 11 Sept. 1847*): iterum secundo respondit: " Non praescribi, et servandam consuetudinem locorum (*Sancti Marci, 7 Sept. 1861, ad 7*). Ergo et haec thurificatio, quae ab infimo ex ministris fieri consuevit, non est illicita, et iure servari potest.

Aliquid manet dicendum de altera consuetudine, quatuor vel sex tantum cereos accendendi, de qua casus. Eiusmodi consuetudinem, cum de privata Expositione agatur, sex accendendi cereos, esse laudabilem nemini dubitandum. Non enim de publica Expositione agitur et solemniori, in qua num sex cerei satis sint, dubitari fortasse posset, quamvis nonnulli hunc numerum dicant sufficere. Hoc unum est indubium S. R. Congregationem expetitam fuisse pro sequentis Dubii declaratione: " Quot lumina sint adhibenda in Expositione SS. Sacramenti, quae fiat ad instar proscaenii; et an in tali Expositione etiam lumina candelarum spectabilia, et quot requirantur? Et S. R. C. respondit: Luminum quantitatem pietatis

facientis Expositionem remittendam, et in altari super candelabris ad minus sex candelas accensas esse retinendas (*Narnien. 15 Mart. 1698*)„. Uti patet hic de publica Expositione agitur, non enim privata fieri unquam solet ad instar proscaenii. Si ergo in publica S. Tribunal negotium remittit, quoad luminum numerum, ad pietatem Expositionem agentium, et sex tantum cereos super altare exigit, palam sequitur, in Expositione privata, magis quam sex lumina super altare lucentia exigi de iure non posse: licet ex veneratione in almum Sacramentum plura quoque optime adhiberi valeant.

Quod si de quatuor tantum luminibus agatur, quamvis absolute id damnare non audemus; nihilominus neque approbare possumus, ut laudabile esse iudicemus. Quidquid sit, consultius autumamus, ut Parochi Rectoresque Ecclesiarum haud parce hoc in negotio se gerant, ut tanti Sacramenti decori omni ope provideant.

SOLUTIO QUAESTIONIS

PRAETERITO MENSE PROPOSITAE:

Quomodo intelligenda verba Brevis ILLUD EST, “ **privilegiis et insignibus** (*Canonici honorarii*) **tantum utantur in dioecesi, ubi nominati sunt.** „

Statuts quaestionis hic est : Usque ad decretum *Illud est*, ab omnibus tanquam certum habebatur, quod Canonicis honorariis, sicut et Canonicis de numero, fas non erat insignia Canonicalia

deferre, nisi in Ecclesia cuius Canonici sunt, et in aliis Ecclesiis dioecesis, dummodo in illis non singulatim sed capitulariter incedant. Quod constat non solum ex communi auctorum consensu (*Martinucci, L. VIII c. 8. Manuale Sacrarum Caeremoniarum; De Herdt, Praxis Pontificalis L. I, c. 3, §. 31; De Conny, Des Usages et des Abus, c. VI; Levavasseur, Cérémonial Romain, Vol. 1, p. 65, 6ae editionis; Falise, Cérémonial, p. 627, 5ae edit.*), sed praesertim ex variis decretis Sacrae Rituum Congregationis. Aliqua ex illis decretis referre inutile non erit. « Nonnulli Canonici concionatores humiliter institerunt apud C. S. R. decerni, quo habitu uti debeat Canonicus alicuius Ecclesiae Cathedralis, vel Collegiatae insignis, dum concionem habet in aliqua Ecclesia intra tamen dioecesim, cum videatur ex praescripto sacri Caeremonialis posse uti habitu, qui fuerit in Ecclesia proprius Canonicorum? Et Emi PP. responderunt: « non licere uti habitu, canonicali, nisi in propria Ecclesia, ubi est Canonicus ». Die 10 Septembris 1650. « Supplicante Iosepho de Comizares Canonico Ecclesiae Panormitanae pro declaratione: an extra dioecesim Panormitanam liceat oratori uti insignibus canonicalibus, si fuerit ibi invitatus ad aliquas functiones Ecclesiasticas, puta ad concionandum, seu ad ministrandum de licentia Parochi Sacramentum Baptismi, vel assistendum Matrimonio et similia? Et S. R. C. visis et consideratis iuribus allegatis respondit: « Negative ». Hac die 12 Martii 1678 ».

Et ratio talis praxis S. R. C. evidens est: Canonici proprio habitu decorantur, quia constituunt senatum Episcopi, et totam dioecesim re-

praesentant in publica recitatione officii divini, et propterea congruum videtur ut habitum canonicalem deferant solum quando illa munera exercent. Ecclesia, ait cl. de Conny, quae planetam presbytero sacra litanti dedit, proprio habitu decorare voluit Capitulum, quod in Cathedrali Ecclesia publicum officium peragit, illi proinde mozzettam aut cappam dedit: sed insignia dat propter officia. Sicut presbyter qui, finem sacrificio imposito, discedit ab altari, in quo coram Deo sistebat ad repraesentandum Christum et Ecclesiam, sese exuit sacerdotalibus indumentis, et illa non defert extra sacrificii tempus, nec quando coram Deo suas fundit preces; ita Canonicus cum e Cathedrali Ecclesia egreditur, et ad aliam Ecclesiam procedit, ut verbum divinum praedicet vel simul cum aliis clericis intersit aliquibus caeremoniis, quae nullam relationem cum publica oratione dioecesis habent, induere non debet canonicalia insignia. Insignia enim canonicalia conceduntur ad dignitatem capituli in capitularibus functionibus augendam, non vero ad decorandum unumquemque Canonicum in propriis actionibus.

Sed aliud praestat in medium afferre argumentum quod egregius Dñus Aloisius Vitali, die 15 Decembris 1886, in dissertatione habita Romae in Ecclesia Presbyterorum Missionis apud Curiam Innocentianam his verbis evolvit: Haec privilegia non sunt personalia sed localia, id est concessa sunt intuitu loci, seu Ecclesiae, non vero personae. Hoc autem satis abunde demonstratur ex regula iuris quinta decima, quae docet: Privilegium personale personam sequitur et extinguitur cum persona. Nunc autem praefata insi-

gnia honoris non amittuntur, si iis decoratus decedat, sed pro eo manent qui defuncto succedit. Id autem accidit profecto, quia non adhaerebant personae qua tali, sed dignitati canonicali.

Nec generatim dici potest, quod aliquando praetextu consuetudinis veteris et longaevae possint Canonici per totam dioecesim deferre insignia. Nam consuetudo contra legem fundatur semper in voluntate tacita vel saltem praesumpta Principis; in casu autem nec tacita nec praesumpta haec habetur voluntas, quae praescribere possit contra legem tot decretis constitutam. Sacra enim Rituum Congregatio, cuius decreta « eamdem auctoritatem habent ac si a Summo Pontifice emanarent » (*Decr. 23 Maii 1846, a P. Pio IX die 17 Iulii approb.*), non semel tantum prohibuit talem consuetudinem servari. Sic fecit, die 9 Maii 1857, reprobans usum Canonicorum Cathedralis Ebroicensis, qui mozzetam deferebant in omnibus Ecclesiis dioecesis. Sic die 16 Martii 1861 ad Archiepiscopum Sancti Iacobi de Chile qui inter alia postulaverat « XII: An vi assertae consuetudinis (agebatur de consuetudine *longaeva*) possit unusquisque Canonicus singillatim uti Cappa et Mozzetta tum extra Metropolitanam, tum etiam extra dioecesim? » rescriptum fuit: « ad XII, Negative, et detur decretum diei 31 Maii 1817 ».

Ex omnibus his supra citatis decretis satis patet quaenam lex regat delationen Insignium Canonicalium, et quaenam sit praxis quam semper tenuit Sacra Rituum Congregatio.

Verum est quod aliqua facta fuit exceptio in favorem dioecesis Petrocoricensis; sed una exceptio praxim contrariam non inducit, imo praxim ge-

neralem firmat, iuxta principium iuris: exceptio firmat regulam, pro casibus non exceptis.

Quibus omnibus sic se habentibus, nunc videamus si decretum *Illud est* 21 Ianuarii huius anni aliquid immutet quoad legen superius enunciatam.

Scio equidem aliquas Ephemerides gallicas, quibus nomen est « Le Canoniste contemporain », docuisse (*mense Aprilis p. 235*) quod nunc, omnes canonici sive de numero seu titulares, sive honorarii, possunt in omnibus Ecclesiis suae dioecesis insignia canonicalia deferre. Sed cum pace cl. Redactoris dictarum Ephemeridum sententia contraria certe atque omnino tuenda, quam sententiam Romae tanquam absolute veram teneri mihi compertum est. Unde dicendum, quod relate ad delationem insignium Canonicorum Metropolitanarum, Cathedralium et Collegiatarum extra Urbem, nihil immutatum fuit a Decreto *Illud est*. Et probatur:

1° Si decretum aliquid immutasset, si verba *tantum utantur in dioecesi*, intelligi deberent: in *omnibus Ecclesiis dioecesis;* hoc absurdum haberetur quod Canonici titulares uti non possent insignibus propriis in Ecclesiis suae dioecesis, dum hoc fas esset Canonicis honorariis; nam decretum loquitur de solis Canonicis honorariis, nec ullum verbum de aliis Canonicis habet.

2° Ut aliqua dispositio iuris immutata censeatur per novam legem posteriorem, necesse est ut hoc clare constet ex verbis novae legis, vel saltem ex principiis reflexis, quae a legistis traduntur ad discrepantes leges interpretandas. Sed in casu nostro nullo modo constat, decreta priora a decreto *Illud est* immutata fuisse, imo contra-

rium facile apparet. Nam voluntas legislatoris eadem semper praesumitur, hoc est constans et perpetua; et in conflictu plurium legum discrepantium haec iuris praesumptio cedere non debet, nisi certitudini, quae profecto in casu nostro non habetur ex decreto *Illud est*. Imo in hoc casu videtur applicandum illud interpretationis axioma: « Voluntas legislatoris praesumitur semper proclivis ad ea quae habent favorem iuris, contraria iis quae habent odium iuris ». Et si ad habendum sensum verum huius regulae probatos auctores consulamus, et inquiramus quaenam iuris favorem habeant, illi cum cl. De Camillis nobis respondent: Habet favorem iuris ipsa lex praeexistens; est enim ius ipsum. Sed quidnam opus est ut interpretationis regulas generales invocemus, quum in casu nostro, ad verborum illorum *in dioecesi* genuinum sensum habendum, magistram habemus ipsam S. R. Congregationem, quae anno 1817 pridie Nonas Iunii per Decretum generale decrevit, quod, quamvis Canonici gaudeant privilegio deferendi insignia IN ALIENIS ECCLESIIS, hoc tamen intelligendum est solum in casu, quo capitulariter incedunt? « Dignitatibus vero et Canonicis, etiamsi gaudeant indulto deferendi Cappam et Rochettum, tam in propria, quam in alienis Ecclesiis, huiusmodi tamen, aliorumque Canonicalium Insignium usum extra propriam Ecclesiam licitum esse duntaxat quando capitulariter incedunt, vel assistunt, et peragunt sacras functiones, non autem si intersint uti singuli: nisi speciale privilegium nedum Collegium comprehendat, verum etiam singulariter et distincte ad personas extendatur ».

Unde certo concludendum est quod quoad locum et functiones, in quibus Canonici, de quibus in casu, propria Insignia deferre possunt, nulla immutatio facta fuit per decretum *Illud est.* Hoc decretum nec novam legem induxit, nec consuetudines contrarias decreto 31 Maii 1817, aliisque praecedentibus adprobavit. Canonici igitur ad firmandas consuetudines antiquas contrarias, hoc decretum invocare nequeunt; et si aliqui existimarent tales consuetudines contrarias legi generali servari posse, saltem pro tempore, ut concessum fuit a S. R. C. die 2 Augusti 1875, sciant nihilominus hoc nullo modo fieri posse vigore decreti *Illud est:* quod, ut iam dictum fuit, quoad locum et caeremonias, in quibus Canonicis Metropolitanarum, Cathedralium et Collegiatarum insignia sua deferre fas est, nullam immutationem attulit legislationi, quae ante 21 Ianuarii huius anni vigebat.

Doct. Felix Ravanat.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Bamberga in Bavaria.* **De doctrina ab Ephemeridibus tradita circa anniversaria et dies 3, 7 et 30 pro defunctis.** Doctrina ab Ephemeridibus tradita circa dies in dubio indicatos non videtur sequenda, quia obstant Decreta S. R. Congrega-

tionis, et auctoritas fere omnium liturgicorum. Quid?

Resp. Doctrina ab Ephemeridibus nostris recentius ad rem tradita, est omnino certa, et in praxi tenenda; et adiungere iuvat, non licere personis privatis diversam in casu praxim sequi. Namque hic agitur de damno tertii, hoc est de animabus, piacularibus flammis addictis, quae, cum suffragia sibi destinata retardantur, gravatas nimis se sentiunt, et in caelesti visione beatifica consequenda moras trahunt. Cl. consulentem nostrum exoramus primo, ut serio perpendat, agi in casu de disciplina Ecclesiae, quae mutationi subiacet: ut, mutatione audita, amplius attendendi non sint auctores antiqui, quamvis omni veneratione dignissimi; nec Decreta imo attendenda antiquiori tempore emanata, quia per recentiora illis citra omnem controversiam derogatum est. Itaque ad anniversaria quod attinet, docuerunt Ephemerides, non amplius ea esse distinguenda, in ordine ad eorum repositionem, inter fundata et privata, paris enim sunt iuris impraesenti. Non tamen ambigendum, easdem Ephemerides aliud alibi docuisse. Quod autem de anniversaria die, intelligendum facile est de aliis diebus, seu 3, 7 et 30. Ratio est, quia cum de re aliqua non datur omnimoda certitudo, ecquis potest continere scriptores, ut in eadem sententia conveniant? Nonne satis tritum est adagium: *In dubiis libertas?* Quidquid sit, iterum iuvet certam de dictis diebus doctrinam referre, nunc tenendam, opinionibus auctorum quorumcumque relictis; imo aliis, si quae sint, posthabitis S. R. Con-

gregationis Decretis, quae contrarium disponunt, quippe quae revocata censenda sunt.

« Anniversaria, seu Missae cum cantu pro defunctis, sive fundata a testatoribus pro die obitus aut alia determinata die, sive privata ad petitionem viventium, dummodo pro die obitus, prohibentur tantum in duplicibus primae et secundae classis, in Dominicis et festis de praecepto, infra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes, et SS. Corporis Christi, necnon feria IV Cinerum, in maiori hebdomada, in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes, sicuti et tempore Expositionis solemnis SS. Eucharistiae in relativis Ecclesiis. Dicta autem anniversaria, si in diem impeditam incidant, vel in primam diem liberam transferri possunt, vel in antecedenti similiter libera anticipari; dies autem liberi ii sunt, qui in superius recensitis non comprehenduntur. Quod vero de diebus anniversariis pro defunctis statuit, S. R. C. declarat extendendum esse quoque ad dies 3, 7 et 30 ab obitu, sive quoad celebrationem Missae de requie cum cantu, sive quoad translationem. Denique eadem S. R. C. declarat, diem anniversarium pro defunctis, nec non dies 3, 7 et 30, tam a die obitus quam a die depositionis computari posse. Contrariis non obstantibus quibuscumque. »

Has dispositiones, partim antiquas, partim novissimas, excerpsimus e Caeremoniali Romano-Seraphico, et comprehenduntur in num. 995, 996, 997, 998, § III, cap. VI, part. III, art. II, *De sacrif. Missae in specie.* Sunt autem omnino indubiae nullique discussioni obnoxiae, utpote authentico Decreto innixae sub die 2 Dec. 1891, a quo fere ad literam fuere depromptae, et de quo cer-

tum nos reddimus testimonium. Consequenter, quidquid contra easdem dispositiones adm. Rev. consulens ratiocinetur, vel ex anterioribus Decretis vel ex aliis liturgicis auctoribus, nihil omnino est.

Nota. Decretum *Lincien.* (*V. Vol. Ephem. 1892, pag. 476 et 477*) citat aliud antiquius Decretum d. d. 10 Febr. 1860, cuius intelligentiam illud postulat in dubiis, praecipue 1, 2 et 3. Haec autem dubia ad Orationem referuntur pro Imperatore dicendam in Missa. Decretum istud, utpote merum privilegium continens, in Collectione authentica non reperitur insertum. Consequenter ad dubia, quae nobis resolvenda proponit adm. Rev. consulens circa Orationem pro Imperatore, sicut et circa Missas votivas solemnes, nos respondere nequimus, cum eiusmodi nesciamus decreti dispositiones.

II. *E Kiang-si Meridionali in Sinis.* **De consuetudine contra tertium cereum in Missa, et conopeum super tabernaculo.** Ephemerides docuerunt, consuetudinem de tertio cereo non accendendo in Missa servari posse, quippe quae, auctoritate vidente et tacente, inducta est (*Vol. an. 1893, pag. 482*). Si id verum esset, idem concludi posset de consuetudine non cooperiendi tabernaculum conopeo: admitti ne potest?

Resp. Negative, cum nihilominus sustineamus adhuc, Rubricam super tertio cereo in Missa, in praesenti non obligare ex contraria consuetudine, quam auctoritas competens videt, tacet, tolerat. 1. Consuetudo de omittendo tertio cereo, est fere universalis: in civitate ex. gr. Neapolis una tantum ni fallimur, uti oculis nostris perspeximus, hanc Rubricam servat Ecclesia, caeterae contrariam

consuetudinem tenent. Romae, duae vel tres Ecclesiae tertium cereum accendunt, reliquae oppositum servant. Idem propemodum in Gallia, in Hispania etc. E contra Conopeum super tabernaculum certe commune quampluribus Ecclesiis est. Plurimas Italiae Ecclesias vidimus, et observavimus, in quibus omnibus conopeo tabernaculum cooperitur. Romae vix aliquae enumerantur, quae conopeum tabernaculo non superimponunt, et quidem excusandae ob praegrandioris tabernaculi formam, caeterae Rubricam hanc observant. Galliarum Ecclesiae, in Nordica saltem parte, fere omnes, ab eadem servanda Rubrica se non eximunt: idem dicas de nonnullis Ecclesiis Hispaniae, Germaniae etc. Vides ergo quantum inter unam et alteram consuetudinem discrimen intercedat. Quae enim contra tertium cereum stat consuetudo, eadem e contra multum favet consuetudini conopei adhibendi.

2. Rubrica de conopeo maioris videtur esse gravitatis, quam alia de tertio cereo. Illa enim respicit honorem et reverentiam in almam Eucharistiam ostendenda, ut pro tentorio adhibeatur super throno amoris, idest tabernaculo, in quo Christus residet. Tertius autem cereus pro simplici signo praecipue adhibetur, quod ostendat, Missae consecrationem esse peractam, et Christum substantialiter esse super altare praesentem: quod ex aliis etiam signis nihilominus significari potest.

3. Denique, quod magis perpendendum est, nemo nescit, legem quamcumque semper obligationem gignere, etiam haud obstante eius inobservantia, si legislator voluntate sua resistit,

et consuetudinem contra legem reclamando impediat. Consuetudo enim contra legem, lex fieri nunquam potest, nisi voluntas Legislatoris tacito quodam assensu eam saltem toleret. Notum satis est quod Benedictus XIV solemniter proclamat: « Quod consuetudo praevaleat contra legem Superioris, id oritur ex ipsomet Superioris consensu, qui eam etiam suae legi obviantem, cum rationabilis et diuturna sit, statuit tolerandam (*De Synodo Dioeces. 12, c. 8, n. 8*) ». Hunc autem habemus Superioris consensum quoad Rubricam tertii cerei. Legas ex. gr. Decretum *Ordinis Cisterciensis* d. d. 16 Ian. 1882 ad XI; in eoque invenies, consuetudinem de tertio cereo in Missa non accendendo servari posse. At de conopeo superimponendo tabernaculo equidem legem habemus et Decreta, quae illud omnino exigunt, nihil vero quod consuetudinem contrariam confirmet, vel saltem toleret. Quid ergo? Adm. Rev. consulens noster ipse iudicet.

III. *E Polonia*. **De sensu verborum Ritualis « Et ingressus etc. procumbit seu prosternit se »**. In Baptismo Adultorum Rituale Rom. (*Tit. II, cap. 4, n. 3*) ait: « Et ingressus Electus *procumbit seu prosternit se* in pavimento et adorat ». Quaeritur, quomodo intelligenda sint verba « procumbit, seu prosternit se » ?

Resp. Verba *procumbere*, seu *se prosternere* non semel occurrunt in libris Ritualibus; eorumque sensus, alius profecto est a *genuflectere*, est enim profundior adorationis actus. Ex. gr. in Missali habetur Rubrica prima de feria V in parasceve, quae de ministris paratis ait: « Et ante illud (*altare*) **prostrati** aliquandiu orant ». Quae verba expo-

nens cl. Martinucci ait: «**Procumbent** ante altare, ponentes brachia et caput in cussinis, iam in suppedaneo vel gradu altaris praeparatis (*Lib. II, cap. 26, n. 17*)». Item Caeremoniale Episcoporum (*Lib. II, cap. XXV, n. 9*) dicit: «Episcopus ante altare **procumbit** etc.». Quod cl. De Herdt explicans ait: «Episcopus, facta altari reverentia etc., deinde in genuflexorio **procumbit**. Assistentes Episcopi **procumbunt** super pulvinis etc. (*Prax. Pontif. Lib. 2, cap. 25, n. 9*)». Itaque procumbere veram prostrationem significat totius corporis, dum genuflexio est aliquid minus, cum totum corpus non se in illa prosternat.

Ita in casu: Rubrica Ritualis dicens, Electum *se prosternere, seu procumbere*, significat, baptizandum adultum se debere prostrare super pavimentum toto corpore: haec vis verbi *procumbere*. Hinc Baruffaldus locum hunc explicat, dicens: «Decet, ut vix ingressus Electus in templum, **procumbat** ac **se prosternat**; nam flectere genua... peccatoris est, se *prostrare et procumbere* est poenitentis et humiliati, cuiusmodi est Catechumenus iam exorcizatus et prope fontem etc.». Itaque, dicta verba in propria significatione accepta sibi volunt, baptizando procumbendum esse super pavimento, ibique brevissime adorandum, non vero simpliciter genu, licet utrumque, flectendum et caput simul inclinandum.

IV. *Ex eodem loco.* **De vestis candidae qualitate pro baptizando.** Quaeritur: Utrum pro veste candida, de qua Rituale, et qua induendus baptizatus adultus, adhiberi possit superpelliceum longius, uti hic fert usus, vel etiam Alba, qua Sacerdos utitur.

Resp. Consultius credimus, superpelliceo potius longiori, quam Alba esse utendum in casu, ob mysticam significationem. Superpelliceum enim, conveniunt omnes innocentiam significare, qua indubie praeditus est fonte baptismatis renatus. Licet autem eamdem etiam Alba innocentiam significare valeat, ea tamen, usu perpenso iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam, vestem albam proprie significat, qua Christus ab Herode indutus fuit. Et quamvis superpelliceum nonnisi Alba sit, quae successu temporis decurtata fuit; nihilominus impraesenti altera satis ab altera veste discriminatur. Denique nimis videtur incongruum, ut veste facta et benedicta pro functionibus liturgicis, et maxime pro altaris sacrificio, baptizatus induatur: quod non comprobratur de superpelliceo, maxime si in casu longior sit, manicasque item longiores ac strictiores habeat.

Nota. De floribus artificialibus, seu de ornatu in cereis altaris, hoc tantum animadvertere sit satis: 1. Rubricas de hoc plane silere, sed contrarium illis dici non posse. In pluribus Ecclesiis, etiam observantioribus, Romanis, huiusmodi apparent cerei depictis floribus exornati. Nihil autem aliud significant, quam maiorem solemnitatem et splendorem altaris. Cl. Martinucci id negat dicens: « Monemus, quod candelae oportet ut sint ex alba, non picta cera (*Lib. II*, *cap. IV, n. 5 in Not.*) ». At non videmus quare picti esse non valeant cerei albi, cum id neque prohibitum sit, neque contra cultum. Eodem quidem loco ait supercitatus auctor, Summum Pontificem tantum in Missis pontificalibus cereis pictis uti. At eadem consuetudo in pluribus Ecclesiis cum iam inva-

luerit, nescimus ex superius dictis, quare sit damnanda, cum cereorum qualitas non ad personarum dignitatem discernendam adhibeatur, sed tantum ad maiorem altaris ornatum.

V. *E Dioecesi B.* **De colore stolae Sacerdotis communicantis in Missa.** Cuius coloris debet esse stola Sacerdotis, qui communionem recipit infra Missam?

Resp. Quicumque sit color, seu officii, seu Missae, cuius color ab officii quandoque discrepat, Sacerdos communicans stolam albi coloris semper assumet. Ratio est; quia ipse actum in casu exequitur, nullam cum Missa relationem habentem, ad paramenta saltem quod attinet. Actus autem huiusmodi Sacramentum respicit Eucharistiae, quod recepturus est; ergo stola utetur illius coloris, quem exigit talis actus: est autem albus. Et sane risu dignum foret, ut de indecentia taceamus, si color Sacerdotis communicantis conformis esse deberet colori Missae, eumdem videre Sacerdotem communicantem cum stola violacea, viridi vel nigra. Color itaque stolae in casu sit Sacramenti proprius.

VI. *E Pedemontio.* **De quodam festorum occursu et concursu.** Si festum SS. Sindonis (*dup. 1. cl. cum oct. sine feriatione*) occurrat cum festo Ascensionis Domini, utri danda praelatio?

Resp. Festa 1. classis primique ordinis, uti Ascensionis Domini, nulli alii festo cedunt, neque in occursu, neque in concursu, iuxta Rubricas. Ergo tali in occursu et concursu Ascensio praeferenda erit SS. Sindoni. Fiet tamen in concursu de hac commemoratio, uti patet; non enim inter duo festa Domini concurrentia sufficit identitas

personae ad commemorationem omittendam, sicut accidit in Festis Deiparae et aliorum Sanctorum; sed requiritur obiecti identitas in festis. Quod cum non detur, de altero fient Vesperae, de altero festo fiet commemoratio.

Nota 1. In omnibus festis dupl. 1. class. cum feriatione, Missa de requie, etiam praesente corpore, prohibita est, non vero in aliis, licet eiusdem ritus, quae sine feriatione recoluntur, uti patet de feriis II et III post Pascha et Pentecostem.

Nota 2. Festum SS. Sindonis et festum Inventionis S. Crucis, diversum credimus habere obiectum, uti ex diverso coniicitur officio, diversoque utriusque festi fine.

Nota 3. Rubrica Gen. Missalis (*Tit. V*) Dominicam Passionis, si in ea occurrat festum dupl. 1. cl. transferendum, non ponit inter dies exceptos, in quibus Missam de festo, quod transferri debet, cantare sit illicitum; ergo cantari iure potuit Missa de S. Ioseph, qui in Dominica Passionis anno 1893 occurrit. Idem tamen ex eadem Rubrica vetamur facere in tota maiori hebdomada, ut legenti eamdem Rubricam supercitatam evidenter patebit.

VII. *E Mantua.* **De festo dup. mai. primario secundariis eiusdem ritus festis praeferendo.** Festa cathedrae S. Petri, S. Gabrielis Arch. et S. Benedicti duplicis mai. ritus, praeferenda ne sunt festis Mysteriorum Passionis Domini eiusdem ritus, quae in Quadragesima celebrantur?

Resp. Praemittimus: « Festa primaria utpote solemniora, aliis secundariis... praeferenda esse tam in occursu quam in concursu... » Insuper addimus: « Sanctitas sua sententiam... Sacrae Con-

gregationis ratam habuit et confirmavit; iussitque ita et non aliter Rubricarum praescripta hac in re esse interpretanda, Rescripta seu Decreta, tum generalia tum particularia, in contrarium facientia suprema auctoritate sua penitus abrogando (*Decr. Gen. d. d. 27 Iun. et confirm. 2 Iul. 1893*) ». His ergo praemissis, quae nulli discussioni subiacent, in mente habitis, certum ponimus, festa Instrumentorum Passionis dominicae, esse secundaria, cum inter haec recensita sint in Decreto super primaria et secundaria festa, d. d. 22 Aug. et confirm. 27 eiusdem mensis 1893. Nunc autem ex tribus festis, de quibus inquiritur in proposito dubio, Cathedra S. Petri Ap. utraque, est festum secundarium, alia vero duo, nempe S. Gabriel Arch. et S. Benedictus sunt primaria. Ergo, occurrentibus vel concurrentibus praedictis festis cum aliis Instrumentorum Passionis, aut agitur de S. Gabriele Arch. et de S. Benedicto Abb. aut de Cathedra S. Petri. Si primum, in occurrentia fiet de S. Gabriele aut de S. Benedicto, et festum Instrumentorum transferetur prima die non impedita intra Quadragesimam: in concurrentia vero Vesperae integrae erunt de praefatis festis, cum com. Instrumentorum Passionis Domini. Si alterum, cum de duobus festis secundariis agatur, in occurrentia fiet de Instrumentis Passionis Christi, et Cathedra amandabitur in primam non impeditam diem iuxta Rubricas: in concurrentia autem Vesperae integrae erunt de Passione Domini, et com. de Cathedra S. Petri. Ratio est, quia cum in hac secunda hypothesi non intercedat discrimen inter alterum et alte-

rum festum, ambo enim secundaria sunt; dignitas potior praevaleat necessarium est.

Porro adm. Rev. consulens iuxta Decretum ab initio relatum, obliviscatur oportet, cum abrogatum maneat, Decreti illius quod citat in expositione Dubii, videlicet, 5920, cum datum fuerit d. 18 Augusti 1884. Namque, dispositionem iuvet iterare, Decreta quae opponuntur recentiori super primariis et secundariis festis, totam vim amiserunt, nihilque amplius valent.

Equidem adm. Rev. consulens arbitratur, Decretum 5920 privilegium concedere festis Passionis Domini licet secundariis, super alia primaria inferioris dignitatis. Verum non ita res se habet, cum de privilegio non constet ex praefato Decreto: quia dedit praelationem festis secundariis ratione potioris dignitatis, qua priora gaudebant, super primariis, quia dignitate inferiora erant. Porro tunc temporis quaestio agitabatur adhuc, sed impraesenti resoluta est: ut festa secundaria potioris dignitatis cedere debeant in paritate ritus festis primariis minoris dignitatis. Haec veritas.

VIII. *Ex Subalpinis.* **De loco Thuriferarii in SSmi Sacramenti benedictione.** In SS̃mi Sacramenti benedictione cum Sacris Ministris danda, vel sine ipsis, at cum thuriferario et duobus clericis superpelliceo indutis, cum omnes ad altare pervenerint, quaeritur quo praecise in loco se sistere debeat thuriferarius. Non enim unius est ubique locorum hac in re usus, sed varius, imo multiplex, nempe: 1° Alicubi in more positum est ut thuriferarius se sistat in medio presbyterii exacte retro Celebrantem, cui, cum tempus incensum mittendi advenit, thuribulum, quin ne transverso

quidem ungue sese de praefato loco dimoveat, praesentat etc.; 2° alicubi vero thuriferarius se sistit quidem in medio presbyterii, ut supra, sed aliquantum post Celebrantem, ita ut cum tempus incensum imponendi advenerit, locus eidem mutandus sit; 3° alicubi tandem thuriferarius in cornu Epistolae se sistit a dextris, sed paulo post retro clericum, Celebranti assistentem. Nunc autem quaero:

1° Ex praefatis tribus usibus qualis adprobandus et retinendus, et cur? 2° An dum thuribulum apertum ad incensum in illud mittendum Celebranti praesentat thuriferarius, stans semper vel genuflexus manere debeat, sive Celebrans Episcopus sit vel simplex Sacerdos? Et quomodo intelligenda verba « *idque respectu SS̃mi Sacramenti* » quae Martinucci habet (*Lib. I, pag. 89 in nota*), dum docet thuriferarium debere *stando* thuribulum Celebranti obiicere; num scilicet verba, *respectu Sacramenti*, reverentiae causam erga SS̃mum Sacramentum significent, quod non videtur; quia magis honoratur Sacramentum geniculando quam stando, vel quid aliud?

Resp. Admodum Rev. D. Inquirentem monitum imprimis volumus, hic haud dari posse categoricum responsum sicut ipse desiderare videtur, quodque tali certitudine gaudeat, ut ab omnibus probari, imo cunctis urgeri valeat; cum de negotio agatur, de quo sive Rubricae, sive S. R. Congregationis Decreta late silent. Ideoque liturgici auctores interrogandi tantum nobis manent, consuetudinesque observantiorum Ecclesiarum, praesertim Urbis, investigandae.

Hisce ergo positis, reponimus: 1° Usus in numero tertio Dubii expositus, nobis magis probandus atque retinendus videtur. Auctores namque liturgici omnes, quos consulere nobis datum est, uno ore dictant, in benedictionibus cum SSmo Sacramento, thuriferario ad latus Epistolae, et praecise ad dexteram Diaconi vel clerici Diaconi vices gerentis, recedendum esse, cum in presbyterium perventum fuerit. Honoris gratia contenti erimus citare tantum clarissimos Martinucci *(Lib. II, c. XI, n. 80 et alibi)*, De Herdt *(Part. II, n. 26 et seq.)*, ac De Amicis Congregationis Missionis Presbyterum, qui nuperrime absolutissimum edidit manuale sacrarum Caeremoniarum *(V. Part. IV, art. 1, n. 23 et alibi)*. Insuper in observantioribus Ecclesiis, praesertim Urbis, thuriferarius haud quidem in medio presbyterii se sistit, statim ac ad altare ventum fuerit pro benedictione cum Venerabili impertienda, sed ad cornu Epistolae immediate recedit ad dexteram ministri Celebranti inservientis. Arroges hunc usum commoditati, nec non et sacrarum caeremoniarum decori non parum favere.

2° Ad alterum quaesitum ita respondemus cum clarissimo De Herdt: « Thuribulum autem semper stans ministrat (thuriferarius), sive expositum sit SS. Sacramentum sive non, et quicumque sit Celebrans, nisi sit Episcopus proprius *(Part. II, n. 14 ad 3)* ». Hanc autem doctissimi viri sententiam in omnibus aliis liturgicis scriptoribus videre est. Et sapienter, genuflexio enim maximum servitutis atque reverentiae signum est; hinc in sacra Liturgia nonnisi Deo aliisque rebus supremo latriae cultu colendis praestatur.

Ideoque et in civilibus in more receptum est, ut supremum tantum dominium exercentibus signum istud servitutis venerationisque exhibeatur in loco suae dominationis, et ab iis tantum qui eorum supremae iurisdictioni subiacent.

Ad verba denique quod attinet ex cl. Martinucci deprompta, et quae Rev. Inquirenti videntur quandam obscuritatem et inintelligentiam prae se ferre, rogamus eundem Rev. Inquirentem, ut denuo illa attente perlegat, et absque dubio, liquida evadent.

Ipsa enim nullo pacto dicunt, vel etiam dicere valent, thuriferario thuribulum Celebranti obiicenti coram Sacramento exposito standum esse ob reverentiam eidem Sacramento debitam; sed manifeste dicunt, thuriferario coram SSm̃o thuribulum obiicenti semper standum esse, *quicumque sit celebrans*, id est etiamsi proprius sit Episcopus, idque ob debitam SSm̃o Sacramento reverentiam. Uno verbo, genuflexio, quae proprio Episcopo a thuriferario praestanda esset, dum eidem thuribulum offert ad thus in illud mittendum, SSm̃o exposito, eidem praestanda non est, ex causa reverentiae erga SSm̃um Sacramentum.

IX. *Ex eodem loco.* **De loco Diaconi a "Sanctus„ ad "Pater noster„ in Missa solemni non pontificali.** In quadam Ecclesia Cathedrali in more positum est, ut in Missa solemni non pontificali, dicto a Celebrante *Sanctus*, Diaconus non transeat ad sinistram ipsius Celebrantis ad librum, sed ad eiusdem dexteram maneat usque ad *Pater noster*, stante interim ad Celebrantis sinistram Caeremoniario, quando habetur; saepe enim, ob Clericorum penuriam, praesertim in paroeciis fora-

neis, Caeremoniarius deest. Quid dicendum de consuetudine hac?

Resp. Consuetudo haec utpote Rubricis contraria abroganda nobis apparet. Auctores namque liturgici, aeque ac praxis universalis verba illa Rubricae Missalis *(Titul. VII)*. « Nisi alius Sacerdos assistat », unanimes de Presbytero assistente interpretantur, qui in celebratione Missae solemnis, Episcopis aliisque Praelatis Episcopo inferioribus, iuxta Caeremonialis praescriptum *(Lib. I, c. 24, n. 9)* et Decreti generalis *(27 Septembris 1659)*, unice competit dum actu pontificalia exercent. Ideoque in ceteris solemnibus Missis, non pontificalibus, Diaconi est, minime vero cuiuscumque alius, Celebrantem ad librum assistere, eique Missalis folia vertere cum opus fuerit; ita apertis verbis Rubrica docente: « *Deinde* (idest dicto *Sanctus*) *Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, ei assistens, dum dicitur Canon (Rit. cel. Miss. Titul. VII)* ».

X. *Ex Hispania.* **De Missa principali pro defunctis in choro prima die mensis.** In Cathedrali N. non viget consuetudo recitandi, prima die non impedita mensis, officium defunctorum et septem psalmos poenitentiales. Quaeritur: Utrum cum dictum officium de iure omittatur, stante consuetudine, omitti quoque possit Missa relativa defunctorum?

Resp. In Breviario Romano habetur Rubrica de officio defunctorum recitando, et quidem ex praecepto, Rubricae enim illius praeceptivae sunt (Tit XXXVII). Eadem Rubrica, quod tempus attinet ad Rubricas speciales remittit. Porro in initio cuiusque mensis in Breviario Romano eius-

modi Rubrica legitur dicens: *Prima die non impedita dicitur officium defunctorum.*

Huic Rubricae altera generalis respondere videtur Missalis: « *Prima die cuiusque Mensis* (extra Adventum, Quadragesimam et tempus paschale) non impedita... dicitur Missa principalis generaliter pro defunctis etc. (*Tit. V, n. 1*) ». Consequenter haec Missa, quae inter conventuales recensetur, relationem dicit ad officium, sicut Rubrica Missalis ad Rubricam Breviarii, et vicissim. At vero Bulla S. Pii V, ubi non adest consuetudo huiusmodi officii defunctorum recitandi, eiusdem abstulit obligationem. Ergo videtur ex hoc sequi, obligationem quoque Missae, eiusmodi officio defunctorum respondentis, esse in eodem casu sublatam.

Nihilominus falsum est consectarium, et admitti in praxi nequit sine laesione conscientiae. Namque, primo, idem Pontifex duas dedit Bullas, quarum altera Breviario praemittitur, altera Missali. At, si in illa obligationem dictus Pontifex relaxat, pro non habentibus consuetudinem officium defunctorum recitandi, in ista de obligatione Missae pro defunctis penitus silet. Ergo qui ab officio dispensantur, non dispensantur a Missa. Secundo, relatio inter Missam et officium, cum de iisdem pro defunctis agitur. non ita accipienda est, sicut alia quae existit inter Missam et officium diei. Missa enim defunctorum, quidquid ex convenientia dici possit, semper votiva est, et Missa sine officio, vel officium sine Missa, stare ulla sine indecentia potest, ut ex facto comprobatur. Ex ratione ergo praefatae relationis nil argui potest contra obligationem Missae principalis pro defunctis, prima die non impedita mensis

dicenda, etsi eadem non detur obligatio quod officium defunctorum attinet. Tertio, hinc auctores, qui advertunt, choro addictos ad officium, stante contrario usu, non teneri; quando agitur de relativa Missa, esse eam ex obligatione in choro dicendam omnes docent. Satis sit citare De Herdt, seu in Praxi Capitulari (*Cap. XXVII, n. 4*), seu in Praxi Sacrae Liturgiae (*Pars. 1, n. 50*): et a Carpo in suo Calendario Perpetuo (*Cap. VIII, n. 25*). Qui ceterum Gavantum (*Pars. I, Tit. IV, lit.* (q), Quarti (*Pars. I, Tit. V, Explic. Litter.*), aliosque antiquiores sunt secuti. Quarto, denique huiusmodi Missam obligare omnes Ecclesias Cathedrales et Collegiatas, auctoritas confirmat S. R. Congregationis, quae Decretis suis, maxime in *Aretin.* 27 Febr. 1847, et aliud recens num. 5063 ad 1, legem Missalis roborat.

DE VITA ET OPERIBUS

IOANNIS PETRALOISII

PRAENESTINI

MUSICAE PRINCIPIS

(*Contin. V. num. 4, pag. 247*)

Haud enim multo post Pauli IV consilium, ad Petraloisii nostri quod attinet deletionem ex albo Capellae Papalis, magister conductus fuit cantorum in Lateranensi Basilica: munere quo

antea Orlandus ille a Lassu functus fuerat, de quo « Hic ille Orlandus lassum qui recreat orbem » dictum est. Sed quintum post annum, cum secunda ipsi se obtulisset occasio, musices Capellam Basilicae S. Mariae Maioris moderari incoepit calendis Martiis 1561. In his magisterii annis dives Praenestini musicalis vena, praeclara edidit opera mirabili suavitate ac arte perfecta, de quibus fusius in posterum. Attamen pretium operae ducimus, quasdam hic non praeterire silentio *Lamentationes;* quas in Basilica Lateranensi cantorum moderator composuit, mire sublimes alteque tristes, ac ita mirabili opere ac studio elucubratas, ut omnem posteris decerpserit spem eas adaequandi. Ipsae enim talem exprimunt sensum dulcissimum, animumque ita suaviter mulcent, cum nihil aliud sint ex imis unguibus ad verticem usque, quam mira ac stupenda elegia, ut etiam adamantina commoveant corda. O quot lacrimarum undas ad hanc horam usque Praenestini moverunt notae! Quot resipiscentiae aditum stupendae istae melodiae reserarunt! Quot etiam ex Lutheri ac Calvini discipulis exclamare coegerunt: In catholica tantum Ecclesia talia audiri queunt. Lamentationes istae, cum Romanarum Basilicarum sub abside intenti oraque tenentes audimus, gemebundam repercutiunt echo, fletibus Israelitarum super flumina Babylonis captivis simillimam, vel, si mavis, Iacob querelis ad aspectum tunicae filii sui Ioseph adhuc madidae sanguine, vel etiam Aegyptiorum desperatis clamoribus in nocte exterminii. Easdem merentur laudes caeterae, quas composuit Lamentationes, Sixto V Pontifici nuncupatae. Cum adhuc

Lateranensium cantorum moderator esset, celebria etiam scripsit *Improperia*, feria VI in Parasceve ad Crucis adorationem canenda, et quae in eadem Constantiniana Protobasilica anno 1560 primum audire datum fuit. Dum aures mulcent admirandae haee notae, nedum summae artis perfectionem miramur, sed animi dolore intrinsecus tacti, immutamur in melius. Ea enim veri pulchri natura ingeniumque est, ut summam vim habeat alliciendi, mentesque sublimem rapiendi in contemplationem rerum aeternarum. Et tu ipse, amice lector, lacrimas fortasse cohibere non valuisti si umquam tibi felici sorte datum fuit illud mirabile audire: « Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te » vel ceteras suaves querelas, quas mitissimus movet Salvator ad populum non credentem et contradicentem sibi.

Heu quantum musica valeret, si adamussim responderet proposito, ob quod ei sacri templi patuit aditus, ad corda nostra potenter movenda atque ad nobilium sensuum in hospitio ea immutanda.

Pius IV Pontifex Maximus cum haec *Improperia* audiisset, alte miratus, summis ea extulit laudibus: nuncque tercentos post annos placent adhuc vehementerque delectant; cum vere pulchrum numquam veterascat, et de melodia quacumque a Petraloisio elucubrata, iure dici possit, *centies repetita placebit.*

Ut aliquid aliud de ceteris, quibus Praenestinus functus est officiis, dicamus adhuc, quamquam brevi calamo, sciendum est, ipsum, duplici expleto lustro magisterii in Basilica S. Mariae Maioris, summam denuo adeptum fuisse laudem,

moderandi Iuliam Vaticanam Capellam. Quamque ex tunc toto vitae suae curriculo sapienter rexit, omnemque navavit operam musicalibus operibus elaborandis, atque solerti muneris sui functioni.

Musices studium deseruit numquam, etiam inter angustias rei familiaris, quas aliquandiu, uti visum est, expertus fuit. Hinc ipse idem in Lamentationum nuncupatione Sixto V Pontifici Maximo facta, ait: « Sed gratias ago Divinae Bonitati, tum quod decurso iam fere spatio propinqua est meta, tum quod in maximis difficultatibus numquam studium musicae intermisi ». Probe intelligebat Petraloisius illius effati sapientiam « *Nulla dies sine linea* », ut illud dictu, et, quod caput est, factu amplecteretur.

Et re sane vera, assidua exercitatio nonne perfectum reddit artificem, nonne praeclarissima ingenia ad summum perfectionis atque ad apicem gloriae conducit?

Praeter magistri munus in variis Basilicarum Capellis, etiam Romanorum Principum in aulis ac quorumdam Purpuratorum Patrum Praenestinus noster musicam moderatus est. Mirum enim ipsius ingenium latere minime poterat tunc aevi potentibus, qui magni eum eiusque opera faciebant parique rependebant auro. Excellentissimi D. Iacobi Principis Boncompagni Sorae Ducis in domo, concentuum directoris munus sustinuit, quo et in domo Emi Petri Card. Aldobrandini Clementis Papae VIII nepotis functus est. Neque ipsi minor erat gratia cum Cardinale Hyppolito Estensi iuniore, illustrium virorum maecenate exi-

mio; pro quo summa cum laude adlaboravit, et cui nonnullas musicas nuncupavit opellas.

Nihilominus quod maxime Petraloisium commendat, eiusdem est delectio, a S. Philippo Nerio facta, in musicae magistrum Vallicelliani Oratorii. Plane enim agnoscebat Philippus quantum ad caelestium contemplationem assequendam, musica idonea fuisset: voluit eapropter ut conventibus, quos Oratoria nuncupavit, a se institutis levamento musica esset, ars cordium dominatrix et regina, a maioribus divina appellata, quaeque cum humanitate orta, in saecula vivet. Petraloisius igitur percelebris Vallicelliani Oratorii musicae praefuit, venustissimas illas scribens moderansque cantiones, ob miram simplicitatem qua redolebant, tam conventibus illis proprias, sicuti ex uberibus fructibus colligere datum est. Munere isto decoratus iam ante fuerat Florentinus Animuccia vir egregiis moribus, et musicae scriptor haud spernendus, magister insuper Capellae Iuliae in Vaticana Basilica.

Vallicellianum Nerii Oratorium innumeris aliis per Italiam postmodum diffusis praelusit, necnon celebribus musicalibus operibus, quibus nomen Oratorii postea adscitum est, et in quibus enituerunt Haydn, Iomelli, Guglielmi, Zingarelli, Marcelli, Hasse, Hendl, Weigl, Gosmann, Neümann innumeriqui alii.

Insuper Praenestinus noster, cum docendi genere scribendique musicam maxime inclaruisset, amicitiam Philippi II Hispaniarum regis obtinuit, sicuti etiam Gulielmi V Bavariae Ducis, Alphonsi II Ferrariensis, Christinae Lotharingiae, Hetruriae magnae ducissae, nec non et Emorum Cardina-

lium Ferdinandi Medicei, magni ducis deinde Hetruriae, et Rodulphi Pii Carpinei; Gulielmi vero III Gonzagae Mantuae Ducis penitus in familiaritatem intravit. Cum enim Dux iste musicae studio vehementissime flagraret, saepissime Petraloisium adhibebat in consilium, sicut de musica, ita etiam de peritis, qui ad aulam acciendi erant. Nonnumquam etiam opera a se elucubrata Praenestino castiganda tradebat. Petraloisius vero quaedam ipsius musicalia opera Gulielmo dono dabat, pro quibus centum scutata aurea ab eodem semel accepit, altera vero vice quinquaginta nummos aureos. Haec ex epistolarum commercio, iam citato, excerpsimus, quodque, sicuti etiam diximus, cl. Bertolotti nuper edidit. Ex eodem epistolarum commercio coniici potest Petraloisium iam deliberasse, eius filium, musicae peritissimum, ad Mantuanam aulam mittendi magistrum, nisi immaturam oppetiisset mortem: imo consilium etiam coepisse una cum uxore ac liberis Mantuae commorandi. Sed conditionibus a Praenestino positis Mantuae repudiatis, Romae feliciter mansit.

Quod quidem non caeco casu, sed Dei nutu absque dubio accidit, ne Urbs, caput mundi, tanto orbaretur viro. Ipse enim praeclaris quae produxit operibus, omnino novi admirabilisque componendi modi fundamenta iecit; illius inquam, tam Ecclesiae Dei sanctitati ac decori convenientis. Insuper publicum musices ludum moderans in Urbe, futuris exemplo fuit scholis, quae tanto cum plausu artisque non parva cum utilitate extant adhuc in hac alma Urbe, ubi tam magno cum animi ardore colitur Euterpes, ingenti cum plausu alienigenarumque admiratione.

Ioannes Maria Nanini musicalem illum aperuit ludum, quemque nemini quam Petraloisio nostro moderandum credere voluit. Nonnullos et haud parvae notae produxit peritos schola haec, sicuti etiam et illa quam privatim Praenestinus excolebat. Inter horum optimos mentio primum habenda est de ipsius Petraloisii liberis, Angelo maiore natu, Rodulpho ac Sylla, quorum motetta quaedam, in patris operibus inserta videre adhuc est; de Ioanne deinde Guidetti Bononiensi, S. Petri mansionario, qui Praenestini sub disciplina mendis expurgatum edidit *Directorium Chori*, cantumque *Passionis*, aliarumque maioris hebdomadae functionum: de Andrea insuper Dragoni in Lateranensi Basilica deinde cantorum moderatore; de Hadriano Ciprari Praenestino ex Vallumbrusanis, postea Abbate eiusdem Ordinis ac in Hebraeorum sermone peritissimo, quem sub Arias Montano didicerat; ac demum de Francisco Soriano Romano.

Sed multo maiorem Petraloisius noster musices arti praebuit impulsionem, Congregationem illam instituendo, quae impraesentiarum S. Caeciliae Academiae nomen obtinet. Illustre enim Sodalitium hoc, quod per tria iam saecula aeternos honores musicae arte Romanae parit urbi, Praenestinum nostrum salutat auctorem. Et quamquam argumentis undequaque certis negotium haud demonstrari possit, costans tamen et unanimis Academiae traditio illud affirmat, roborantque memoriae, quae in Academiae archivo reserantur. Petraloisii aevo Academia haec primum sumpsit exordium sub nomine Sodalitatis fratrum magistrorum compositorum atque cantantium. Eamque

Gregorius Papa XIII cum auctam vidisset atque florentem, canonice erexit anno 1583. Haud multo post eiusdem canonicam eretionem pristinum nomen immutavit in Congregationem S. Caeciliae; ob arctum strictumque nexum, quem inter musicalem artem et hanc sanctam virginem intercedit: nomen quod postea iterum demutavit in Academiam S. Caeciliae. Insuper ex quodam Brevi Innocentii XII diei 16 Iulii 1699, tempus praecise confirmatur eiusdem Academiae institutionis; refert enim decretum quoddam Pontificii Collegii cantorum in quo edicitur: « *Die 6 Iulii 1584* post sacrum, *congregatio cantorum* decrevit ut nullus nostri collegii in quadam sodalitate musicorum noviter erecta multis dignis de causis adscribatur ». Et in altero Decreto Pii Papae VIII diei 24 Augusti 1830 « *Bonum est confiteri Domino* » confirmatur etiam, Gregorium XIII canonice Academiam erexisse.

Summi Pontifices Urbanus VIII et Innocentius XI Academiae statuta probarunt, imo per Breve diei 18 Maii 1684 copiam ab Innocentio eidem data est exteros in musica arte excellentes sibi aggregandi. Similiter rebus Academiae faverunt Clemens XI, Pius VI ac Leo XII, nonnulla eidem privilegia donando.

Nunc vero si Petraloisii aevo lucem vidit Academia, quomodo vel etiam suspicari potest ipsum huic fundationi extraneum fuisse, cum ipse anima esset, ut ita dicam, tunc temporis musicae? quamque in lucem reduxerat, et verbo et scripto a compedibus liberaverat? Nonne ipsum facile musicae principem adhibebant in consilium contemporanei? Imo nonne summa cum laude publicum

moderabatur musicae ludum, quem Ioannes Maria Nanini Romae aperuerat? Idemque Pontifex qui perinsignis adprobaverat Academiae erectionem maximi Petraloisium faciebat, eique plena cum fiducia Antiphonarium Romanum ac Graduale demandaverat emendandum; iure merito eapropter validisque argumentis suffulta Praenestinum nostrum patrem ac fundatorem iugiter Academia salutavit. Faxit Deus ut tandem omnino certis irrefragabilibusque argumentis hanc summam laudem comprobetur ei, qui Homerus musicae fuit, cantus Patriarcha, Bonarrotius artis ac melodiae princeps.

Eiusmodi nominibus scriptores non pauci ipsum decorant, inter quos Bourney, Adami, Baini et Castelar. Imo in tractatu quocumque pulcherrimae huius inter ingenuas artes, Praenestinum nostrum summis laudibus ornatum invenimus, eiusque admirandas poliphonias ad coelum usque sublatas. Arroges veras has laudes ipsi a sapientibus largiri, qui persuasum habent eiusdem opera inter alia quaecumque longe excellere. Haec autem opera monimentum sunt, quod exegit aere perennius: caussa sunt, quae gratos animos omnium divinam hanc musicae artem excolentium, ipsi fortiter devincire debet, ac fons indeficiens, ex quo haurire omnibus datum est venustatem, dulcedinem, simplicitatem, aeque ac prorsus mirum nexum et harmoniae mirabilem effectum. Tot autem artis virtutes in tanti viri partibus ingenii reperiere periti, ut iure merito ipsa coaequare ausi fuerint Santii Transfigurationi, Bonarrotii Moysi, nec non et Mantuani Georgicis Bucolicisque sicuti et Venusini ac Sapphus odis. Et re-

vera mirificus vir ille Petraloisius noster fuit, qui ad summam deduxit virtutem musices artem, praesertim ecclesiasticum cantum significationem reddens: illa tamen significatione tam sanctitati catholici cultus, ac sacrarum caeremoniarum maiestati convenienti. In incunabulis ipse musicam repererat male denutritam et pessime sustentatam ab exteris magistris, sed cum filiam Dei eam cognovisset, accepit in suam, aluitque, ac veluti bonarum artium reginam vestitu deaurato circumdedit.

Inter nostrates enim ipse artem illam reddidit vitae, quae conformior humanis et divina, potius quam humana, dici debet cum Angelorum sit, incessabili voce exercituum Deo laudes decantare.

In aurea aetate Leonis Papae X inclita Italorum ingenia caeteras ingenuas artes pristino reddiderant splendori, longa iam tempestate neglectas; musicae tantum integrum ostentare fascinum datum non fuit, quod exercet excultis in animis aeque ac in cultis. Imo algidus Protestantismus ad musicam quod attinet, iam iam praestabat Ecclesiae, quamquam ista caeteris ingenuis artibus longe ipsum antecederet. Sed en ex vetusta Praeneste novum fulgere sidus, mundo dicere natum, in Ecclesia solum catholica, in qua tantum divinus residet Spiritus lumenque emicat veritatis perenni fulgidoque splendore, liberales artes summa pertingere posse. Hinc laudes concinamus inclitas Petraloisio nostro, sacrarum melodiarum parenti, sublimium concentuum inventori, Angelo denique (ita loquendum est), qui e caelo harmonias miseris solamen attulit, harmonias inquam verius quam Orpheas moventes saxa.

Sed operae pretium ducimus de quibusdam ipsius operibus sermonem hic instituere, de iis maxime quae ipsius famam extulerunt ad astra. Ex earum incomparabili venustate ac mira sublimitate facile comprehendi potest, non immerito musicae principem fuisse appellatum. Grandium virorum est, sublime aliquod opus excogitare ac tota mente totisque viribus circa illud adlaborare, ita ut vere absolutissimum opus evadat. Nunc autem absolutissimum Praenestini opus, in quo in toto suo splendore divinae musices artis emicat venustas atque maiestas, Missa est Papae Marcelli nuncupata.

Ex innumeris scriptoribus, qui magnis laudibus stupendum hoc opus celebrarunt, Hieronymum Alexandrum Biaggi seligimus, qui in sua oratione « *Della Musica religiosa e delle questioni inerenti* (*Milano per Lucca 1856*) », hanc Missam vocat: « *Un lavoro in cui è profuso un tesoro di vergini ispirazioni, ed insieme una sapienza musicale che mai la più profonda; in cui il sentimento religioso esala purissimo da ogni nota, ed ogni nota è, o la manifestazione, o la sanzione d'una sana regola dell'arte* ».

Missa haec sex vocibus canenda, ad quatuor voces magister Franciscus Anerius redegit. Et quamquam musicalia Petraloisii opera omnia irresistibile in animis nostris fascinum exerceant, musica nihilominus, de qua impraesentiarum, absolute mentes in Deum elevat, et corda demulcet fortiter atque suaviter. Haecque est musica, qua templum Dei resonantem cupiebat audire Divus Bernardus dum (*Epist. ad Guidonem Abb.*) aiebat: « Cantus si fuerit, plenus sit gravitate, nec

lasciviam resonet, nec rusticitatem; sic suavis ut non sit levis; sic mulceat aures ut moveat corda; tristitiam levet, iram mitiget, sensum litterae non evacuet sed foecundet ».

Et revera cantus huiusmodi melodia, istiusmodi Missae harmonia Congregationem octo Cardinalium, a Pio IV Pontifice motu proprio die 2 Augusti 1864 pro reformatione ecclesiastici cantus ad normas Sacrosancti Concilii Tridentini creatam, retinuit, ne musica penitus ab Ecclesia Dei exularet. Inter huius Congregationis membra adnumerabantur celeberrimi Vitellotius Vitelli et S. Carolus Borromaeus Pontificis nepos. Hi vero summae Petroloisii peritiae compositiones commiserunt Missarum, quae Domus Dei sanctitati divinique cultus maiestati apprime responderent, nec ullo pacto lasciviam neutiquam minimam redolerent, neque verba a cantu suffocata manerent.

(Continuabitur). IOSEPH CASCIOLI.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1894.

S. RITUUM CONGREGATIO

GNESNEN.

Rmus Dnus Antonius Andreziewiez Episcopus titul. Philomelien., Suffraganeus Gnesnen., Sacrorum Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. In aliquot Ecclesiis ipsius Dioeceseos altaria maiora ceu fixa consecrata fuere, quorum mensa seu integra tabula lapidea nulla ex parte coniungitur structurae lateritiae inferiori. Quaeritur an eiusmodi altarium consecratio fuerit valida?

Dubium II. In quadam Ecclesia consecratur altare fixum maius, cuius mensa erat ex lapide adeo fragili, ut in actu consecrationis, quarta eius pars sit abrupta et divisa. Tum caeremoniae omnes reliquae perfectae sunt, et unctiones in quatuor angulis potioris partis, coniunctim cum stipite. Quaeritur num valide altare consecratum fuerit?

Dubium III. Quando in consecrationibus Ecclesiarum, quae fiunt diebus Dominicis, Episcopus consecrator ipsum eumdem diem adsignat ad anniversarium Dedicationis recolendum, quaeritur an Dominica illa, quae ex. gr. erit aliqua post Pascha, vel post Pentecosten, adsignari possit pro die mensis, in quam incidit Dominica peractae consecrationis?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad primum: *Affirmative*. Indulget autem Rm̃o Episcopo de speciali gratia, ut altari, iam consecrato, addantur stipites lapidei, atque unctiones praescriptae in angulis private iterentur ut mensa cum iisdem stipitibus coniungatur.

Ad secundum: *Negative*.

Ad tertium: *Affirmative*.

Atque ita rescripsit et indulsit die 8 Iunii 1894.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.
Vincentius Nussi *Secretarius*.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 6, pag. 336.*)

VI.

DE BENEDICTIONE DOMORUM IN SABBATO SANCTO.

1. Ex quatuor benedictionibus, quae in Rituali leguntur, prima tantum adhibenda est pro Sabbato Sancto, uti ex eodem codice patet.

2. Domorum benedictio, si tempus non sufficiat in Sabbato Sancto, anticipari non debet, sed postici-

pari infra octavam Paschae *(Isclana, 20 Nov. 1885, ad II)*.

3. Orationes peculiaribus pro rebus comestibilibus, quae in Rituali Romano habentur, addi possunt in huiusmodi benedictione; et inter esculenta etiam potulenta haberi posse, nil vetat, ut omnia benedictionem accipiant.

4. Benedictio domorum hoc in Sabbato est ita parochorum propria, ut aliis Sacerdotibus nonnisi de illius facultate liceat.

VII.

DE BENEDICTIONE CINERUM, CANDELARUM ET PALMARUM.

1. Benedictio Cinerum cum precibus quae sunt in Missali, potest fieri etiam separatim a Missa, data rationabili causa; licet in collegialibus Ecclesiis consueto ritu Cinerum benedictio nunquam omitti possit immediate ante Missam conventualem.

2. Si Candelae extra diem Purificationis Deiparae sint benedicendae, benedictio adhibetur peculiaris, quae in Rituali Romano habetur.

3. Benedictio Cinerum, Candelarum et Palmarum in relativis diebus est praeceptiva in Ecclesiis collegialibus, in aliis Ecclesiis est libera, sed non prohibita *(3 Apr. 1894)*.

VIII.

DE BENEDICTIONE SUPER POPULOS ET AGROS.

1. Hac super benedictione animadvertendum primo, eam, uti ex ipsomet titulo patet, ritui praeposito, a

nemine posse adhiberi, nisi ex apostolicae Sedis Indulto.

2. Nonnisi populo in communi eam posse dari, qui poenas ecclesiasticas incurrit, et absolvendus est, sicut et agris, qui benedicendi sunt ratione interdicti, cui subiecti fuerant.

IX.

DE BENEDICTIONE PEREGRINORUM.

1. Huiusmodi benedictio optime impertiri potest quibuscumque, qui ex devotione ad aliquod sanctuarium perrecturi sunt, puta ad Domini sepulchrum in Ierusalem, Romam ad limina Apostolorum etc.

2. Eodem iure haec benedictio potest impertiri Romam profecturis in obsequium et venerationem Romani Pontificis.

3. Missa ante benedictionem fieri potest votiva, si ritus permittat: secus in Missa de die recitatur Oratio pro peregrinantibus.

4. Benedictio pro peregrinantibus inter reservatas Episcopo non recensetur.

X.

DE BENEDICTIONE IN ARTICULO MORTIS.

1. Huiusce benedictionis natura eiusmodi est, ut in solo ac vero articulo mortis lucrifieri possit. Eius autem finis, ut statim post mortem aeterna beatitudo obtineri valeat.

2. Peculiaris, pro ea concedenda, facultas requiritur: quae vel mediate vel immediate, semper a Summo Pontifice dimanat.

3. Servanda, quoad ritum et formulam, quae Summus Pontifex praescribit; si excipias proxime imminens periculum mortis, tunc enim statim impertienda est benedictio.

4. In infirmo requiritur status gratiae, pium opus aliquod agendum, si praescribatur: denique invocatio, mente saltem, SS. Iesu nominis.

5. Pluries nequit concedi haec benedictio in eodem mortis articulo. Si infirmus tamen pluribus sit piis Consociationibus adscriptus, Romae et alibi praxis viget ut a quovis earumdem Moderatore haec benedictio impartiatur: utrum nihilominus singulae benedictiones sint validae dubitari potest. Quidquid sit, S. R. C. docet, nonnisi semel plenariam Indulgentiam posse ab infirmo lucrifieri (*S. C. Ind. Dictionis Belgicae, 5 Febr. 1841, n. 362*).

CAPUT II.

DE PROCESSIONIBUS.

§ 1.

DE PROCESSIONIBUS IN GENERE.

Quaeres 1. Quid sit processio liturgica?

Resp. Cum cl. Quarti definiri potest haec processio: Publica supplicatio facta Deo a communi coetu fidelium, certo cum ordine disposito, et procedente e loco sacro in sacrum. Prima pars veluti genus constituit, altera differentias, per quas processio liturgica ab aliis quibuscumque sacris actibus differt.

Quaeres 2. Quotuplex sit processio?

Resp. Multiplex esse potest ex variis respectibus, sub quibus processiones considerantur. Si ratione finis, aliae sunt pro gratiis Deo vel Sanctis agendis ob accepta beneficia, aliae ad aliquid impetrandum, aliae in Dei vel Sanctorum triumphum, etc. Si ratione causae, aliae institutae sunt ab Ecclesia, aliae ab Episcopo indicuntur etc. Ratione modi, aliae sunt festivae, aliae poenitentiales etc. etc. Ratione temporis, aliae ordinariae, aliae extraordinariae etc.

Quaeres 3. Quid de processionum origine et antiquitate censendum?

Resp. 1. Asseri iure potest, ab ipsa Synagoga ortum habuisse processiones in Christi Ecclesia. In libro enim II Esdrae processionem legimus adumbratam in instauratione Ierosolymae post captivitatem babilonicam: item in obsidione Ierico *(Lib. Iosue, cap. 6)*, atque in arcae foederis translatione e loco in locum (*Lib. II Reg. cap. 6*). Imo ipse Christus quoddam praebuit processionum exemplar, cum Ierusalem ascensurus, solemni ritu in sanctam civitatem ingressus fuit.

Resp. 2. Hinc processionum antiquitatem in Ecclesia Christi testantur vetustiores Patres, uti Augustinus (*Lib. II, de civit. Dei*), Ambrosius (*Epist. 57*), atque ipsemet Tertullianus (*Lib. II ad uxorem*). Proinde iudicandum in Ecclesia processiones habuisse locum statim ac libertate donata fuit.

Quaeres 4. De cuius auctoritate fieri processiones possint, aut debeant?

Resp. Quae processiones sunt ordinariae, quae nempe quotannis faciendae recurrunt, ut in Litaniis, seu maioribus seu minoribus, in festo Corporis Christi etc. cum sint veluti in iure liturgico praescriptae, de nul-

lius peculiari facultate fieri possunt, imo in collegialibus Ecclesiis debent. Quae vero extra ordinem sunt, nonnisi de loci Episcopi facultate fieri possunt, quod ex S. R. Congñis decretis pluribus firmatum est.

§ 2.

DE RITIBUS SERVANDIS IN PROCESSIONIBUS.

Quaeres 1. Quinam ordo in processionibus servandus circa personas?

Resp. Ordo circa personas servandus, de quo Rituale quidem silet, sed explicite Caeremoniale Episcoporum loquitur, incipit semper a minus dignis et desinit ad digniores. Hinc 1. praeeunt laici, si fuerint, lumina deferentes: 2. Sodalitates laicales: 3. Tertiarii Ordinum religiosorum: 4. Ordines Regulares: 5. Officiales, si adfuerint, Magistratus: 6. Clerus saecularis, super quem primas obtinet clerus Cathedralis: 7. Celebrans cum suis ministris: 8. Praelati, qui post Celebrantem incedunt, uti etiam Magistratus, si eiusmodi vigeat in locis consuetudo. Hos omnes binos et binos incedentes sequitur fidelium multitudo; et foeminae, quantum fieri potest, a viris separatae incedent.

Quaeres 2. Quinam tenendus ordo inter plures diversasque Familias, seu Regularium, seu eorum Tertiariorum, seu Confratrum?

Resp. Ex Constitutione Gregorii Papae XIII, *Exposcit*, 15 Iul. 1583, cui plura S. R. C. decreta inhaerent, certo constat, locorum consuetudines, ad praecedentiam quod pertinet, esse sequendas. Quod si ex consuetudine ius praecedentiae desumi nequeat, illa

Familia, seu ex Regularibus, seu Tertiariis, seu ex Confratribus, praecedentia gaudeat, quae in loco controversiae prius fundata est, non vero quae origine est antiquior. Sodalitas nihilominus SS. Sacramenti privilegio fruitur praecedentiae super reliquas in processione SS. Corporis Christi, uti ex pluribus S. R. Congñis decretis liquido patet.

Quaeres 3. Quanam ratione in processionibus indutae Sodalitates esse debeant?

Resp. Proprio relativae Sodalitatis habitum Confratres induere debent: sine quo, quocumque destituuntur, super alias, iure praecedentiae. Vetitum est, nisi cogente pluvia, iuxta Rituale Romanum pileum deferre.

Quaeres 4. Quid de habitu cleri in processionibus?

Resp. Generaliter Clerus, seu saecularis seu regularis, super talari veste superpelliceo induitur sine stola, et caput bireto cooperit. Monachi vero et Mendicantes proprio habitu sine superpelliceo incedunt. Dicitur, generaliter; sive quia in processione SS. Corporis Christi, clerici in sacris constituti habitum supra cottam respectivi ordinis deferre possunt sine tamen manipulo, et Canonici etiam pluviale: sive quia in dicta processione, ob reverentiam, capite prorsus detecto tenentur incedere.

Quaeres 5. Quinam ex clero uti valeant stola in processionibus?

Resp. Competit de iure stola in processionibus illi uni qui praeest, uti ex. gr. unicuique ex Cappellanis, qui Sodalitatibus praesunt. Ex indulto parochis conceditur, modo collegialiter incedant.

Quaeres 6. Quid circa crucem et vexilla animadvertendum?

Resp. 1. Crucis delatio in processionibus, tamquam triumphale signum, antiquissimi iuris est, uti apud Cyrillum videre est (*Lib. 6 contra Iulian.*), apud Sozomenum (*Lib. 1, cap. 18*), et apud alios plures vetustiores Scriptores.

Resp. 2. Una crux defertur a clero, sive per Subdiaconum in solemnioribus, sive in minus solemnibus processionibus per clericum superpelliceo indutum, inter duos acolythos; et sub illa totus clerus saecularis incedere debet, nisi ex consuetudine singuli cleri propriam possint erigere ac deferre crucem, sub qua tunc relativus clerus incedit. Ex Religionibus autem et Sodalitatibus, unaquaeque suam crucem defert, sub qua incedit.

Resp. 3. Proprium quoque est Sodalitatum vexilla deferre, super quibus animadvertendum, ea esse debere sacris imaginibus insignita, nec esse posse militari vel triangulari forma confecta. Praeterea mos est, ut quaedam Consociationes parva quoque vexilla, seu insignia in processionibus gestent. Super his attendendum: *a*) ea debere esse benedicta, ut in Ecclesias admitti solemniter possint pro processione, quippe quae ab Ecclesia exire, ad eamque reverti debet; *b*) ea nullum habere posse emblema reprobatione dignum, secus nec benedictionem accipiunt; *c*) aliquod Religionis signum praeseferant necessarium esse (*Decr. S. Off. 3 Sept. 1887*).

Quaeres 7. Quid super Reliquiis Sanctorum observandum, quae in processionibus deferri solent?

Resp. 1. Reliquia deferenda est a persona, quae dignior est in clero, qui proinde ultimo loco incedit. 2. Quorumcumque Sanctorum Reliquiae deferri in processione debent a Sacerdote, capite omnino detecto. 3. Sanctorum Reliquias numquam sub balda-

chino deferre licet: hic honor almo tantum Eucharistiae Sacramento debetur, et ex indulto etiam Christi Crucis Reliquiis, atque eius passionis instrumentis conceditur. 4. Nullam Sanctorum Reliquiam una simul cum Reliquia S. Crucis deferre permissum est, cum qui huic debetur, longe alius sit cultus Sanctis debitus.

Quaeres 8. Quid circa cantum in processionibus servandum?

Resp. Ea super cantu servanda, quae Rituale Romanum praescribit: hoc est, sicut in reliquis, ita in cantu, gravitas, modestia, ac devotio maxime custodiendae. Quae autem in singulis processionibus sint cantanda, ipsum Rituale docet: adeo ut cantiones profanae, sicut in Ecclesiis ita in processionibus sint omnino prohibitae. In aliis autem processionibus, quae variis de causis indici possunt ab Episcopis locorum, nonnisi psalmi, hymni, responsoria etc. canenda sunt, quae in libris liturgicis habentur.

(Continuabitur). Franciscus Stella P. C. M.

CENSURA LITURGICA

Equidem cum Decreta S. R. Congñis referuntur ab Ephemeridibus, eadem inspicienda et perpendenda sunt Decreta, ut reducantur in praxim, haud vero quae super iis eaedem disserere Ephemerides possunt. Nihilominus, in indicandis iis, quae in Decretis continentur, quod nonnullae solent Ephemerides Decretis praemittere, cavendum esse credimus ab erroribus, ne

lectores verbis circumducantur. Hinc necessarium hic ducimus breviori calamo animadvertere, Ephemeridem italicam, cui titulus *Avvisatore Ecclesiastico*, in primo num. mensis Apr. vertentis anni ad pag. 367, in praefatum incidisse errorem, quem lectoribus patefacere perutile iudicamus, ut veritatem in fonte solum hauriant ipsius Decreti.

Decreto namque Generali de festo S. Ioseph transferendo, d. d. 27 Iun. et d. 2 Iul. confirmato anno 1893, haec praemittit: « Sequenti Generali Decreto a S. R. Congñe statuitur: I. Si festum S. Ioseph, a die 19 Martii translatum, impediatur ab aliquo ex tribus festis solemnioribus localibus (Patrono, Titulo et Dedicatione), amandandum illud esse ad aliam diem, ex dictis tribus festis non impeditam. » — Lectores advertant, hoc esse partim veritati consonum; sed partim etiam falsitate laborare. Namque ut quod Ephemeris praefata praemittit, sit undequaque verum, supponere necesse est praedicta festa feriatione gaudere: quod, ut plurimum de Titulo, et saepe de Dedicatione, non comprobatur. Itaque haec veritas: S. Ioseph transferri nequit in diem feriatum, quo recoli debeat Patronus loci, vel Titulus, aut Dedicatio propriae Ecclesiae: quod si haec dies feriatione careat, tunc solum in eam S. Ioseph transferri potest ac debet. Prosequitur: « II. Idem intelligendum *pro simili incidentia* ad translationem quod attinet festi S. Ioannis Baptistae. » — Eadem animadversio facienda, de qua superius; festum nempe S. Ioannis Baptistae a singulis tribus praefatis festis, quando transfertur, impeditur, si cum feriatione recolantur, secus non impeditur. Addit deinde: « Idem etiam

intelligendum pro festo Annuntiationis. » Nos autem idem et animadvertimus quod supra: quod nisi fiat, quae Ephemeris asserit, falso laborant, uti ex Decreto aperte constat. Praeterea notandum, non agi de officio Annuntiationis, uti de S. Ioseph et de S. Ioanne comprobatur, sed de integro festo cum feriatione translato. Denique Ephemeris notat: « IV. Hoc Decreto vim legis amittunt Decretum Generale 11 Mart. 1690, Decretum in *Aquen.* 2 Sept. 1741 ad I, sicuti Decretum Generale 25 Mart. 1817 ad I et II, et Decretum in *Romana* ad II, 23 Aug. 1890 ». Super quibus opportunum quoque est sequentia animadvertere. Primum et alterum Decretum vim legis amittere verum est, opponuntur enim ultimo recentiori, quod ab initio citavimus: si diem inscriptum excipias minus exactum, cum non secunda, sed decima sexta die Septembris sit. Idem sentias de Tertio Decreto Gen. d. d. 25 Mart. 1817 ex eadem mox dicta ratione. Ad quartum quod spectat, seu Decretum in *Romana*, animadvertimus, ipsum nullam vim legis amittere, sicut alia; eo quod disponit, festum Annuntiationis Deiparae, quando die 25 Mart. recolitur, non gaudere praelatione super festis duplicibus primae classis. Hoc autem, dato etiam antea non fuisse certum, impraesentiarum vi Decreti indubium est: consequenter et quod hic Ephemeris super hoc Decreto affirmat, falso laborat.

Nescimus, an enunciata, quae censura notavimus, ab Ephemeride *Avvisatore Ecclesiastico* accepta sint a nostris Ephemeridibus liturgicis, an ab aliis. Namque dies inscripta Decreti *Aquen.* in illis eadem est, nempe secunda Septembris,

quod ex errore dictum fuit, non vero exacta, seu decima sexta eiusdem mensis. Insuper et nos in iisdem Ephemeridibus notavimus, praefata tria Decreta vim suam post recentius, amisisse. Verum ad Decretum quod spectat in *Romana* nos dicere tantum contenti fuimus, ipsum *non amplius habere locum*, quod vim legis amisisse non significat. Voluimus tantum innuere, post ultimum Decretum, posse illud non considerari; sive quia alia Decreta citat, quae expungenda sunt, recentiori enim contradicunt: sive quia, ultimo evulgato Decreto, quaesitum in *Romana* propositum vix alicuius momenti apparet. Sane, obiecti quaesiti est, utrum Annuntiatio in die sua, nempe 25 Martii, praeferenda nec ne sit duplicibus primae classis, eo quod iisdem duplicibus primae classis praefertur in die translata, si tamen festum cum ipsa feriatione transferatur? Responsum vero fuit: Negative. Iam vero cum, post decretum ultimum, non semper ratio allata comprobetur, sed tantum quando occurrit cum alio festo sine feriatione celebrando; iam patet, praelationem Annuntiationi tributa in die translata ex privilegio esse, quod in die sua, nempe 25 Martii, eidem festo non competit.

Utcumque cetero se negotium habeat, optandum profecto est, ut cum ex Ephemeridibus, sint nostrae, sint alienae, aliquid transcribitur, vel proprio etiam ingenio ea breviter referuntur, vel praemittuntur, quae in illis continentur, perspicuitas et certitudo non desit, ne in errorem lectores inducantur. Consultius secus foret, nil, salvo titulo, Decretis praemittere: ut si abre intelligantur, error

ipsis lectoribus, haud Ephemeridum Moderatoribus, attribui possit.

Similem errorem eodem in numero eadem Ephemeris admisit in praecipua referenda parte Brevis Pontificii de Canonicis honorariis, id est in iis vertendis, in idioma italicum, quae eorumdem Canonicorum ad honorem numerum respiciunt. Nam Latina verba « Canonici ad honorem.... numero sint tertia parte minores etc. » interpretatur: « I Canonici onorarii debbono essere in numero minore della terza parte etc. » quod falsum est. Haec veritas, uti alibi dictum fuit: Canonici ad honorem non possunt plures esse numero duabus partibus Canonicorum titularium etc.; ita enim honorarii erunt Canonicis titularibus, seu de numero, tertia parte, nempe *d'un terzo*, minores. Iuvet exemplum: Si Canonici de numero essent 30, honorarii plures quam viginti esse non possent; cum enim num. 30 in tres partes divisus det 10, si Canonici honorarii sint viginti, erunt tertia parte minores quam titulares, qui sunt numero 30. Hic est sensus Brevis apostolici.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE ALMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

VII.

Pluribus iam ab annis in plerisque Civitatis cuiusdam Ecclesiis id in more positum est, ut si quando in Altari minori sive stabili sive temporaneo, aliquod festum celebrandum sit, in illo amovibile tabernacu-

lum disponatur in quo SS. Sacramentum, e suo ordinario altari semotum, ab initio novenarii vel triduanae functionis collocatur, ut pietati fidelium ibidem communicare cupientium fiat satis, interim aliquando altera pixide remanente in tabernaculo, ubi ordinarie SS. Sacramentum asservari solet. Praeterea supra idem tabernaculum thronus (qui aliquando serico damasceno rubri coloris ornatur) disponitur, in quo etiam Capsa cum Reliquia Sancti de quo agitur novenarium aut festum, vel quotidie vel die tantum sed integra festi, ante Expositionem SS. Sacramenti fidelium venerationi proponitur; ad cuius pedem parva Crux cum imagine Crucifixi sistitur tempore celebrationis Missarum.

Alias vero SS. Sacramentum in omnibus quidem diebus, sive novenarii sive triduanae precis, e suo ordinario altari defertur initio functionis: ea tamen expleta, vel ab ipso Sacerdote benedicente, vel ab alio, post huius discessum ab altari, idem Sacramentum reportatur in suum locum; attamen rursus cum eo comitanti populo benedicitur antequam in tabernaculo recondatur. Huiusmodi consuetudines Sacerdos quidam secum considerans, non uno tantum titulo ab legibus Liturgicis discrepare arbitratur: verumtamen satius ducit cum Magistro Caeremoniarum Apostolicarum de iisdem sermonem instituere, ab eo exquirens:

1. *Num liceat in eadem Ecclesia SS. Sacramentum in duobus altaribus semper vel saltem ad tempus eodem tempore asservari: vel aliquoties infra annum hac illac pro lubito tabernaculum cum Augustissimo Sacramento collocare?*

2. *Estne Rubricis consonum, ut throni dorsum contegatur vel ornetur serico damasceno vel simili, rubri coloris; in eoque exponatur quaecumque Reliquia sive Domini nostri, sive B. Virginis vel Sanctorum?*

3. *Crux, de qua in casu, sufficitne pro Missae Sacrificio, inspectis Rubricis Missalis ac decretis S. R. C.?*

4. *Quid dicendum de secunda benedictione, nec non de consuetudinibus in casu expositis?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Dominici Spolverini ex alumnis Pontif. Seminarii Romani habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 26 Aprilis 1893: acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Philippum Mariam Canon. Difava.

I. Inquirit prima petitio, num liceat in eadem Ecclesia SS. Sacramentum in duobus altaribus semper, vel saltem ad tempus eodem tempore asservari: vel aliquoties intra annum hac illac pro lubito tabernaculum cum Augustissimo Sacramento collocare.

Neminem profecto latere potest quanta observantia quantoque studio, iam inde ab initio augustissimum altaris Sacramentum fideles colerent. Ecclesia eapropter, piis fidelium desideriis suffragandi causa, quum se in libertatem vindicavit, maiestatemque suorum rituum ostentare potuit, caelestem illum panem fortium, qui iam tot martyres fecerat, in templis asservari permisit. Hinc etiam facile intellectu est, quam non immerito ab ipso Religionis initio huic incomparabili amoris Sacramento, nobilissimum altarium, Ecclesiaeque princeps assignaretur. Ideoque S. Carolus Borromaeus, Ecclesiae legum fidelis interpres, ac liturgicarum traditionum constans observator, statuit: " Episcopus diligentissime curet, ut in cathedrali, collegiatis, parochialibus et aliis quibusve Ecclesiis, ubi Sacramentum Eucharistiae custodiri solet vel de-

bet, in maiori altari collocetur, nisi necessaria vel gravi de causa aliud ei videatur (*Instruct. P. IV Actor. Eccl. Mediolan. Quae pertinent ad Sacramentum Eucharistiae*) „. Ast progressu temporis accidit, ut alicuius ex beatis caelicolis, in cuius honorem unum ex minoribus altaribus dedicatum erat, die festo redeunte, mos invaluerit praedictum in altare Eucharistiam transferendi, tum ad maiorem solemnitatem, tum etiam ad pio fidelium voto faciendum satis, eucharisticae mensae participandi in eodem altari illius Sancti. Et ita in duobus altaribus alicubi Eucharistia asservari incoepta est. Verum talis consuetudo Ecclesiae menti nec non et legibus adversatur. Et revera, sermonem nostrum perstringentes, maioris perspicuitatis gratia, hisce quatuor quaesitis, videamus: 1.° Licetne Sacramentum asservare duobus in altaribus eodem tempore et perpetuo? 2.° Licetne idem facere ad tempus, verbi gratia ad tres dies, ad novem? 3.° Licetne saltem idem facere tempore tantum alicuius sacrae functionis, verbi gratia benedictionis etc.? 4.° Licitum ne est Sanctissimum de altari in altarem transportare?

Ad primum quod attinet, sive Rituale interrogemus sive Caeremoniale, alte silent, et de Eucharistia duobus in altaribus asservata vel asservanda ne verbum quidem. Pari modo Pontificiae Constitutiones negotium hoc silentio praetereunt: ita verbi gratia Gregorius XIII anno 1573 petentibus in quo altari Sacramentum asservandum, respondit: " Vel in medio altaris maioris, vel in alio commodiori „. Eodem loquendi modo permultae aliae Constitutiones utuntur. Rubricae e contra de uno tantum tabernaculo loquuntur in uno solum altari collocando, Eucharistiae asservandae gratia. Concludere eapropter licebit, consue-

tudinem, de qua in primo quaesito, liturgicis non inniti codicibus, illicitam ideoque praedicandam. Praeterea observandum est, maximam circumspectionem ac prudentiam in iis omnibus, quae SS. Eucharistiae Sacramentum tangunt, iugiter Ecclesiam adhibuisse. Quamquam enim priorum saeculorum fidelibus Eucharistiam domi asservare liceret, fervore tamen in posterum refrigescente, hunc usum abrogavit Ecclesia in Concilio Caesaraugustano II (*can. 3*), in templis tantum dictam asservationem permittens. Imo cum Ecclesiarum numerus in infinitum, ut ita dicam, augeri incoepit, angustioribus limitibus talem facultatem coarctavit; ita ut nedum in Oratoriis verum et in Ecclesiis, Cathedralibus tantum, Collegiatis et Parochialibus exceptis, Sacramentum asservari variis decretis prohibuerit: " SS. Eucharistiae Sacramentum conservandum est in qualibet Parochia: extra Parochiales Ecclesias non conceditur retineri assidue Eucharistia (*S. Cong. Episc. et Regul. 15 Ianuar. 1610*) „.

Et in posterum, cum solemnes expositiones SS. Sacramenti invalescere coeperunt, S. R. Congregatio decrevit: " Eucharistia non est singulis diebus exponenda super altari, sed in quibusdam tantum solemnitatibus (*4 Martii 1606 in Placentina Provinciae Castellanae*) „. Et in Concilio Coloniensi (*17 Maii 1860*) sancitum est: " Usus ille frequentior SS. Sacramentum exponendi in comprecationibus aliisque pietatis officiis, abolendus est ab Episcopis Ordinariis et accuratius disponendus „. Nunc autem si aliquantum difficilem Ecclesia se praebuit in usu frequentiori huius augustissimi inter Sacramenta, eiusdem Ecclesiae dicendum est repugnare menti omne, quod veluti usuale et commune hocce Sacramentum reddere posset. Probe

enim rescit eadem Ecclesia, humanum esse, ut res quaecumque usu, praesertim si inordinato, vilescant.

Sed asservatio continuata augustissimi Sacramenti duobus in altaribus eodem tempore facta latum pandit cursum praedicto incommodo. Consuetudo ergo, de qua in primo quaesito, aperte Ecclesiae mentem adversatur. Arroges S. R. Congregationis decreta haud pauca non deesse, quibus sententia nostra roboratur atque fulcitur. Ita, ut alia omittam, in una *Lisbonen.* " Prior et Beneficiati et Parochiani de Centuel Lisbonensis Dioecesis asserunt initam fuisse concordiam inter ipsos et quamdam personam, quae construxerat capellam, ut in ea asservaretur SS. Sacramentum, quod prius in altari maiori detinebatur; nuncque petunt ut non solum in dicta capella, sed etiam in altari maiore liceat illud asservare ": S. Congregatio respondit: " *Nihil* " (*18 Iulii 1597*). Idem statutum reperimus in decreto S. Congregationis Episcop. et Regul. (*13 Octobr. 1620*), in quo edicitur: " SS. Eucharistiae Sacramentum asservandum esse uno tantum in loco cuiuscumque Ecclesiae, in qua custodiri debet, potest vel solet ". Tantique fecit hanc disciplinam Ecclesia, ut nedum in casu unionis Cathedralis et Parochialis Ecclesiae ab ipsa discedere voluit. " Propositum fuit, ita in quodam decreto S. R. Congregationis, SS. Eucharistiae Sacramentum continuo retineri in eadem Ecclesia super duplice altari, nimirum super altari chori et super alio ratione parochiae eidem cathedrali unitae ". Et S. eadem Congregatio respondit: " SS. Sacramentum servandum esse in uno tantum altari designandum ab Episcopo (*Augustae Praetoriae 21 Iulii 1696 ad 3*) ". Illicitum est eapropter SS. Sacramentum conservare perpetuo et eodem tempore duobus in altaribus.

Sed illicita pariter dicenda ne est asservatio Sacramenti, facta quidem in duobus altaribus, verum ad tempus tantum; verbi gratia tempore novenarii vel triduanae functionis. Hocce super negotio liturgici discrepant. S. Carolus in suis Instructionibus (*Conc. Prov. IV p. 2ª*) vult, ut occasione magnae festivitatis et frequentis populi concursus, Parochus altaria duo seligat statuatque, Eucharistiae distribuendae gratia: " Altare unum pro maribus, alterum pro foeminis constitue ubi communicent „. Et Cavalerius: " Ad unum cuiuscumque Ecclesiae locum quod attinet, in quo, iuxta decreta, tantum Eucharistia conservari debet. Sermo ibi est de asservatione continuata, quae quidem ad fines omnes, ob quos conservatur, sufficit: non de temporanea, quae in alio etiam altari quandoque congruis de causis optime haberi potest, puta ad altare in quo facienda est expositio, vel facta fuit repositio, donec consumatur, aut si ibi Sacramentum deponatur, causa illud administrandi cum maiore commoditate tempore maximi concursus, aut tempore, quo impeditum esse debet altare, in quo assidue custoditur (*Tom. 4, c. 6 dec. VIII n. 3*) „. Ex adverso praeter liturgicos auctores decisiones extant S. R. Congregationis. Et sane, in quodam decreto (16 April. 1861) edicitur: " Consuetudo huiusmodi est omnino irrationabilis, nullo fulcitur vel cultus splendore, vel fidelium commodo, vel caeremoniarum utilitate „. Et in altero: " Non ferri potest consuetudo servandi SS. Sacramentum in duobus vel tribus altaribus, et numquam occasione novendialis aut alicuius festivitatis transferendi etiam in aliud altare, diversum ab illis ubi ordinarie asservatur (*In una Sancti Iacobi de Chile 16 Mart. 1861 ad XIII*) „. Patet eapropter et in hoc altero casu conservationem Eucha-

ristiae in pluribus altaribus illicitam evadere. Ad tertium dubium quod in primo quaesito nobis proposuimus, brevissimo calamo respondentes, dicimus: solam et veram necessitatem permittere, ut SS. Sacramentum duobus in altaribus asservetur tempore tantum unius sacrae functionis, uti Vesperarum, benedictionis, solemnis Orationis quadraginta horarum etc.; et in hoc casu R. Congregationem ac Rubricas normas statuisse, quibus ritus et caeremoniae dirigendae sunt.

Ad ultimum tandem dubium quod spectat, videamus, num hac illac, alicuius sacrae functionis caussa, SS. Sacramentum transferre liceat.

Ecclesiae mens est, sicuti innuimus, ut Sacramentorum maximum in ornatiori atque nobiliori altari conservetur. Nihilominus haud quidem tam rigorose istud Ecclesiae votum accipiendum est, ut numquam liceat in alio altari tabernaculum collocare, etsi occasione triduanae functionis, vel alicuius novenarii. Re quidem vera si Rubricis innitamur, hanc consuetudinem ipsae non damnant. Quamquam enim de asservatione loquantur in elegantiori ac principaliori altari facienda, hoc tamen de continua, haud quidem de temporanea asservatione intelligendum venit; cum praescriptum Rubricarum tunc bene comprobetur, de generali regula, nempe, SS. Sacramentum in nobiliori altari conservari, quamquam infra annum interdum in aliud altare transferatur. Quod Rubrica districte et absolute prohibet, conservatio est *eodem tempore* facta, in duobus vel pluribus altaribus. Cum eapropter comprobatur in uno tantum altari SS. Sacramentum collocari, nil impedit quominus in alio altari transferatur, data necessitate vel iusta causa, certis in circumstantiis. Hinc Borromaeus statuebat: " Episcopus diligentissime curet ut in cathedrali, collegiatis

et aliis quibusvis Ecclesiis, ubi S. Eucharistia custodiri solet, vel debet, in maiori altari collocetur, nisi necessaria vel gravi de causa aliud ei videatur (*Conc. Mediol. cap. Quae pertin. ad Sacr. Euch.*) „.

Ex quibus omnibus colligere licet, vera et iusta urgente caussa, Eucharistiam custodiri posse in altari alio ab illo, in quo de more Sacramentum asservatur. Cui sententiae communis etiam suffragatur Urbana praxis; saepissime enim Romae videre datum est, occasione novendialis alicuius vel etiam tridui aut Missae, in honorem B. Mariae V. celebratae aut S. Ioseph, vel alíus Sancti, Tabernaculum cum Venerabili, in altari in quo haec pietatis exercitia peraguntur, translatum.

II. Sed descendamus iam ad secundum quaesitum, quod sciscitatur, num sit Rubricis consonum ut throni dorsum contegatur vel ornetur serico damasceno vel simili, rubri colòris; in eoque exponatur quaecumque reliquia, sive Domini nostri, sive B. Mariae Virginis vel Sanctorum.

Examinantes imprimis primam, ex duabus in quibus dispescitur, partem huiusce quaesiti, colorem respicientem, quo Sacramenti thronum exornare licet, haec observamus. Paramentorum colorem Eucharistiae proprium album esse, manifeste ex Rubricis colligitur, cum apprime hic color mysticis, quibus Eucharistia plena est, significationibus respondeat. Hinc S. R. Congregatio: " In expositione et repositione SS. Sacramenti color albus est adhibendus (*Limana 27 Iunii 1868 ad 4.*) „. Imo et cum color sacrorum indumentorum alius est ab albo, ratione Officii, requiritur tamen ut, quantum fieri potest, color albus adhibeatur, verbi gratia in velo humerali, in pallio etc. Ita S. R. Congregatio (*Hispalen. 19 Dec. 1829*): " Pallium coloris

rubri retineri nequit in altari in quo exponitur SS. Sacramentum Dominica Pentecostes et duabus sequentibus feriis „. Ex quibus omnibus, uti quisque probe intelligit, concludere licet, a fortiori rubrum colorem minime convenire baldachino SS. Sacramenti. Sed explicite ad rem nostram Instructio Clementina: " Super dictum altare loco eminentiori sit Tabernaculum seu Thronum cum *Baldacchino* congruenti *coloris albi* „. Eapropter color rubeus in baldachino SS. Sacramenti aperte Rubricis repugnat.

Altera quaesiti pars expositionem respicit reliquiarum super altari, et praecise sub baldachino vel throno SS. Sacramenti. Etsi maximam et profundam venerationem erga Sanctorum reliquias Ecclesia iugiter professa sit, nusquam tamen baldachini honorem eisdem tribuit cum cultum a cultu discernere oporteat. Certe in confesso apud omnes est, venerationem omnem ac cultum quemcumque Sanctis exhibitum, numquam eorundem praeclaris meritis eximiisque virtutibus satis esse. Ast si hoc de Sanctis, quid de Sanctorum Sancto dicendum? Hinc ingenue humiliterque nobis fatendum, absolute impares nos esse condigna servitutis obsequia ipsis exhibere. Nihilominus cum quaedam servitutis obsequia, subiectionisque signa Deo rebusque divinis, necnon et Dei amicis nobis praestanda sint, necessario distinguamus oportet, quae Deo, et quae Sanctis convenire possunt. Nunc vero maximus cultus, quem exhibere valent homines Christo Iesu, est eiusdem Iesu Christi sub speciebus panis absconditi expositio in throno vel baldachino: ubi ad instar regis fidelium omnium venerationem obsequiumque expectat. Ideoque valde indecorum et indecens esset Sanctorum reliquias sub baldachino exponere, ne servus Domino aequiparetur; et ne christiana plebs in errorem indu-

catur, cultumque Deo debitum cum alio Sanctorum proprio abre confundat. Si vero thronus in altari positus sit, in quo de more SS. Sacramentum reconditum est, tunc sub eodem reliquiarum expositio manifeste Rubricis adversaretur. Hinc S. R. Congregatio, fidelissima et authentica Rubricarum interpres, dubio: " An toleranda vel eliminanda sit consuetudo, quae in dies invaluit, superimponendi Sanctorum reliquas piasque imagines Tabernaculo, in quo augustissimum Sacramentum asservatur, ita ut idem Tabernaculum pro basi inserviat „ respondit: " Assertam consuetudinem tamquam abusum eliminandum omnino esse (*Decr. Gen. 3 Apr. 1821*) „. At fortasse dubium aliquod exoriri posset circa reliquiam S. Crucis; num scilicet saltem ipsa exponi sub baldachino possit super Tabernaculo SS. Sacramentum reserante. Sed en eadem S. R. Congregatio, quae inquirentibus: " An hoc decretum (supra relatum 3 Apr. 1821) valeat etiam pro reliquiis S. Crucis vel alterius instrumenti Dominicae Passionis publicae venerationi expositi „ rescribendum censuit: " Affirmative (*Tridentina 12 Mart. 1836 ad. 1*).

Verum si haec S. Crucis expositio fiat quidem sub baldachino, sed non super Tabernaculo collocato, illicita ne pariter dicenda est? Sedulo hic distinguendum est ius strictum ab indulto. Si enim ad illud attendatur, videretur prohibita quaecumque expositio reliquiarum (etiam S. Crucis) sub baldachino facta. Quaesitum enim fuit apud S. R. Congregationem: " Num retineri possit consuetudo, cuius initii memoria non extat, exhibendi eidem S. Cruci eosdem externos actus cultus, qui SSmo Eucharistiae Sacramento exhibentur, praeter modum a Rubricis et Decretis S. R. C. praescriptum, vel ab iisdem sit abstinendum, eiusque cultum ad Rubricarum et Decretorum normam exi-

gendum sit „. Et S. R. Congregatio Emo Card. ab Auria respondit: " Si revera noscas consuetudinem esse immemorabilem, atque etiam praevideas ex immutatione facienda, ut Rubricis et Decretis satisfiat, nedum admirationem, sed scandalum in populo oriri, aut languorem in Religione erga praedictam S. Crucem induci posse, nihil innovari permitte (*S. Iacobi de Spatha 23 Aug. 1794*) „. Ex quibus verbis abunde patet, de iure baldachinum S. Cruci non competere, cum eidem indulgeatur tantum, quando inveterata imo immemorabilis consuetudo existat, quae si abrumpatur, nedum fidelium admirationem, sed scandalum atque languorem in Religionem parere valet.

Ast haec quidem, uti diximus, si ius strictum attendatur: nam ad indultum quod attinet, cum fere universalis evaserit consuetudo exponendi sub baldachino reliquias Domini, haec iamdudum a S. R. Congregatione fuit permissa. Quamquam enim expressis verbis ipsa non approbet usum deferendi hasce Domini reliquias sub baldachino hastis sustentato in piis supplicationibus, tolerat tamen; ideoque dicendum est ob identitatem rationis eamdem tolerare consuetudinem exponendi dictas reliquias sub baldachino ad instar throni confecto. Quod cetera firmatum scimus per Gen. Decretum d. d. 27 Maii 1826, statuens: " tolerari posse et permitti quod lignum SS. Crucis, aliaque Instrumenta Dominicae Passionis, peculiari horum attenta veneratione, habitaque ratione fere universalis consuetudinis, deferantur sub baldachino „.

III. In tertio quaesito inquiritur, num crux, de qua in casu, pro Missae Sacrificio sufficiat, inspectis Rubricis Missalis et decretis S. R. Congregationis. Cum neminem fugiat, sacrosanctum Missae sacrificium nihil aliud esse, quam illius renovationem, quod

Christus Dominus in crucis altari victima et Sacerdos Patri obtulit, profecto mirandum non est, si in altari in quo istud Sacrificium offertur, crux inter omnia emicare debeat. Eapropter antiquissimae institutionis est hic usus in Ecclesia Dei, sicuti ex Actis S. Martialis constat: qui, cum resciisset beatissimos Apostolos Petrum et Paulum glorioso et invicto martyrio occubuisse, Oratorium in eorumdem honorem extruxit, supra cuius aram crucem auream collocavit: quod in posterum Ecclesia confirmavit. Imo per Constitutionem Benedicti XIV docet: " Neminem lateat rem divinam confici non posse, nisi crux cum imagine crucifixi super altari constituatur (*Const. Accepimus 10 Iuli 1746*) „. Sed pro re nostra de magnitudine huiusce crucis praesertim dicendum est.

Unusquisque, absque dubio, ex seipso intelligere valet, qualis haec crux esse debeat, si mente consideret, crucem nil aliud esse quam gloriosum vexillum invictissimi ducis nostri Iesu Christi, in templo, veluti in aula regia, explicatum. Merito eapropter, ut diximus, inter omnia super altari emicare debet. Hinc Caeremoniale Episcoporum: " Crux sit . . . praealta inter candelabra, ita ut pes crucis aequet altitudinem vicinorum candelabrorum, et crux ipsa tota candelabris superemineat (*Lib. I c. 12, n. 11*) „. Cruci ergo in altari princeps locus competere debet. Ea enim Ecclesiae mens est, ait Emus Bona, de usu crucifixi, ut: " ab aspectu Crucis Passio Christi in memoriam revocetur, cuius passionis viva imago et repraesentatio Missa est „. Quisque eapropter probe intelligit quantum deplorandus sit usus superimponendi ciborio vel minori altaris tabulae, vulgo *sottoquadro,* parvulam, ne dicam microscopicam, crucem; licet hic usus seu melius abusus hodie magis quam antea

satis vigeat. Hinc Benedictus XIV ad rem nostram: " Non sufficit in Missa parvus Crucifixus (vel superadditus minori tabulae, quae in quibusdam altaribus adiungi solet, vel ciborio superimpositus vel aliter locatus) adeo exiguus, ut neque Celebrantis oculis facile occurrat, neque ab ullo alio ferme distingui possit, nisi hic diligenter de eo perscrutetur; sed inter candelabra, ut Celebrans et populus Missae praesens ipsum facile et commode intueatur (*Const.* Accepimus) „. Et S. R. Congregatio: " Crux parva cum imagine crucifixi posita super Tabernaculum, in quo asservatur SSm̄um in altari, non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia in medio candelabrorum (*Rossanen. 16 Iunii 1663 ad 1*) „. Praeterea Missalis Rubrica absolute crucem exigit super altari in medio candelabrorum: " Super altare collocetur crux in medio (*Rit. cel. Miss. Tit. XX*) „. Et Pontificale Romanum dum de Episcopi consecratione verba facit, habet: " In capella minori quae debet esse distincta, addatur altare cum cruce et duobus candelabris „. Ex quibus expressionibus manifestum fit, crucem candelabrorum magnitudinem saltem aequare debere, utpote inter ipsa collocandam. Sed si aliquando e medio candelabrorum amovenda esset, puta ad thronum vel baldachinum ibidem collocandum, quomodo se gerere debet Sacerdos ut Rubricis decretisque faciat satis? En responsum huic difficultati ipsius S. Congregationis: " Si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit (crux) inter candelabra, alia, tempore sacrificii apte apponatur inferius, sed visibilis tam celebranti quam populo (*Dubiorum 17 Febr. 1822 ad 8*) „. Improbandus ergo et eliminandus abusus quarumdam Ecclesiarum collocandi super altare tam parvum crucifixum, ut commode neque a Celebrante neque a

fidelibus videri possit, cum talis, ex Rubricarum praescripto, esse debeat, ut statim intuentium oculis appareat, memoriamque Passionis Dominicae in mentem revocet.

IV. In ultimo tandem quaesito de secunda inquiritur benedictione, nec non de consuetudinibus in casu expositis.

Post ea, quae de Ecclesiae sobrietate, ut ita dicam, circa omnia quae augustissimi huius Sacramenti usum spectant, loquuti sumus, difficile non erit huic novissimo satisfacere quaesito. Praesertim vero si addatur, Ecclesiam non probare frequentem 40 horarum expositionem; quae imo fieri non valet absque Ordinarii venia. Illico namque apparet quid de tam frequenti benedictione, esto cum pixide, iudicandum sit. Etenim benedictiones istae, brevi, uti evenire solet, in infinitum, ut ita loquar, multiplicarentur in dies, nulla, vel tantum brevi interiecta morula inter unam et alteram; et ita maxima illa fidelium veneratio erga augustissimum hoc Sacramentum, quae Ecclesiae decus ornamentumque est, progressu temporis evanescere inciperet. Eapropter S. R. Congregatio in una *Limburgen.* sciscitantibus, num liceret populo cum Venerabili benedicere in initio et in fine Missae coram ipso exposito celebratae, rescribendum censuit: " Non esse improbandum usum exponendi Sanctissimum praenotatis diebus, dummodo tamen unica benedictio tribuatur in fine Missae (*Ultraiecten. 11 Iul. 1857* et *Congregationis Cleric. excalceat. SS. Crucis et Passion. 26 Mart. 1859*) „. Hinc patet Benedictionem cum Sanctissimo dari non posse iterum ad altare Tabernaculi, quando ab altari expositionis, data benedictione, ad illud refertur ut recondatur. Hucusque exposita ergo perstringentes, et

ad propositum casum applicantes, improbandum autumamus:

1° Usum illarum Ecclesiarum, quae in duplici altari augustissimum Sacramentum continuo asservant piis communicantium votis satisfaciendi causa, cum Ecclesiae menti nec non et S. R. Congregationis decretis adversetur:

2° Usum cooperiendi baldachinum damasceno rubei coloris, cum Rubrica album exigat:

3° Usum exponendi Sanctorum reliquias sub baldachino, cum facile confundi possit cultus Deo debitus cum alio Sanctorum proprio:

4° Usum collocandi super altari tam parvam crucem, quae vix oculis attente intuentium appareat:

5° Usum demum iterum populo benedicendi, quum Sacramentum in suo altari recondendum est, utpote manifeste Rubricis contrarium.

DE VITA ET OPERIBUS
IOANNIS PETRALOISII
PRAENESTINI
MUSICAE PRINCIPIS

(*Contin. V. num. 6, pag. 384*)

Demandatum sibi arduum negotium alacri animo Praenestinus noster suscepit. Probe enim sciebat in suis manibus sacras melodias positas esse. Vel enim Cardinalium Commissioni animum

explebat, et tunc etiam in posterum musica templum Dei resonantem datum fuisset audire: vel infelicem negotium habebat exitum, et tunc, bonarum artium reginae, divinae musices arti, ab Ecclesiis exulandum, et forsan in perpetuum, erat. Quanta ergo grata memoria Petraloisii beneficium prosequi debent fideles, postquam ipse e certamine victor discessit! In Deo igitur magis, quam in seipso fiduciam habens, opus strenue aggressus est, et bene prospereque ipsi successit. Tres Missas incomparabili illo ingenio ac prorsus mirabili peritia, ipsi propria, elucubravit, quae die 26 Aprilis 1565 in palatio Card. Vitellii coram praedicta purpuratorum patrum commissione primum cantatae fuere. Duae ex ipsis perplacuerunt Cardinalibus; sed quae pulchritudine et arte mirabili ceteras antecessit, illa fuit a Marcello Papa nomen postea adscita. Hisce ergo prorsus divinis harmoniis degustatis, decreverunt praefati Cardinales, retinendum in Ecclesia Dei figuratum cantum; efformatum enim ad normam illius a Petraloisio propositi, non poterat quin uberrimos afferret fructus, et splendorem maiestatemque catholici cultus amplificaret. Multum eapropter ex hac parte Praenestino nostro debet Ecclesia.

Et revera in Missa Marcelli omnes musicales virtutes reperiuntur: in ea harmoniae gravitas et melodiae suavitas: mirabilis nexus et venustas ac simplicitas: perspicuitas denique et facilis verborum intelligentia cum irresistibili quodam fascino coniuncta.

Sed antequam progrediamur, quidam nodus solvendus hic nobis est. Musicalium rerum scriptores non pauci, inter quos Adami, Gerbert, Li-

berati, Eximeno ac Berardi contendunt, praefatam Missam Petraloisium scripsisse, ut Marcellum II Pontificem deflecteret a figurato cantu abolendo. Alii e contra affirmant, suasione et consilio Cardinalis Pii Carpinei eam elucubrasse, et Concilii Tridentini patribus misisse, ut eos detineret ab emanatione decreti, musicam in sacris functionibus prohibentis. Verum in hac quaestione enucleanda, melius tutiusque arbitror sequendum Baini, qui multis validisque argumentis probat, de mandato S. Congregationis Cardinalium reformationi ecclesiastici cantus praepositae, Petraloisium Missam Marcelli elaborasse: ideoque haud veritati consonum, apud Tridentinos Patres musicae caussam ipsum perorasse. Hinc Cardinalis Pallavicinius, Concilii Tridentini historicus egregius, ne verbum quidem de hac novissima opinione. Praeterea Tridentinis Patribus opus non erant Praenestinianae compositiones ad musices causam amplectendam, maior enim ipsorum pars, et praesertim hispani, ad ipsam inclinabant.

Igitur Concilii Tridentini mens minime erat, limine Ecclesiae omnem musicam absolute pellendi; sed illam tantum, quae lasciviam redolebat, et templo Dei prorsus indigna erat. Et hoc modo duo loquuntur decreta *De reformatione*, quae in Sessionibus 22 et 24 emanata fuere.

Hisce ergo breviter delibatis de Petraloisii nostri opere principe, de ceteris eiusdem Petraloisii compositionibus aliquid, quamquam breviori calamo, dicamus oportet. Et ipsae enim pretiosissimae sunt margaritae inaestimabilis pretii, ac venustissimi flosculi suavissimo ac prorsus divino odore flagrantes. Nominavimus iam suaves et ad-

mirandas harmonias Lamentationum atque Improperiorum, quae tercentis ab annis placent adhuc vehementerque delectant, ac si prima vice auribus nostris personarent. Sed huiusmodi sunt naturae Praenestini opera omnia. Inter multas, quas elucubravit Missas (fere centum), speciali dignae sunt mentione quae nuncupantur: *Cum complerentur* — *Viri Galilaei* — *Assumpta est Maria* — *Quinti Toni* — *In te, Domine, speravi* — *Qual'è il più grande amor?* — *Ascendo ad Patrem meum* — *Tu es Petrus* — *Sacerdotes Domini.* — In ipsis enim talis poliphona expressio reperitur, tot tantaeque virtutes, ut nihil omnino adiungi vel demi in ipsis debeat, ut maximum sortiantur effectum. Exceptis namque primis tantum, quas edidit, Missis, quae Belgicam aliquantulum sapiunt scholam, ceterae perfecta sunt exemplaria, ex quibus omnes quotquot sunt musicae magistri abunde haurire possunt melodias, profunde sapientes alteque religiosas. Melodiae *Gloria*, iucunditatem vere divinam infundunt: *Kyrie* cantus, supplices tenerrimosque miserationis sensus expirat; confidentiae speique sensus exprimunt *Agnus Dei*, sicuti tristitiae ac doloris *Crucifixus*, et angelicos concentus harmoniae *Sanctus*. Sed quid dicam de celeberrimo carmine, Tudertino Iacoponio adscripto? Tres elucubravit Praenestinus noster *Stabat Mater:* quatuor vocibus primum canendum, duodecim alterum a choris tribus concinendum, tertium denique vocibus octo et choris duobus modulandum. Pulchrior tamen atque ex tribus perfectior ultimus est, qui eapropter peritorum admirationem iugiter concitavit, atque non immerito aliis celeberrimis summorum Rossini ac

Pergolesi aequiparatur. Tres enim isti magistri effecti, solemni illa, ut ita dicam, atque infinita anxietate, ac profundissimo illo et immenso dolore, quo tenerrimum Beatae Virginis cor saturatum fuit, tam summa arte doloris luctusque notas expresserunt, ut inaccessi aextimentur. De *Stabat Mater* a Praenestino elucubrato clarissimus Baini affirmare potuit, ipsum satis esse ad Petraloisii memoriam immortalem reddendam, atque ad ipsum decorandum nomine optime merito musicae principis.

Aliud Praenestini opus admirabilis perfectionis ac pulchritudinis hymni sunt, quos in variis solemnitatibus concinit Ecclesia, quosque Petraloisius Sixto V Pontifici nuncupavit. Quidam ex ipsis perrarae sunt venustatis, uti *Audi benigne Conditor*, et *Vexilla Regis prodeunt*. Inter pene innumera, quae edidit, motteta rapiunt atque obstupescunt, *Surge illuminare Ierusalem — Fratres ego enim accepi a Domino — Libera me, Domine, de morte aeterna — Sicut ovis ad occisionem ducetur;* nec non et reliqua quae ex Cantico Canticorum excerpsit, et Gregorio Papae XIII nuncupavit. Expeditiorem iucundioremque stylum, qualem nempe verborum sensus ac significatio exigebat, in huiusmodi compositionibus Praenestinus adhibuit, sicuti ipse testatur: « Usus sum genere aliquanto alacriori, quam in caeteris ecclesiasticis cantibus uti soleo; sic enim rem ipsam postulare intelligebam ». Etiam haec motteta tali mirabili arte elucubrata fuere tantumque perplacuerunt, ut, brevi, tredecim editiones factae fuerint; eique nomen obtinuerint magni imitatoris naturae, quo nomine eum nuncupavit Vincentius

Galilei summi astronomi pater, et musicae amator eximius.

Sed infinitus evaderem, si de omnibus Petraloisii operibus mihi per singula dicendum esset, ac de magna existimatione in qua apud omnes peritos iugiter fuerunt. Integrum musicale repertorium, quod posterorum tradidit admirationi, veluti hortulus suavissimis virescentibusque halans floribus nobis apparet. *Responsoria* Officii maioris hebdomadae, *Miserere*, *Iubilate Deo omnis terra*, *Assumpta est Maria*, *Ascendit Deus in iubilatione*, *Alma Redemptoris mater*, *Regina coeli*, *Ave Maria*, nonnullae Litaniae, sicuti innumeri psalmi, et infinita alia motteta diversi generis diversaeque naturae, omnia maximam redolent perfectionem maiorum operum. Iure merito eapropter Doctor Borney de Praenestini operibus dicere potuit: « I lavori di Aristotele, di Cicerone, di Plinio erano appena più numerosi. All'unione pertanto d'una grand'erudizione e d'una somma lor diligenza noi non restiamo punto sorpresi, ma il genio (in loro) non è sovente tanto vasto (quanto nel Pierluigi) (*History of music Tom. III*) ».

Istis autem fere innumeris compositionibus (plus quam mille), ex quibus quaedam vere sublimes, et nonnullae propemodum angelicae, non solum Petraloisius noster novo et insolito splendore ac decore Ecclesiam illustravit, sed artem ipsam ad summam deduxit virtutem. Exemplar enim in ipsis posteris reliquit perfectum, quod sicuti et ludus ab ipso institutus, et iugiter florens, honor sunt divinae musices artis, eiusdemque validissimum fulcimen.

(Continuabitur). IOSEPH CASCIOLI.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Regione belgica.* **De Monito in Ephemeridibus, vulgato anno 1893, pag. 706.** Ephemerides quasdam notarunt mendas in Editione Officii S. Familiae irreptas, et corrigendas eas dixerunt, aliter **siquidem** habet sacer textus, a quo verba in casu fuere desumpta. Num Ecclesiae non est potestas aliqua verba mutandi in sacro textu?

Resp. Equidem parum nobis arridet proposita difficultas. Absit a nobis sentiendi Iansenistarum ratio, qui dictum Ecclesiae ius denegabant. Nos admisimus et admittimus inter Christum Sponsum, sponsamque Ecclesiam, maximam profecto adesse relationem: ut quam ille veritatem praedicat, haec apprime intelligat; et inter utriusque sentiendi modum intercedere discrimen nequeat, quamvis haec de potestate ab eodem sibi facta, verba illius aliquando mutare sapienter iudicet. Quid ergo? Adm. Rev. Consulentem consilio iuvamus, ut Ephemerides iterum legat, sed attentius; videbitque indubie, concordantiam litteralem cum sacro textu non constituisse pro nobis rationem allatae correctionis. Nos diximus tantum: *legendum* « Exultat », *ut in sacro textu;* et « qui » ... *emendandum in* « quae », *uti pariter in sacro textu;* at sane, aliud est dicere, *uti in sacro textu:* aliud vero, **siquidem** *ita habet sacer textus.* Ly *siquidem* causam significat mutationis, ly *uti* e contra nullimode eiusmodi causam significat, sed simpliciter *indicat* conformitatem

cum sacro textu. Hoc innuimus, tacuimus illud; perperam ergo quod non dixerunt, et negarunt, Ephemeridibus tribuitur.

Cumque hac in materia versemur, maximopere gaudemus, quod et facto hic et nunc demonstrare possumus quae asseruimus. Itaque sit notum omnibus, mutationem a S. R. Congñe iure factam in Introitu Officii Sacrae Familiae circa verbum « Exultat » in « Exultet », debere quoque iure permanere; et nos praepropere mutationem considerasse tamquam mendam.

Inferat cl. Consulens, exemplum a se allatum, infirmandi causa quod Ephemerides docuerunt, uti alia innumerabilia, quae afferri possent, minus nihilo valere.

II. *Ex eodem loco.* **De translatione octavae festi Titularis.** Quomodo intelligenda Rubrica Gen. Breviarii: « quod si festum post totam suam octavam transferri contigerit, illo anno celebretur sine octava: *nisi Titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat*. Dicendum ne, festum Titularis Ecclesiae, quandocumque post totam suam octavam transferatur, *per se* gaudere privilegio octavae?

Resp. Quod pluries diximus, iterum confirmamus: octava sequitur festum, a quo incipit, et cuius est consectarium, si illud sit patronale. Haec est ratio, ob quam Rubrica docet, festum infra suam octavam translatum tot dies tantum habere de octava, quot supersunt, ut octo sequentes dies impleantur a festo die incepti. Quod si post integram octavam transferri festum contingat, *illo anno celebretur sine octava:* quippe quae non transfertur cum officio *(Tit. X, n. 1)*.

Cui tamen Rubricae additum quoque est, *nisi Titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat:* ut intelligatur, festa patronalia hoc privilegio posse donari. A quo autem, nisi a competente auctoritate? Rubrica enim non dat translato officio *per se* hoc privilegium, immo negat; loquitur tamen de privilegio, quod Patronali festo concedi potest. Secus, si festis patronalibus voluissent octavam concedere ex privilegio Rubricae, profecto satis aliter se expressissent, uti per se patet. Etenim in una *Germaniae* solutio huiuscemodi Dubii quaeritur, et uti superius explicite solvitur. Congregatio Benedictina Bursfeldensis exponebat S. R. Tribunali, utrum festum S. Benedicti gaudere posset octava, quamvis translatum, cum id videretur Rubricae consonum. Haec enim « postquam determinavit, festum alicuius Sancti, si transferri contingat post totam octavam, eo anno sine octava esse celebrandum, exceptionem ponit his praecisis verbis, *nisi Titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat.* Rationabile ergo videtur, ut simile privilegium concedatur Oratoribus pro eorum Institutore, tam Ecclesiae benemerito, cum sit principalis Ordinis Titularis ». At responsio authentica, momentum negligens, cui innitebatur petitio, negativa est, iubetque servari Rubricas: « Negative, et serventur Rubricae *(20 Nov. 1694 ad 1)* ». Neque obiicias, in Decreto allato non agi de vero Titulari in sensu Rubricarum; quia Ss. Institutorum festa vere patronalia semper considerantur, nempe cum omnibus Titularium iuribus et privilegiis. Praeterea Decretum in *Urgellen.* d. d. 18 Iul. 1885 ad I, explicite principium positum confirmat; ibi

enim dicitur translationem Titularis, secum deferentem octavam, nonnisi *ex indulto* esse a S. R. Congñe concesso. Ergo translatio officii nullo pacto, vi Rubricarum, secum octavam defert, quamvis de Titulari agatur. Consequenter ita Rubrica Breviarii intelligenda, ut quodcumque festum, etiam Titularis, translatum quoad officium tantum, octava *per se* careat, si post totam octavam transferatur.

Si vero cum officio transferatur et festum, uti pro Titularibus saltem, solet evenire in translatione perpetua, seu repositione; tunc tantum, iure praesenti inspecto, transfertur de iure octava. Constat maxime ex Decreto in *Tornacensi*, quod utrumque principium confirmat. Quaeritur enim: « An ad omnes et singulos Ecclesiarum Titulares Octava spectet, vel ad eos tantum, qui incidunt in diem propriam aut in fixe translatam, aut qui semper adnexum habent privilegium octavae? » Porro responsio est: « Negative ad primam partem: affirmative ad secundam *(1 Sept. 1866 ad I).* » Licet ergo concludere: Sicut octavae translatio de iure non competit officio Titularis *translato*, ita eadem competit eidem Titulari festo *reposito:* primum, quia officium, ut credimus, octava non sequitur: alterum, quia eadem octava semper comitatur festum.

III. *Ex Hollandia.* **Iterum de colore stolae Sacerdotis communicantis in Missa.** Dixerunt Ephemerides colorem stolae Sacerdotis communicantis in Missa, esse debere semper album. At extat Decretum in *Antibaren. (4 Iul. 1879 ad 1)* contrarium declarans. Quid?

Resp. Equidem Decretum citatum d. d. 4 Iulii 1879 ad 1, non loquitur de Sacerdote communicantis in Missa, sed quaerit in genere: « Cuiusnam coloris debeat esse huiusmodi stola? » Responsio est autem: « Sacerdos communicans utatur stola eiusdem coloris ac Sacerdos qui ministrat. » Intelligimus, in generaliori Dubio, S. R. Tribunali proposito, minus generale contineri, quod nobis propositum fuit. Nihilominus illud intelligi potest de Sacerdote communicante extra Missam, nostrum vero exclusive de Sacerdote in Missa communicante. Si enim illud generalissimo sensu intelligi posset, palam sequeretur, aliquando Sacerdotem communicantem teneri adhibere stolam nigri coloris, quod celebrans facere Missam posset in paramentis nigris: quod risu profecto dignum foret. Dum e contra Sacerdos Eucharistiam ministrans extra Missam, vel albi vel diei coloris stolam semper adhibet. Huiusmodi proinde Dubii diversitas ad diversam quoque nos impulit solutionem exhibitam. Adde exempla non deesse in sacris Ritibus, quae ostendunt colorem communicantis Sacerdotis in Missa, diversum esse a Celebrantis colore paramentorum. Ex. gr. Promovendus ad presbyteratum in Ordinatione privata, paramenta ac stolam proinde induit coloris albi, cum tamen Ordinans sequatur colorem officii. Item in Ordinatione Episcopi, Consecrator paramenta induit iuxta colorem officii, albi coloris semper Episcopus Ordinandus: ut tam ille quam iste in communione recipienda stolam habeant cum ceteris paramentis albi coloris, qui ab Ordinantis colore differt. Et nota, in casu utroque satis esse maiorem relationem inter co-

lorem paramentorum in Ordinando et Missam, quam inter Missam et Sacerdotem communicantem; quia Ordinandus conconsecrat, dum Presbyter communicans, ad summum, fit Sacrificii particeps. Hisce perpensis, praeteritam dedimus solutionem.

Quidquid nihilominus sit, iuri positivo adhaerere intendimus, et quod diximus libenter mutamus, dicentes colorem stolae Sacerdotis communicantis esse debere semper conformem colori stolae Presbyteri Eucharistiam extra Missam ministrantis. Quod si in Missa Sacerdos communicet, idem pariter observabit, quotiescumque illa sit conformis officio. Si autem votiva esset, aut est de requie, aut non: si primum Sacerdos communicans stola utatur coloris albi, vel diei, ut credimus, nunquam nigra: si alterum, Celebranti pariter se in colore stolae conformabit. Atque ita intelligendum arbitramur Decretum *Antibaren. et Scodren.* quod sequimur et sequi volumus. Quod proinde in ultimo Ephemer. num. diximus *(p. 364, Dub. V)* ita *pro nunc* emendatum habeas.

IV. *Ex Ulyssipone.* **De quorumdam festorum speciali concursu.** Hic festa SS. Cordis Iesu et S. Antonii de Padua magna cum solemnitate et sub utroque praecepto celebrantur: ambo sunt ritus dupl. 1. cl. et istud etiam cum octava, illud autem etiam cum ieiunio in vigilia. Imo de SS. Corde tanta est solemnitas, ut nulli festo cedat quamvis occurrat cum aliquo ex solemnioribus universalis Ecclesiae. Cum autem in sequenti anno festum SS. Cordis concurrat cum festo S. Antonii translati, quaeritur, quomodo Vesperae sint ordinandae?

Resp. Praenotamus, insequentem solutionem esse non posse in usum aliarum Ecclesiarum, pro quibus vim habent recentiora Decreta, et maxime illud, quod constituitur ex catalogo festorum quae primaria sunt et secundaria, in quo festum SS. Cordis inter secundaria festa enumeratur. Quo supposito, respondendum est, Vesperas integras competere SS. Cordi, cum commemoratione S. Antonii. Primo, quia iuxta Decretum *Conimbrien.* d. d. 4 Iun. 1817, festum S. Antonii cedit in occurrentia festo SS. Corporis Christi, ut illud propterea transferendum sit. Atqui festum SS. Cordis ita eidem regno concessum fuit ex Decreto 5 Aug. 1778 a S. M. Pii Papae VI, *ne unquam transferri contingat... etiamsi eadem die aliud ex solemnioribus contingat.* Ergo, si cum ipso Festo SS. Corporis Christi posset occurrere, huic praeferretur; ut enim sapienter notat cl. Gardellinius *(Not. ad Decr. Orbis, 3 apr. 1821)*, cum Indultum nullam ponat limitationem, talem concedentis voluntatem apprime demonstrat. Equidem hic agitur de occurrentia; sed arbitramur maximam festi solemnitatem in ipsam concurrentiam influere, ut in hac quoque festum SS. Cordis sit praeferendum. Eoque magis, quod S. Antonius est translatus quoad officium, dum de SS. Corde vere festum solemnissimum in die sua celebratur.

V. *E Dioecesi Labacensi.* **De Ministro folia Missalis vertente, calicem discooperiente etc. in Missa cantata.** Quaeritur, utrum eiusmodi minister vere adhiberi possit in Missa cantata sine ministris sacris, et qualis esse debeat?

Resp. 1. Cum Decretum *Baionen.* ad 1. d. d. 25 Sept. 1875 ad idem quaesitum affirmative re-

sponderit, non intelligitur ratio dubitandi. Namque dictum Decretum edicit, posse Celebrantem in cantu hoc ministro uti pro foliis Missalis vertendis, pro calice tegendo ac detegendo, pro eodem abstergendo etc. Quare ergo dubitandum, utrum id revera liceat? Nonne idem est ac dubitare de facultate id concedendi in S. R. Congñe? Sed nimis hoc est. Quod ergo Auctoritas competens permittit, frustra aliis, si qui sint, contradicentibus, indubie licitum est.

Resp. 2. Dubium de praefati ministri qualitate equidem rationabile est. Etenim id ipse ageret circa calicem, quod Subdiaconus agit in Missa solenni: hoc est, non solum tegit, et detegit calicem iuxta opportunitatem, sed etiam abstergit, quod cuicumque clerico non competit. Qualis ergo debet esse eiusmodi minister?

Si severiori iuri esse velimus innixi, dicendum videtur, illum debere esse saltem in Subdiaconatus ordine constitutum; huic enim tantum competunt ex officio ea quae superius diximus, sicuti et Epistolam canere. At animadvertendum, huius Epistolae legendae ipsam Rubricam Gen. Missalis acolytho potestatem facere (*Rit. celebr. tit. 6, n. 8*). Quod vero spectat calicem tegendum, detegendum atque etiam abstergendum, S. R. C. aliis saepe, qui neque tonsurati sunt, hanc facit potestatem, uti ex. gr. alumni plurium Religiosorum Ordinum, aut piarum Congregationum: ut nihil dicamus de tangendi vasa sacra facultate, qua passim muniuntur aeditui, ipsaeque moniales. De re enim agitur, non prohibita quia mala, sed mala quia prohibita; ergo si abstrahamus a vetito, quodcumque malum evanescit.

His perpensis, respondemus, licite posse quemcumque clericum, quamvis sit tonsuratus tantum, hoc munere fungi in Missa cantata. Ratio est, quia Decretum non loquitur de ministro, sive in sacris constituto, sive etiam acolytho, sed de ministro in genere; et cum facile, saltem in responso, Sacrum R. Tribunal potuisset apponere conditionem alicuius peculiaris qualitatis, nihil posuit, sed verba generalissime fecit de ministro. Ergo quicumque esse ipse potest, modo clericus, secus nulla ratione minister esset. Censetur enim fictione iuris, eamdem competentem Auctoritatem illi talem facultatem concedere, dum tale eidem concedit munus obire.

Cl. De Herdt ait, hunc ministrum esse debere acolythum, Rubricae fortasse innixus, qui de acolytho loquitur pro canenda Epistola. Sed etiam acolythus eadem indigeret facultate, quae potior est, quam pro canenda Epistola, calicem contrectandi; ad hoc enim quod pertinet, paris sunt iuris acolythus et tonsuratus. Idem cl. auctor citat quoque Decretum *Baionen.*, sed hoc Decretum, ut diximus, tale ministerium ad acolythum non restringit. Ceterum pro acolytho, de quo De Herdt, quicumque intelligi potest clericus, acolythi officio fungens, non qui in acolythatus ordine sit constitutus. Concludimus, optimum esse quidem, si talis minister constitutus esset in sacris, melius si vere acolythus; at, si commode talis minister haberi non posset, nihil obstat, quominus clericus quicumque superpelliceo indutus inservire pro ministro possit cantanti Missam, calicem praeparare, tegere, detegere, abstergere et

reliqua obire munia, quae Decretum *Baionen.* ministro in tali Missa permittit.

VI. *E Dioecesi Cuneensi.* **De thure in thuribulum imponendo in sacrario ante solemnem Missam.** Sustineri ne potest consuetudo ponendi thus in thuribulum pro processione ad altare in solemniori Missa?

Resp. Dictam consuetudinem non audemus improbare, licet ad Missam pontificalem magis quam ad solemnem pertineat. Est enim laudabilis per se, et non contra, sed praeter Rubricas. Gavantus eam admittit, sicuti Meratus *(Pars II, Tit. II, n. XXII);* qui et citat Corsettum, Bauldryum, Bissum, Hippolytum a Portu, et Caeremoniale Clericorum S. Pauli, quod confecit ipse Gavantus, illorum decus et gloria. Denique in pluribus Ecclesiis, tam intra quam extra Urbem eadem viget praxis, quae laudabiliter observatur. Nullum autem Decretum eam reprobat, ut nec nos reprobare possimus.

VII. *Ex eodem loco.* **De lectionibus I. Noct. in officio S. Pauli I Erem. translati in Quadragesimam.** Lectiones I Noct. in officio S. Pauli I Erem. in Quadragesimam translati, sunt ne de primo, an de secundo loco sumendae?

Resp. Decretum recens evulgatum fuit, quo S. R. C. edicit: « In casu *(qui idem ac noster est)* legantur lectiones habita ratione ad aetatem *(Calagurritana et Calceaten. 13 Febr. 1893 ad 8)* ». Quomodo autem haec intelligenda sint verba, fusius alibi explicavimus *(V. Ephemer. an. 1892 pag. 461, n. 4),* hoc est: pro Ss. Confessoribus, qui in Domino obierunt plus quam quadragenarii, dicendae lectiones *Beatus vir:* pro iis qui

ante quadragesimum annum obierunt, legendae *Iustus si morte.* Iam nunc Breviarium de S. Paulo I Erem. docet, eum vixisse ad centesimum et decimum tertium annum; ergo...

Nota. Ad lectiones I Noct. in officio S. Hilarii quod pertinet, aliquod oriri potest dubium; quia casus idem accidit pro S. Ioanne Chrysostomo, et resolutum fuisse videtur contra principium superius positum. Videlicet: si officium S. Ioann. Chrysostomi transferatur intra Quadragesimam, dicantur lectiones, *Sapientiam* (*Einsidl. Tit. XXV de Benedict. et Lect., Dub. 2, 5 Maii 1736*): cum tamen extra illam esse debeant de Scriptura occurrente, licet inter Ecclesiae Doctores dictus Sanctus enumeretur. Cum ergo S. Hilarius lectiones similiter habeat extra Quadragesimam de Scripturá occurrente, quamvis et ipse Doctor; applicandum ei videtur quod pro S. Ioanne Chrysostomo S. R. C. statuit, nempe: si transferatur in Quadragesimam, Lectiones habeat, *Sapientiam.*

Sed contra animadvertimus 1. ex peculiari casu S. Ioannis Chrysostomi non posse infirmari principium positum; quia agitur de Doctore, pro quo exceptionem S. R. Tribunal facere potuit. 2. Eiusmodi exceptionem factam pro S. Ioanne Chrysostomo non esse applicandam, omni saltem cum certitudine, ad S. Hilarium; quia, licet uterque casus sit omnino similis, nihilominus a regula communi primus recedit, ut concludi nequeat ex eo, etiam in aliis similibus ab eadem lege communi esse recedendum. Consueta autem norma est, ut Sancti qui de Scriptura occurrente lectiones habent in primo Nocturno; easdem, aliis de occurrente Scriptura deficientibus, lectiones habeant de com-

muni. Consequenter, translato S. Hilarii officio intra Quadragesimam, lectiones I Nocturni de communi erunt, vel primo vel secundo loco, habita ratione ad aetatem: quae cum indubie quadragesimum annum excesserit, lectiones exigit *Beatus vir*. Ita salvo meliori iudicio.

VII. *E Germania inferiori.* **De Missa Sancti commemorati, quando factum est de Beato dup. in Ecclesia in qua fit de feria.** Sacerdos qui officium duplex recitavit de Beato, cum commemoratione Simplicis, et in aliena Ecclesia celebrare debet, in qua fit de feria, poteritne Missam facere de eodem Simplici?

Resp. Certum est, Beatorum cultum non se extendi ad universas Ecclesias, sed ad illas tantum, quibus est ille permissus. Ergo celebrans in aliena Ecclesia, si cultus Beati, cuius officium ille Sacerdos recitavit, sit permissus, Missam de eodem Beato, cum ibi de feria fiat, celebrare indubie poterit: secus, negative. Hac autem in hypothesi quid Sacerdoti agendum? Non deerit fortasse, qui ad literam Decreta accipiens, respondeat: in aliam Ecclesiam pergat celebratum. Ad nos quod attinet, benignius legem intelligentes, respondemus, Sacerdotem in casu, vel de feria facere posse Missam, se conformans Ecclesiae, vel aliam votivam, vel melius festivam de Simplici, quod pro ipso occurrit, cum de eo commemorationem in officio fecerit. Ecclesiae autem ritus his Missis celebrandis non opponitur, sed eas permittit. Ratio responsi esse potest prima; quia cum gravi alibi eundi incommodo lex Ecclesiae non obligat. Altera est quod praxis Missam in genere conformandi officio Ecclesiae, iam satis

invaluit in locis, atque etiam Romae; eoque magis, quia graves non desunt rationes ita interpretandi Generales Rubricas, ut eidem praxi, aperte saltem, non contradicant. Tertia denique ratio est, quia ipsa Auctoritas, impraesenti, inquam, hunc agendi modum approbare videtur.

Nota. Quando communio infirmo ministratur ad modum Viatici, Sacerdos consueta utitur formula *Accipe... Viaticum etc.*: quando vero Eucharistia datur infirmo ob devotionem, tunc utitur alia, *Corpus Domini etc.* Si ergo post sumptum Viaticum, iterum infirmus communicare desiderat, cum id citra dubium ex devotione faciat, *Corpus Domini etc.* dicendum, non autem *Accipe Viaticum*, quia communio haec non est Viaticum.

IX. *E dioecesi Briocensi.* **De consecrando Episcopo in festis Evangelistarum.** Licet ne Episcopum consecrare in festo S. Marci, vel S. Lucae?

Resp. Iuxta Pontificalis Rubricam, facienda est Episcopi consecratio, vel die dominica, vel Natalitiis Apostolorum: vel etiam die festiva, si accedat Indultum Apostolicum. Sic huiusmodi Rubricam Catalanus exponit; dies enim festivi ultimo additi sunt in Pontificali, quod in iis populi conventus commode fieri possit, quem ad Episcoporum consecrationem convenire congruum est (*Comment. in Pontif. Tom. I, Tit. XIII,* § *II, n. II*). Dum ex antiquissimo aevo die dominica Episcopi consecratio peracta est, in honorem resurrectionis Dominicae; atque etiam postea in natalitiis Apostolorum, quia eorum sunt Episcopi Vicarii et successores (*Catalan. loc. cit. n. I et II*). Verum inter Apostolos et Evangelistas nullum ponit discrimen Ecclesia, uti constat ex Decretis

in *Romana* d. d. 18 Sept. 1666, atque *Urbis et Orbis* d. d. 17 Iul. 1706. Verum quidem in his agi tantum de translatione; at Liturgiae periti cuncti ex iis omni cum securitate inferunt, inter Apostolos et Evangelistas non intercedere discrimen. Id autem, sive quia Evangelistae Apostoli nomen apprime sibi promerent, sive quia ad festi ritum quod pertinet, sicuti in iis invocandis pares utrosque facit Ecclesia. Ergo, salvo meliori iudicio, Episcopi consecratio, quae fieri iure potest ex Pontificalis Rubrica in natalitiis Apostolorum, potest et fieri in Natalitiis SS. Evangelistarum, uti Ss. Marci et Lucae.

X. *Ex eodem loco.* **De inclinatione cantantium** *Tantum ergo* **ad verba** *Veneremur cernui.* Clericorum communitas actu cantans *Tantum ergo* coram Sacramento exposito, debetne profunde se inclinare ad verba *Veneremur cernui?*

Resp. Si tota et sola communitas stans cantet, inclinare se non potest, uti patet; ergo nec debet, maxime si in libro vel musicali charta, quod canitur legendum sit. Si communitas genuflexa cum populo una simul respondente canat, profunde se debet inclinare, quia potest; hoc enim in casu optime cantum cum fidelibus prosequi communitas potest. Notandum tamen, in prima hypothesi, communitatem cantorum, genuflexionem unico genu facere debere post integram primam stropham absolutam.

Nota. Pontificis est dioecesim aliquam ad archidioecesim evehere, eique dioeceses, saltem aliquas assignare dependentes. Si enim nullam habeat archidioecesis praeminentiam, merus erit honoris titulus; sed hac etiam admissa hypothesi,

eiusmodi honor archidioecesis a solo Pontifice dependeret. Sequitur, casu admisso, quo alicui Archiepiscopo dioecesis tantum regenda et gubernanda tradatur, ex hoc tantum dioecesim evadere non posse archidioecesim. Huiusmodi aliqua non desunt exempla; et tunc Archiepiscopus sequenti modo ex officio solet suscribere: N. Archiepiscopus, Episcopus Civitatis N. Quod significat, eiusmodi Praesulem, haud tamquam Archiepiscopum creditas sibi oves gubernare, sed tamquam Episcopum. Item significat, dioecesim sibi creditam, talem remanere, nec archidioecesim eapropter fieri.

XI. *E Cracovia.* **De habitu Sacerdotis facientis officium in Matutinis defunctorum.** In officio defunctorum, quod immediate ante Missam recitatur, potestne Sacerdos indutus pluviali nigro et alba, assistentibus Diacono et Subdiacono in nigris Dalmaticis, eiusdem officii recitationi praesidere?

Resp. Quod pluviale nigrum attinet, in Sacerdote qui praesidet, supra superpelliceum et stolam nigram, admittimus. Hoc docet namque Caeremoniale Episcoporum *(Lib. II, cap. X, n. 10):* hoc quoque De Herdt advertit dicens: «Parochus, seu officium faciens induitur superpelliceo et pluviali nigro, vel saltem stola nigra (*Pars 6, n. 237 sub fine*).» Constat etiam ex Decreto *Briocen.* ad V, d. d. 12 Aug. 1854. Quod vero albam, et ministros attinet Dalmaticis nigris indutos, respondemus negative. Circa albam habetur Decretum *Ragusina*, quod eam generaliter prohibet, dicens: « Celebranten non Episcopum, facientem officium in Matutinis, laudibus et Vesperis, non posse uti Alba (*13 Iul. 1658 ad 3*)» Quod ministros

attinet, non tantum debent non esse parati, sed assistere nequeunt, dicente Caeremonialis lege, de his officiis agens: « Neque hoc casu requiritur, ut aliqui Canonici vel Beneficiati cum eo (*qui praesidet*) parentur, prout in aliis Vesperis solemnibus. Et idem fiet in Collegiatis, vel Cathedralibus absente Episcopo (*Lib. II, cap. X, n. 10*). » Quae verba cl. De Herdt exponens, ait: « Nulli alii parati assistere possunt, sed omnes superpelliceo, seu habitu chorali induti esse debent (*Pars 6, n. 237 sub fine*). » Sane, si neque Episcopo hoc officium facienti competunt Diaconi Assistentes et Presbyter Assistens (*V. Caerem. Ep. loc. cit. et Martinucci Lib. V, cap. 21, n. 13*), palam sequitur ministros assistentes esse a fortiori vetitos in his officiis, simplici Sacerdote praeside.

Nota 1. Neque Caerem. Episc. neque auctores verbum ullum innuunt de genuflectendo ad *Pater noster* ante lectiones in Matutinis quibuscumque; sed standum. Genua tamen ab omnibus flectenda sunt ad preces, sicut ad *Pater noster* in fine officii: ad *Oremus* vero solus officium faciens surget (*Caerem. Episc. Lib. II, cap. X, n. 8*).

Nota 2. Antequam cadaver e domo efferatur, antiphona *Si iniquitates* solum habet initium, more solito ut in semiduplici: postea integra repetitur. Ita communiter textus intelligitur Rubricae Ritualis Romani (*Tit. VI, cap. 3, n. 2*). Idem dicas de *Exultabunt Domino* ante et post psalmum *Miserere.*

XII. *E Bavaria.* **De qualitate impedimenti pro anniversario defunct. transferendo.** Decretum *Vilnen.*

d. d. 22 Dec. 1753 ad 2, dicit: « In anniversariis defunctorum ob aliquod impedimentum a proprio die translatis etc. » Quaeritur: Utrum inter haec impedimenta recenseri possit Missa exequialis pro defuncto canenda, vel Missa pro Sponsis cum benedictione nuptiarum, si haec differri, aut, sacerdotum numero non sufficiente, eodem die praeter anniversarium celebrari nequeunt?

Resp. Certum est, impedimentum, de quo citatum Decretum loquitur, uti manifeste constat ex antecedentibus in primo quaesito, sicut ex sequentibus aliis, esse impedimentum ritus, anniversarium inhibens. Id quoque explicite notatur in recentissimo inedito adhuc Gen. Decreto de anniversariis defunctorum, ac de diebus 3, 7 et 30, quod in ultimo, seu 6 Ephemeridum numero retulimus (*pag. 358*) ex Caeremoniali Romano-seraphico. Idem ex aliis pluribus Decretis pariter inferre licet cum omnibus Liturgicis. Quid vero iudicandum, si anniversarium aliquo die quandoque occurrat, in quo ob alias functiones liturgicas ex obligatione persolvendas, celebrari nequeat? Hoc impedimentum erit ne eiusmodi, ut licite transferri queat anniversarium, et translatum iisdem gaudeat privilegiis, quibus alia gaudent, ratione occurrentis ritus translata? Quantum videmus, si vere impedimentum huiusmodi sit liturgicum, et ex rationabili causa ortum, respondendum nobis videtur affirmative: secus, negative. Ratio pro prima hypothesi est, quia motivum liturgicum, quamvis non sit ritus, ex rationabili tamen causa ortum, tale esse videtur, ut ius aliquod anniversario tribuat, ut in alium diem liberum transferri possit. Neque pia mater Ecclesia adeo censeri

potest severa esse in casu, cum de suffragiis agatur in solamen animarum, piacularibus addictarum flammis, uti Deo, sic eidem Ecclesiae carissimarum. Hinc cl. De Herdt et ipse monet: « Praeter tale *(ritum nempe)*, **vel aliud rationabile impedimentum,** anniversaria tuta conscientia non posse transferri a die obitus, vel alia die assignata (*Pars 1, n. 60*). » Ratio in altera hypothesi est ipsius Sacrae Congñis declaratio in Decreto *Neritonen.* d. d. 17 Nov. 1657. Cum enim Capitulum Cathedralis illius Ecclesiae ex permissione Episcopi transferre consuevisset anniversaria in alium commodiorem diem, nempe in feriam II cuiuslibet hebdomadae, S. R. Tribunal respondit: « Tuta conscientia nullatenus potuisse, nec posse huiusmodi consuetudinem inducere, et retinere. »

XIII. *E Parisiis.* **De Missis Sanctorum et etiam Beatorum, Regularium propriis, ab aliis in illorum Ecclesiis dicendis vel non.** Ephemerides docuerunt, Missas Sanctorum imo et Beatorum, etsi Regularium proprias, posse a Sacerdotibus exteris etiam, in illorum confluentibus Ecclesias celebrari; sed hoc et pluribus S. R. Congñis Decretis opponitur, et solidioribus momentis non apparet probatum? Quid?

Resp. In conventu Academiae Liturgicae Romanae, habito die 19 Ian. an. 1887, huiusmodi agitata fuit quaestio, et Censoribus in diversam abeuntibus sententiam, insoluta mansit. Cum autem dicta quaestio de more in Ephemeridibus evulganda esset, anceps Academiae Moderator haesit. Superiores eapropter adivit, accepturus consilium de ratione se gerendi in evulganda quaestione. Postea quaestio evulgata est, quae plura

S. R. Tribunalis Decreta cum Brevibus Beatificationis et Canonizationis inter se componere conata est (*Vid. Ephemer. an. 1888, pag. 119 et seq.*). Eiusdem quaestionis haec summa est: Decreta S. R. Congñis praefatas Missas prohibentia **ius statuunt commune**, Brevia vero **concedunt Indultum:** illa has Missas prohibent, haec autem indulgent. Iam nunc tam illud, quam istud extra controversiam ponendum est, si tamen cuique placeat Brevia Beatificationum, maxime post Benedictum Papam XI emanata, legere (*V. etiam Ephem. Vol. an. 1893, pag. 363, X*). Post haec concludimus, hoc in negotium non amplius redituri: Ita rem se certe habere nos credimus, et qui aliter sentiunt, agant quod melius iudicant.

Nota. Usus deferendi a clerico, vel alio qui Missae inservit, intorticium dum Celebrans ad Eucharistiam fidelibus ministrandam pergit, eamque distribuit, omnino laude dignus est, et nullo ex Decretis prohibitus. Decretum *Cameracen.* 16 Sept. 1865 aliud pro obiecto habet, et ad rem non facit.

RESOLUTIONES SACR. RITUUM CONGREGATIONIS

CIRCA USUM LINGUAE SLAVICAE

die 13 Februarii 1892

Nonnulla dubia super usu linguae palaeoslavicae in sacra liturgia, Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione nuper exibita sunt. Quum vero Sacra eadem Congregatio circa istud sane grave negocium iampridem suum studium impenderit, ut quaedam normae Rm̃is locorum Ordinariis hac in re traderentur, tandem in Ordinario Coetu die 13 Februarii 1892 coadunato post maturum examen attentisque praescriptionibus S. Sedis ac potissimum Apostolica constitutione « *Ex pastorali munere* » Summi Pontificis Benedicti XIV, diei 26 Augusti 1754, insequentes resolutiones elicere censuit, nimirum:

1. In Functionibus liturgicis lingua slavica, ubi legitime in usu est, debet esse antiqua slavica, non moderna sive vulgaris.

2. Non licet Missam legere vel cantare utendo partim lingua latina partim slavica; sed permitti potest, ubi lingua slavica invaluit; ut cantatis latino sermone Epistola et Evangelio, utrumque canatur etiam lingua palaeoslavica.

3. Sacerdotes, qui ius habent Missas celebrandi et Horas persolvendi lingua slavica, debent non solum uti lingua slavica liturgica, sed etiam

si addicti sunt Ecclesiae, ubi lingua latina adhibetur, Missam solemnem latine celebrare, et Horas latino sermone cantare. Idem dicatur de Sacerdotibus, qui latine Missam celebrantes, et Horas persolventes, ministrant Ecclesiae ubi slavica lingua legitime introducta est.

APPENDIX

SACRA CONCILII CONGREGATIO

I.

ASCULANA

DE SERVITIO CHORALI

Die 16 Iunii 1894.

Canonici cathedralis ecclesiae Asculanae, praeter servitii choralis onus, quammaxime occupati in variis muniis ministerii sacerdotalis obeundis, petunt ab H. S. C. aliquam servitii choralis reductionem per sequentes litteras:

« Archidiaconus et Canonici perinsignis cathedralis basilicae Asculanae, ad osculum pedis S. V. provoluti, humiliter exponunt: ipsos gaudere tribus conciliaribus mensibus vacationum a chorali servitio, ita ordinatis, ut duo menses in ordine vicis suae unicuique competant, alter vero ad eorum placitum relinquitur. Sed, ob Cleri penuriam de die in

diem maiorem, factum est, ut ipsi, saltem in maiori parte, praeter chorale servitium, nonnullis aliis muneribus fungendis onerentur, uti docendi in Seminario, vel ibidem moderandi, vel in spiritu moniales dirigendi etc.: quae omnia servitio chori non parum adversantur. Hinc pluries accidit, ut cogantur negligere ista, ut satisfaciant illis. Cupientes tamen omnibus et singulis disparatis muneribus suis rite satisfacere, enixe S. V. postulant, ut quatuor menses vacationum ipsis indulgeat; tribus iam constitutis mensibus, alium adiungens ad eorum beneplacitum accipiendum. Hoc modo, duobus mensibus servitio chori totaliter exempti, ceteris muneribus fungi possent. Neque indultum huius alterius mensis absentiae a choro, ullum eidem choro incommodum afferret; cum, praeter canonicos, mansionarii octo assidue divinis officiis intersint ».

Episcopus pro voto et informatione, uti de more, interpellatus ita respondit, die 13 Martii 1894:

« Officia, quae requirunt maiorem laborem et studium, » ad praesens in hac civitate commissa sunt praesertim ca- » nonicis huius perinsignis cathedralis basilicae, ob cleri re- » gularis et saecularis deficientiam. Revera meus vicarius » Generalis, cancellarius episcopalis, rectores in duobus Se- » minariis et directores spirituales, scientiarum magistri, uno » tantum excepto, nec non monialium confessarii, in magna » parte, sunt canonici.

» Chorales vacationes ita sunt distributae, ut per turnum » quisque suam hebdomadam habeat, et ea frui debet dum » contingit et non aliter; cum vero numerus hebdomadarum, » propter tempus a lege exceptum, tres menses conciliares » in anno non attingat, quisque addit tot dies ad benepla- » citum, quot sunt necessarii ad tres menses conciliares com- » plendos, qui dierum numerus variat inter viginti, vel » quinque et viginti.

» Ob rationes expositas hoc breve tempus non sufficit, ut » quilibet ex canonicis suis diversis muneribus facere satis, » et ut aliquando honestam recreationem sumere possit, prae- » sertim cum hebdomadales vacationes per turnum acci-

» piendae sint: eapropter canonicorum petitio videtur mihi » honesta, eique favendum esse submisse putarem. »

Si ius commune et H. S. C. iurisprudentia recolatur, canonicorum petitioni obstare videtur imprimis scitissimum iuris principium; nempe unumquodque beneficium dari propter officium, cui praebendatus religiosissime satisfacere debet, incumbens postea in alia munera, si tempus et vires suppetant. Unde quamvis Trid. Concil. in *Sess. 24 cap. 12 de ref.* canonicis concesserit trium mensium vacationes, tamen expresse cavit, salvas esse debere earum Ecclesiarum constitutiones, quae longius servitii tempus exquirunt. Quae vestigia premens H. S. C. canonicis addictis Ecclesiae servitio ultra novem menses, censuerit trium mensium vacationem denegare, teste Fagnano in *cap. - Licet - num. 48 et q. - De praeb.*

Attamen quia non ex apicibus iuris est iudicandum, sed aequitati maxime est indulgendum, sapientissime H. S. C. severitatem indulgentia temperans, ob varias causas, at praecipue ob fidelium spirituale bonum, soluit chori servitium ad turnum per mediarias vel ternarias redigere, uti in *S. Severi 13 Iulii 1725*, in *Castri Maris*, *Servitii chori 30 Iulii 1735*, *Tranen. 22 Nov. 1738*, *Civitatis Castellanae - Reductionis 6 Augusti*, *Firmana, Servitii chori 4 Augusti 1817* et *Conversana, 20 Decemb. 1834.* Hoc vero in casu, ne divinus cultus detrimentum capiat, apponi solet clausula, ut tempore adventus, et quadragesimae, aliisque infra annum solemnitatibus omnes inserviant, uti, coeteris missis, videre est in *Cathacen. 5 Sept. 1699*, in qua indultum fuit ut canonici per mediarias inservirent, « *ita tamen ut diebus dominicis et festis de praecepto, tempore adventus et quadragesimae ac octavarum Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis D. N. I. C. ac sanctissimi Corporis Christi, ultra medietatem capitularium qui non erunt de servitio, Missae et Vesperis inservire teneantur.* » Tali pacto H. S. C. censuit melius consultum iri chori servitio, quam ampliando menses vacationum ad quator vel quinque; quia ita semper habetur certus canonicorum numerus inservientium; et aliunde ubi vigent *mediariae* vel *tertiariae* non

admittitur trium mensium vacatio, uti par est, et fuit definitum in *Castrimaris diei 30 Iulii 1735* et in *Capuana diei 3 Dec. 1739*. Insuper quum sperandum sit sacerdotum penuriam in Asculana dioecesi non perpetuam fore, videtur reductionem servitii choralis tantum ad tempus concedi posse. Quae omnia definitivo suo iudicio sapientissime iudicabunt EE. PP.

Quare etc.

R. Pro gratia ad quindecim dies tantum, cauto ab Episcopo cum Capitulo ne chori servitio detrimentum inde obventurum sit; ad quinquennium si tandiu etc., exceptis temporibus Adventus et Quadragesimae.

II.

URGELLEN.

—

CIRCA MISSARUM REDUCTIONEM

—

Die 16 Iunii 1894.

Sacerdos Raymundus Rey, Rector paroeciae dictae de Tirvia dioecesis Urgellensis, H. S. C. has preces offert quas Episcopus testatus est veritati conformes esse atque commendat. Parochi libellus est sequentis tenoris:

« D. Franciscum Bartomen in suo testamento mandasse » ut executores testamentarii ordinarent celebrationem missae » quotidianae cum eleemosyna duarum libellarum (pesetas) in » suffragium ipsius; quae quidem missa quotidiana celebranda » est a Rectore huiusce paroeciae de Tirvia vel ab alio sa» cerdote de ipsius mandato.

» Ad adimplementum huiusce mandati, tradiderunt exe» cutores testamentarii tot *obligationes societatis ferro-viariae* » quot sufficerent ut a redditibus celebraretur praedicta missa » quotidiana cum eleemosyna duarum libellarum pro una-

» quaque; quae *obligationes* custodiuntur in arca dioecesana.
» Ast, tractu temporis, cum Gubernium gravasset tum » capitale tum annuos redditus quodam, licet tenui, tributo; » et ea de causa, nec non ratione tenuium expensarum quas » secum afferunt custodia et administratio praedicti capi- » talis, non sufficiant hodierni proventus ad percipiendam » dictam eleemosynam pro unaquaque missa quotidiana. Ideo » cum nemo sit, qui teneatur ad augendum capitale (saltem » ita affirmant executores testamentarii); ab hac Sacra Con- » gregatione humiliter postulat orator, ut dignetur respon- » sum praebere sequentibus dubiis:

» 1° Utrum teneatur parochus de Tirvia celebrare missam » quotidianam cum reductione eleemosynae; vel potius redu- » cere numerum missarum celebrandarum cum eleemosyna » duarum libellarum.

» 2° Quid faciendum in posterum, si a Gubernio vel alia » de causa detrimentum patiatur redditus annuus praedicta- » rum obligationum societatis ferro-viariae vel aliorum titu- « lorum equipollentium (valores publicos). »

Ut de meo munere, EE. PP., in propositam quaestionem nonnulla proferam, cum primis patet, quaestionem huc reduci, scilicet an haeredes teneantur ad supplendos redditus; vel potius ob redituum imminutionem, proportionaliter missarum numerus reducendus sit.

Iamvero executores testamentarii, uti refert parochus, negant se teneri ad augendum capitale. Huic instantiae suffragatur aperte Concil. Trid. in *Sess. 25 cap. 4 de ref.*, ubi decernit pro rata diminutorum redituum numerum missarum reducendum esse. Proinde H. S. C. quoties sine culpa haeredum reditus minuantur ad piae voluntatis adimplementum relicti, solet etiam onera reducere, siquidem onera fructibus respondere debent; ita in *Vallisoletana 22 Maii 1784 § Quamvis;* in *Nullius S. Martini 24 Augusti 1822 § Iamvero*, in *Tudertina Reductionis onerum 27 Ianuar. 1827;* et docet Fagnan. in *cap. Ex parte n. 2 De constit.* Atque hanc quidem missarum reducendarum causam iustam agnoscit Bened. XIV « *De Syn. Dioec. lib. 13 cap. ult. n. 28* » inquiens: « Causas

ob quas fas est reductionem aggredi, plerumque, imo fortasse semper suppeditat decrementum redituum, qui fuerant pro onerum implemento assignati. »

Contra tamen reductioni grave quidem iuris momentum obstare videtur, non solum quod testatorum voluntas pro lege habenda sit, et tunc praesertim cum animarum expiationem respiciat, Concil. Trid. *Sess. 22 cap. 6 de ref.* et H. S. C. in *Romana Commut. volunt. 14 Iunii 1866*, sed praecipue quia compertum est in casu, legatum eam naturam praeseferre, ut *demonstrativum* non *taxativum* sit. Nam a testatore nulla fundi facta assignatione, saltem non constat, determinavit certum missarum numerum et certam eleemosynam, cui oneri sui haeredes satisfacerent. Atqui uti docet Bened. XIV *l. cit. n. 32.* afferens in confirmationem Instructionem ab H. S. C. transmitti solitam, in legatis *demonstrative* conceptis, obstringi debent haeredes ad supplemendum quod deest. Quapropter compertissimi iuris est, in casu haeredes ad supplendos reditus teneri.

Utrum vero attentis temporum et locorum conditionibus, quare hodie in Hispania gravissima sunt tributa; nec non habita ratione summae capitalis scilicet *actionum viae ferratae* a curia in satisfactiones oneris susceptae, quae suapte natura pro ala commercii nata est maiores vel minores praestare fructus, in casu locus fieri possit alicui missarum reductioni, iudicabunt EE. PP. sueta prudentia et aequitate.

Quare etc.

R. Ad 1.um Iuxta exposita haeredes teneri ad supplementum; quatenus vero id haberi non possit, ad propositum dubium, « *negative* » ad primam partem, « *affirmative* » ad secundam.

Ad 2.um Providebitur eveniente casu.

SUPER DECRETO *VIGILANTI STUDIO*

RELATIO.

S. C. Conc. per Decretum *Vigilanti studio* d. d. 25 Iun. 1893, quod in Ephemeridibus eiusdem anni retulimus (*pag. 509 et 510*), mercimonium super Missarum stipendia inhibuerat, plures exhibendo propositis sibi Dubiis responsiones. Evulgato Decreto, Episcopus Premisliensis et alter Conversanensis nonnulla proposuerunt Dubia circa eiusdem Decreti intelligentiam. Hinc alia eiusdem S. Congñis C. resolutio « Romana et Aliarum » vulgata fuit d. 24 Februar. 1894, quae praefatum Decretum *Vigilanti studio* strictae interpretationis debere esse disponit.

Compendium facti notat, post Decreti praedicti evulgationem plures oblatos fuisse supplices libellos Sacrae Concilii Congregationi, aliquos ad dispensationem obtinendam, aliquos ad quaedam Dubia diluenda. Norma pro dispensatione, quam secutum est Sacrum Tribunal, haec fuit: « quaelibet postulatio ad negotia in futurum agenda aut Ephemerides evulgandas ope Missarum, generatim in suspecto retenta est; et tantummodo permissum, ut negotia incoepta, aut associationes antecedenter bona fide ad annum vel ad semestre initae explerentur, adiectis tamen debitis cautelis ad quoslibet vitandos abusus. » Nunc autem videndum quomodo precibus faciendum satis, et quomodo Dubiis respondendum. Praesul Premisliensis quaerebat, num recentissimo Decreto *Vigilanti studio* revocata censenda sint dispositiones antiquiores, tam Responsi S. Poenitentiariae d. d. 6 Octobr. 1862, quam Decreti S. Concilii d. 24 Apr. 1875, quibus uti permittitur ecclesiasticis viris stipendiis Missarum ad bonos libros vel diaria religiosa vulganda. Item, num illicite agant ecclesiastici, qui a Sacerdotibus vel Episcopis rogant, aut acceptant stipendia iisdem sponte oblata,

et aliis Missas offerunt celebrandas, dantes loco stipendii libros vel diaria religiosa eiusdem pretii. Item qui pro aliqua Ecclesia aedificanda vel renovanda, stipendia quaerunt, dant celebrandas Missas Sacerdotibus, quos rogant ut aliquem numerum gratis celebrent, sicque stipendium earum pro fabrica inserviat. — Praesul vero Conversanensis sciscitabatur: num stari tuto posset, haud obstante Decreto *Vigilanti studio*, antiquiori eiusdem S. C. Congñis Decreto d. 24 Apr. 1875, quo non improbandi iudicantur Moderatores et Administratores Ephemeridum religiosarum, qui Missas tradunt Sacerdotibus celebrandas, debito retento pretio pro consociatione, et servatis omnibus servandis, seu loco et tempore celebrationis, Missarum quacumque collectione seclusa, et ius habente certiore facto de celebratione. Item: in casu affirmativo, num verba *exclusa quacumque collectione etc.* ita possent intelligi, ut invitationes tantum publicae, aliique indecentes modi vetiti essent.

Votum Consultoris exposita sequitur. Quae in Decreto *Vigilanti studio* continentur evolvit: sapientiam laudat S. C. Congñis, Decretum renovantis Pii Papae IX poenasque adiicientis transgressoribus, illudque sartum tectumque servandum tenet, ne deplorata incommoda renoventur. Praefata duo sibi proponit quaesita, quibus facit satis. Quod primum attinet, seu benignam Decreti ultimi interpretationem, probat non esse admittendam, quia sensus Congñis semper fuit, ut associationes et a fortiori aliud commercii exercitium ope Missarum prohiberet ob abusus periculum. Decretum 24 Aprilis 1875 non favere sustinet, habet namque rationem privilegii, ut Eñi Patres in fine responsionis addiderint: « Facto verbo cum SSmo ». Benignam ab Antistite Conversani interpretationem exhibitam Decreti *Vigilanti studio* respuendam iudicat. Thesim confirmat ex scopo eiusdem Decreti, ut nempe licentiam cohibeat vendendi Ephemerides, libros, aliasque merces ope Missarum: secus, aerem verberasset Decreto suo Sacrum Tribunal. Innuit, tempus et locum celebrationis vix posse servari, et difficile esse intellectu quomodo evitari queat collectio Missarum, quam Benedictus XIV

inhibuit. Roborat denique ex ultima in Decreto ratione allata, vi cuius statuitur, reliqua Missarum, quae in fine anni supersunt, propriis Ordinariis esse tradenda.

Quoad alterum, seu quomodo indultum quaerentibus sit respondendum, notat solicitudinem, quam *incredibilem* Benedictus XIV dixit, semper adhibuisse Ecclesiam in removendo quidquid divino Sacrificio iudicavit indignum. Insuper plura de nostra avaritia, et de eleemosynarum dissipatione fuisse dicteria promulgata: quae facile invenirent fidem, si incommoda dissimularet S. C. eorumque occasionem omnem non removeret. Remisse agere, et indulgentia uti, hodie, non expedit, mala enim, quae in dies invalescunt, instantissime invocant remedium efficax et opportunum. Ob quae omnia concludit: « Lex quantumcumque dura, servanda est. » Negligendas proinde tenet querelas, ipsaque damna Ephemeridum, et indultum petentibus respondendum potius: Oportet obedire Decretis. Hinc, *firmis manentibus conditionibus* iam latis circa stipendii quantitatem, locum et tempus celebrationis Missarum, sequentes iudicat tenendas normas pro iis, qui implorant exemptionem a lege:

« 1. Excludendi sunt a privilegio quod concedi potest, ii omnes, qui libros permutant cum eleemosynis Missarum, et quidquid superest, piae causae, aut locis piis, aut Seminariis largituros esse promittunt. Hos omnes comparo usurariis, quaestum inhonestum exercentibus, ut eleemosynas pauperibus largiantur.

» 2. Excludendi sunt, qui hucusque libros cum eleemosynis Missarum commutaverunt sub fucata ratione scientiam promovendi, et adiuvandi sacerdotes paupertate detentos. Non defensoribus istis Ecclesia indiget, et catholica scientia eorum subsidio privata, non deficiet.

» 3. Includenda diaria tantummodo et ephemerides, quorum auctores litteras commendatitias ab Episcopo sibimet procurarunt, sicque dum beneficium obtinent a S. Sede, etiam ab Ordinario repetent, eique obsequium, reverentiam, obedientiamque praestabunt.

» 4. Non omnia autem Diaria etiam ab Episcopo commendata beneficium consequantur, sed ea tantum, quae ratione temporis, doctrinae, et diffusionis illud mereri censentur.

» 5. Privilegium autem *indefinite* nemini concedatur, sed certo tempore circumscriptum, ex. gr. ad triennium et non amplius. Petendi necessitas in mentem revocat privilegium esse, non ius. Triennium dico, quia opportunius mihi videtur, cum de gratia agatur, ad quam concedendam necessitas ipsa impellit.

» 6. Si admonitio de privilegio obtento in ephemeride facienda est, alioquin lateret, et nullimode proderet, fiat quidem, at invitati remittantur ad sacerdotem adsistentem ab Ordinario designandum, qui Missarum eleemosynas ipse recipiet, satisfactionem procurabit et quotannis administrationis suae rationem reddet Ordinario, qui postea certiorabit hanc S. Congregationem. Eo ipso enim quo Ordinarii litteras commendatitias expedire non dubitarunt, eisdem non debet esse molestum quotannis attendere, an omnia rite procedant, et certiorem reddere S. Congregationem cui diaria catholica commendarunt.

» Haec quae pro ingenii mei exiguitate scripsi, et quidem in re tam salebrosa, libenti animo submitto sapientiae et prudentiae vestrae, Emi Patres. Interim S. Purpuram humiliter exosculor.

» Quibus praenotatis, quaesitum fuit quomodo dubia et postulationes essent dimittendae.

» Resolutio. Sacra Congr. Concilii re disceptata sub die 24 Februarii 1894, censuit respondere: *Ad dubia proposita ab Episcopo Premislien. providebitur in casibus particularibus. — Ad dubia Episcopi Conversanen. nihil esse respondendum. — Ad reliquas postulationes: ad mentem* ».

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1894.

S. RITUUM CONGREGATIO

I.

SANCTI IACOBI DE CHILE.

Rmus Dnus Marianus Casanova Archiepiscopus Sancti Iacobi de Chile a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expetivit, nimirum:

Sub die 1 Iulii 1874 Sacra Rituum Congregatio declaravit *servari posse* consuetudinem in Archidioecesi Sancti Iacobi de Chile vigentem, ut a celebrante presbytero saeculari vel regulari, benedictionem petat ille qui concionem facturus est inter Missarum solemnia. Praesente autem Episcopo in presbyterio cum rochetto et mozetta, utri competit benedictio, presbytero celebranti, an Episcopo?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita proposito Dubio rescribendum censuit: *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.* Atque ita rescripsit et servari mandavit die 13 Iulii 1894.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.
Aloisius Tripepi, *Secretarius.*

COMMENTARIUM.

Benedictionem Concionanti impertiendam non esse a Celebrante presbytero, pluries S. R. Congregatio definivit, et maxime in recenti Decreto, *Angren.* 18 Aug. 1877 ad X, licet aliquando consuetudinem ea super re servari posse declaret. Ut enim sapienter Catalanus advertit, *praedicandi auctoritas... tota et plenarie penes Episcopos residet*, non vero apud simplices Sacerdotes, quorum olim non erat concionandi munus, nisi ex episcopali indulgentia. Hinc admittitur generaliter, absente Episcopo, Celebrantem presbyterum benedictionem Concionanti impertire non posse, qui proinde sine benedictione perget concionatum. Exceptio a S. R. Congñe facta pro Sancto Iacobo de Chile, manifeste contra principium est, quod proinde non tollit, sed firmat et roborat.

Hinc quaeritur, utrum exceptio huiusmodi locum quoque habeat praesente Episcopo, rochetto et mozetta induto in presbyterio. Nunc autem S. R. C. stat pro negativo responso: quibus de causis? Profecto, nisi fallimur: 1. Quia concessio Ecclesiae S. Iacobi de Chile facta, ut Celebrans presbyter benedicat Concionatorem, non videtur extendi ad casum Episcopi praesentis: secus, cum de quadam laesione iuris agatur (Episcopus enim ius *per se* habet Concionatorem benedicendi), eadem concessio de eiusmodi casu explicite locuta fuisset, quod tamen non fecit. 2. Eiusmodi concessio, uti apparet, induit naturam privilegii, hoc autem in casu est veluti contra ius commune, uti ex superius dictis patet. Verum, privilegia quae

sunt contra ius commune, et peculiariter si cedant in praeiudicium alterius, sunt stricte interpretanda. 3. Usus huiusmodi concessionis, praesente Episcopo, redundaret nimis in dedecus auctoritatis episcopalis.

At momenta allata infirmari videntur ex eo, quod Episcopus rochetto et mozetta tantum indutus ius amittit utendi throno, primae thurificationis accipiendae, aut post Evangelium, recipiendi manus osculum a Subdiacono post epistolam, Evangelii textum osculandi, aliorumque actuum honoris infra Missam, quos Caeremoniale Episcoporum illi tribuit, si cappa, vel sacris paramentis sit indutus. Ergo neque ius habet Concionatorem benedicendi; cum enim lex Episcopo rochetto et mozetta induto eiusmodi deneget honorificentias, satis clarescit, eum nonnisi privatam repraesentare personam.

Sed contra animadvertendum est, praefatas honorificentias Celebranti solemniter Missam *per se* competere vi Rubricarum: adeo ut, sive absente Episcopo, sive rochetto et mozetta solum illo induto, idem Celebrans ad dictas honorificentias ius habeat. Ex opposito autem, sive Episcopus absit, sive praesens sit, utcumque paratus, Celebrans presbyter nullo *per se* iure gaudet Concionatorem benedicendi. Ergo ex praefatis honoris signis, quae Celebranti de iure competunt, inferri non licet, et Concionatorem benedicendi ius eidem competere; paritas enim inter illos actus et istum prorsus deficit. Praeterea, aliud est loqui de ritibus, seu de actibus liturgicis, qui solemnioris Missae sunt proprii, aliud est loqui de actu Concionatorem benedicendi, qui nulla ratione ad Mis-

sam pertinet, vel per accidens tantum. Quod adeo verum est, ut Episcopus frequenter etiam extra Missam, et post Vesperas, aut alio tempore congruo, Concionatorem benedicat, nulla habita ratione ad vestes, quibus est indutus. Ratio est autem, quia ut honorificentias Celebranti *per se* debitas assumat sibi Episcopus in solemniori Missa, solemniter quoque vi Rubricarum debet assistere; at de munere Concionatorem benedicendi, quod Celebranti *per se* non competit, sed ipsi Episcopo, aliter dicendum est, cum nusquam lex liturgica determinata praescribat indumenta Episcopo assistenti, ut benedicere Concionantem valeat.

Dato itaque et non concesso, Episcopum rochetto et mozetta indutum dum solemniori Missae assistit, uti privatam se habere personam, distinguendum est; ad actus quod attinet Missae, concedo; ad actum quod spectat benedicendi Concionatorem, nego. Dictum est, *dato et non concesso;* quia etiam in casu Episcopus publicam personam repraesentat, attamen actus honoris, Missae solemnioris proprii, ei denegantur a lege, quod non sit solemniter indutus, prouti eadem lex praecipit. Quod nihilominus de eiusmodi honoris signis comprobatur, ad benedictionem Concionantis extendi non posse, patet ex superius dictis.

His omnibus perpensis, non possumus, quin Decreti aequitatem fateamur atque sapientiam. Cumque legem interpretetur Caeremonialis Episcoporum, iam patet, exhibitam praesenti Decreto a S. R. Congñe normam, in omnibus Ecclesiis, quae iisdem in conditionibus versantur, esse aequo iure applicandam.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE PRIVILEGIO PONTIFICALIUM PRO PRAELATIS EPISCOPO INFERIORIBUS.

Postquam Caesarius Sacerdos a S. Sede ad honorem Protonotarii Apostolici ad instar participantium promotus fuit, a distincto Praelato sibique amicitia coniunctissimo sciscitatur quibusnam privilegiis tantus honor cohonestetur: a quo accipit, pontificales Missas, Vesperas ac Benedictiones solemnes, pari forma ac Episcopis, ipsis competere. Hac accepta notitia, non levi pecuniae summa Caesarius acquirit paramenta, vasa, ac ornamenta pontificalia cuiusdam Cardinalis paulo ante e vivis sublati, ut in praedictis functionibus, ea qua par est convenientia ac decore, omnibus aedificationi esse posset.

De iis casu cum quodam Canonico regulari conterraneo suo sermonem instituens, non sine magna admiratione ac etiam animi perturbatione audit; privilegia supposita iam ab Apostolicis sanctionibus etiam recentioribus imminuta fuisse: quinimo nihil in Urbe, in aliis vero dioecesibus praemissa Ordinarii venia, sola Missa Pontificalis et forte Vesperae, multis cum limitibus, ad hoc ut ab Episcopis clare distinguantur, permittuntur. Tunc Caesarius interpellans conterraneum, subdit: Qua ergo ratione Protonotariis Apostolicis ad instar prohibentur Pontificalia in Urbe, dum Abbates vestros nec non aliorum Ordinum Monasticorum in suis et aliorum Ecclesiis ipsius Urbis

non semel eadem explentes, et cum solemni apparatu, ego ipse vidi? Nonne Constitutiones Apostolicae, ut dixisti, omnes comprehendunt praelatos Episcopali dignitate inferiores: et qua ratione non semel vidi Abbates pileolo ac bireto coloris violacei in eisdem functionibus utentes, quae solis Episcopis ab S. M. Pii IX, et a Leone Pontifice XIII concessa fuerunt? Canonicus quaedam respondit, sed Caesario haudquaquam satisfecit, qui proinde ad virum Ecclesiasticum Romae degentem, in iure Liturgico apprime peritum pergit, ab eoque exquirit:

1. *A quonam tempore Praelatis Episcopo inferioribus, nempe Abbatibus Monasticis ac Protonotariis Apostolicis, Pontificales Missae Vesperaeque ac Benedictiones et similia concessa fuerint ab Ecclesia: quid vero successu temporis hac super re ab eadem Ecclesia dispositum sit?*

2. *Num limitatio a novissima Constitutione Apostolica facta quoad Pontificalia in Urbe pro Protonotariis, Abbates quoque Regulares comprehendat in suis vel alienis Ecclesiis, salvo peculiari privilegio?*

3. *Quid ergo dicendum de Caesarii obiectis, nedum circa Pontificales functiones, sed etiam circa pileolum ac biretum violaceum prout in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Eutychiani Cioci Alumni Pontif. Seminarii Piani, habita in Ecclesia Presbyterorum Congregationis Missionis die 10 Maii 1893: acta Epitoma per Rmum D. Chalcedonium Mancini P. C. M.

I. Quamquam non pauca, quae de Monasticis Abbatibus dicenda essent, Protonotariis Apostolicis aeque convenirent; cum quaedam, nihilominus, ita illorum

sint propria, ut istis nullo pacto tribui valeant, optimum nobis visum est discriminatim de ipsorum iuribus ac facultatibus loqui, etiam maiori perspicuitati consulendi gratia. Ideoque de Abbatibus primum, de Protonotariis postea sermo nobis sit.

Ex unanimi eruditorum sententia certum est, ante saeculum decimum non licuisse Abbatibus pontificalia ornamenta gestare; ideoque et pontificales functiones peragere. Et revera, praeclarus eruditusque Mabillonius de Abbatum ornamentis agens, enarrat de quodam Theodorico Episcopo Metensi, qui anno 970 a Ioanne Papa XIII usum dalmaticae et sandalium pro Abbate S. Vincentii Metensis impetravit. Insuper in Libro II, capite 81 Casinensium Chronicorum legitur, Richardum Abbatem, cum se Romam contulit, obtinuisse a S. Leone IX, iuxta morem praedecessorum, tam sibi, quam successoribus, privilegium deferendi, in principalioribus tamen tantum festivitatibus, sandalia, dalmaticam ac chirothecas. Ex quo aperte eruitur ante Leonem IX, seu circa decimum saeculum, eadem ornamenta indulta fuisse nonnullis aliis Abbatibus Casinensis Coenobii. Sed mitrae privilegium, observat superius laudatus Mabillonius, serius Abbates obtinuerunt, et praecise ab Alexandro II (*1061-1073*) primum concessum fuit Elgesimo, Abbati S. Augustini prope Cantuariam in obsequium Anglorum Apostoli. Haec vero Abbatum mitra haud solum auriphrygiata, sed etiam pretiosa seu gemmis circumornata esse poterat, sicuti in Sueciae Annalibus (*Par. II, cap. X*) testatum legimus in quibus de Gulielmo Abbate canitur:

„ Namque datur capiti venerabilis infula, sacro
Auro et gemmarum munere tota nitens „.

Praetereundum hic silentio non arbitramur, quandoque etiam laicis pontificalia quaedam ornamenta in signum pacis et amicitiae indulta fuisse; sicuti a Lucio II Papa legitur cum quodam Siculo factum.

Imo enarratu difficile est solertia, qua circa saeculum XII, praesertim Abbates, pontificalia ornamenta ab Apostolica sede efflagitabant. S. Bernardus, quamquam et ipse Abbas, saepissime conqueritur hanc aviditatem, maxime in tractatu " De Officio Episcopi ".

Ex delibatis ergo abunde patet, iam inde a saeculo X Abbates monasticos privilegio quorumdam pontificalium ornamentorum participes fuisse, et non multo post etiam caeterorum. Iure merito eapropter erui potest ex eodem illo aevo et pontificales functiones ipsos peragere incoepisse, locis et tempore a Romanis Pontificibus ipsis concessis. Quae autem functiones Missae erant pontificales, nec non Vesperae et solemnes Matutini, in quibus tantummodo functionibus solemniter populo benedicere poterant, sicuti patet ex Capite III Titul. VII *De Privilegiis* in 6°. In ipso enim de quodam Abbate enarratur, qui ab Apostolica Sede privilegium obtinuerat solemnem benedictionem impartiendi, quin tamen in concessione adderetur dictio *in omni loco.* Accidit autem, ut ad processionem quandam invitatus, solemniter populo iste Abbas benedicere voluerit. Re ad Alexandrum III Pontificem deducta, sic negotium definivit: Si nihil aliud dictum, vel manifestis verbis in privilegii concessione expressum fuerat, Abbas solemnem benedictionem impertire non poterat *nisi in suo Monasterio, aut in capellis suae iurisdictioni subiectis, in Missis, Vesperis et Matutinis.* Privilegium enim huiusmodi, prosequebatur laudatus Pontifex, auctoritatem natum est

imminuere Episcoporum, stricte eapropter, utpote odiosum, interpretandum est. Ex dictis igitur sponte fluit, ex communi iure Episcoporum esse solemniter populo benedicere cum caeremoniis et verbis in Pontificali descriptis.

Iuxta Tamburinium (*De iure Abb. Tom. I, disput. XX quaesit. 1*), usus Pontificalium convenit Abbatibus iure tantum privilegiario, haud vero ratione dignitatis. Usus, qui progressu temporis, et praesertim saeculo XV et sequenti, a Romanis Pontificibus fere omnibus Abbatibus cuiuscumque Congregationis concessum fuit ad decorem Ecclesiarum suarum, minime vero ad ostentationem vanitatemque fovendam.

Nihilo tamen minus, sicuti in humanis omnibus evenire solet, abusus non pauci incommodaque non parva irrepere coeperunt; ita ut non semel coacti fuerint Episcopi Romam ad Sanctam Sedem recurrere.

Imo etiam post evulgationem Caeremonialis Episcoporum, in quo abunde quidquid Abbatibus in sacris functionibus peragendis observandum est describitur, cum abusus ac arbitria invalescerent, ad penitius ea extirpanda S. R. Congregatio sequens emanavit decretum (*Decretum Gener. 27 Sept. 1659*) ab Alexandro VII adprobatum. Decretum, quod cum ad rem nostram optime quadret, operae pretium ducimus illud referre, compendifactum tamen:

1.° Ter tantum in anno Abbates pontificaliter agere valent Missam, Vesperas, et Matutinum cum Laudibus in diebus festivis de praecepto: illicitum tamen est eadem ipsis peragere in officiis et Missis pro defunctis, etsi solemniter et in die festivo de praecepto celebratis. Insuper pontificaliter celebrare possunt sine Ordinarii venia, in Ecclesiis tantum eorum iurisdictioni subiectis: in ceteris namque, sive exemtes sint,

sive non; imo in istis, etsi accedat Ordinarii placitum, pontificalia peragere minime possunt.

2.° Septimum candelabrum ipsis non competit; sicuti nec thronus cum baldachino in propriis Ecclesiis fixus; sed eo uti valent solum cum pontificalia peragunt: huiusmodi autem thronus duos tantum gradus habere, et absque suppedaneo esse debet (*Neapolitana 18 Martii 1617*). Quod si Abbates trinas pontificales functiones, quae ipsis competunt, spatio dierum octo successive celebrare malint, tunc eis licebit thronum cum baldachino intra hoc spatium erectum retinere (*Fesulana 1 Octobris 1701*)

3.° Paramenta super altare in eorum Pontificalibus collocanda sunt; cum apud ipsum, haud vero in sacristia, accipere ipsa debeant.

4.° Mitram gemmis ornatam ipsis gestare non licet: auriphrygiata vero, iuxta Castaldum, eis indulgetur, et sub eadem pileolus niger etiam.

5.° Velum album pastorali baculo colligandum est, iuxta Gavantum, prope nodum; sive ut a baculo Episcopi discriminetur, sive etiam in signum subiectionis, eo prorsus modo, ait Catalanus, quo mulieri caput velandum in signum subiectionis viro.

6.° Cum Ecclesiam adeunt celebraturi, vel ab altari recedunt, monachorum comitatus, more episcopali, ipsis non decet. Insuper nec Indulgentias publicare valent absque S. Sedis licentia.

7.° In Missis solemnibus, in Vesperis, atque in Matutinis cum Laudibus, in quibus etiam, iuxta Caeremoniale (*Lib. II, c. 7, n. 5*), trina benedictio impartiri potest, possunt Abbates triplicem manu crucem efformare. Si vero, dum pontificaliter celebrant, cum Venerabili populo benedicendum esset, possunt etiam cum

eodem Venerabili trinam efformare crucem (*Orbis 13 Iun. 1693*).

8.° In Missis tandem privatis nullo pacto a simplici Sacerdote discriminantur.

Et haec quidem pro Abbatibus: deveniamus nunc ad Protonotarios Apostolicos. Triplicis generis possunt esse Protonotarii: *participantes, ad instar participantium et titulares*. Ex communi opinione, quam amplexus est etiam Sixtus V, participantes ad remotissimam ascendunt antiquitatem; S. enim Clementem I Pontificem auctorem fundatoremque salutant: iste namque Pontifex eos per Urbem constituit, ut Martyrum acta describerent. Quibus postea nonnulli summi Pontifices, inter quos Ss. Antherus, Fabianus ac Iulius varia et novaque munera contulerunt.

Polydorus Virgilius in suo opere " de rerum inventoribus „ (*Cap. XI*) affirmat, primitus Collegium Protonotariorum constasse tantum ex septem membris: " Sunt hodie Protonotarii Apostolici numero 7, qui in illud collegium precio cooptantur „.

Difficile tempus assignatur, in quo cum Praelatis adnumerati fuerint. Certum tamen est, ab immemorabili, praecedentiam etiam super Archiepiscopis et Episcopis in sacris functionibus ipsos obtinuisse, et sequenti elogio a Pio II donatos fuisse: " Notariorum nostrorum, quos vulgo protonotarios, quasi per excellentiam quandam, non abs re, consuetudo vocitat „.

Idem tamen Pius II, Episcopali dignitate perpensa, cum sua Bulla Mantuae evulgata die 1 Iunii 1459, dictam praecedentiam abrogavit, statuens Episcopos, quamvis adhuc electos, praecedentiam super Protonotarios semper obtinere. Praeterea Sixtus V cum alia Bulla, quae incipit " Romanus Pontifex „ diei 16 Novembris 1585 numerum Protonotariorum auxit, eum-

que ex septem ad duodecim elevavit, et in Collegium constituit duodecim Praelatorum. Insuper cum sua Constitutione LAUDABILIS diei 5 Februarii 1586, idem Pontifex eorumdem privilegia confirmavit auxitque, iisdem indulgens extra Urbem usum Pontificalium in solemnibus Missis. En Constitutionis verba: " Et qui ex eis in Presbyteratus ordine constituti fuerint, in Missis Solemnibus Mitra et quibusvis aliis pontificalibus insigniis, etiam in Cathedralibus Ecclesiis, de illarum tamen Praesulum, si praesentes sint, si vero absentes, absque illorum consensu, etiam illis irrequisitis, extra dictam Curiam uti ". Ex quibus verbis, uti patet, toto iuris rigore proflueret, in solemnibus Missis tantum, haud in aliis sacris functionibus Protonotarios participantes Pontificalibus insigniis induere se posse. Nihilominus, ait eximius Andreucci (*De Protonotariis*), ex vi correlativorum, praescriptionis, ac consuetudinis immemorabilis dicendum est, talibus insigniis sicuti in Missa, ita etiam in Vesperis ceterisque functionibus, sive per se sive per accidens Missae Vesperisque adnexis, uti posse.

Sed, ob varias temporum vicissitudines, Protonotariorum numero satis notabiliter imminuto, Collegioque integro pene collapso, Gregorius XVI die 8 Februarii 1838 illud ad pristinum revocavit splendorem ac numerum. Tandem Summus Pontifex Pius IX felicis recordationis, litteris apostolicis in forma Brevis diei 9 Februarii 1853 nonnulla Protonotariorum privilegia declaravit, limitavitque: salvo tamen privilegio Pontificalium, nec non et altaris portatilis a Sixto V ipsis concesso.

Neque Constitutio 29 Augusti 1872 contra ipsorum privilegia opponi potest, cum de illis non loquatur. In num. enim 24 legitur: " Caeterum praedicta

Congregatio particularis, hoc Decreto nil detractum voluit de iuribus, privilegiis, exemptionibus Collegio Protonotariorum participantium, iuxta Constitutiones Apostolicas ac praesertim iuxta litteras in forma Brevis QUAMVIS PECULIARES die 9 Februarii 1853 datas, quoquomodo spectantibus „. Manifeste e contra de non participantibus agit Constitutio. Cum enim isti, uti etiam asserit Pius VIII in Bulla " Cum innumeri „ (*parag. 3*), privilegiis omnibus participantium fruerent, ob subortas nonnullas disceptationes circa interpretationem horum privilegiorum, Pius IX censuit, citata Constitutione, angustioribus limitibus eadem coarctare. Hinc:

1° Cum Ordinariorum subiaceant iurisdictioni, ipsis invitis, Pontificalia agere non valent: et venia obtenta, etiam a Praelatis, si de Ecclesiis exemtibus agatur, private tantum ad Ecclesiam accedere eis licebit.

2° Faldistorium, multoque minus thronus, eisdem non competit; ideoque ad scamnum cum ministris sedere debent.

3° Haec tantum ornamenta gestare possunt: *a*) tibialia ac sandalia ex serico confecta, absque tamen aureis vel argenteis ornamentis; *b*) chirothecas similiter sericas et absque aureis ornamentis; *c*) dalmaticam; *d*) tunicellam; *e*) annulum cum una gemma; *f*) crucem pectoralem sine gemma; *g*) mitram simplicem telae albae; *h*) pileolum nigrum sub mitra semper ferendum.

4° Ista vero ornamenta induere ipsis non licet, in Missis defunctorum, in piis supplicationibus ac in ceteris ecclesiasticis functionibus; casu tamen excepto, quo praedictae functiones immediate praecedant vel subsequantur Missam.

Nihilominus et in hoc casu extra Missam deponere debent chirothecas, dalmaticam et tunicellam. Sed fortasse hic inquiri posset: possuntne isti praelati, Episcoporum more, Introitum, Gloria, Orationem etc. usque ad Offertorium ad scamnum legere? Negative respondendum censemus, innixi potissimum Decreto Generali 27 Augusti 1822, in quo ad 5^um^ edicitur: " Quodcumque privilegium ad augendum Insignium quarumdam Ecclesiarum splendorem ab Apostolica Sede Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis concessum, utpote laesivum dignitati Episcopali, de iure strictissime est interpretandum. Quamobrem nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud, quod est speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio trahi potest consequentia ad alia, quae singillatim descripta non fuerint „.

5° Cum solemniter Episcopali modo, in fine Missae benedicere non valeant, consequitur, eos more aliorum presbyterorum, unicam benedictionem populo impartiri posse.

6° Cum Romae, ob presentiam Summi Pontificis, eis non liceat agere Pontificalia, sedulo observare debent quod in numero XIX huiusce Constitutionis praescribitur.

Tertium Protonotariorum genus, titulares scilicet, silemus, cum de ipsis in nostro casu non agatur.

II. Secunda petitio inquirit, num limitatio, quoad Pontificalia Romae celebranda per Protonotarios, ab ultima Constitutione Apostolica facta, comprehendat etiam Regulares Abbates sive in suis, sive in alienis Ecclesiis celebrantes, salvo peculiari privilegio.

Antequam quaesito respondeamus, sedulo consideranda nobis videntur sequentia Constitutionis verba,

N. 22. " Quae supra de usu pontificalium et de modo Missam privatam celebrandi quoad Protonotarios ad instar Participantium decreta sunt, a ceteris etiam Romanae Curiae Praelatis, quibus ex Constitutionibus aliisve specialibus Indultis Apostolicis privilegium Pontificalium competat, erunt adamussim servanda „. Nunc autem inter ista reperitur etiam prohibitio Romae pontificandi; in numero enim 19 legitur: " Verum cum Protonotarii ad instar Participantium nequeant in Urbe, ob Summi Pontificis praesentiam, Pontificalia exercere etc. „.

Ideoque Pontificalium privilegium in Urbe videtur inhibitum omnibus praelatis, monasticis non exceptis Abbatibus: eo vel magis, quod cum Summus Pontifex Protonotariorum participantium privilegiis minime derogare voluerit, expresse ipsos nominavit.

Hisce nihilominus haud obstantibus censemus, praedictam Constitutionem Abbates non comprehendere. Primo quidem ex fine, qui fuit Protonotariorum ad instar privilegia coarctare, sicuti apparet ex capite ipso Epistolae, et ex corpore, praesertim in principio. Secundo autem ex enumeratione illorum, in eadem Constitutione facta, quibus Pontificalium usus in Urbe interdicitur: in qua praelati regulares, tali privilegio utentes, non adnumerantur.

Nunc vero nonne privilegium cessat per revocationem concedentis, quae non praesumitur, sed probatur? Sed ex Constitutione revocatio privilegii Abbatum, pontificandi in Urbe, facta non apparet. Antiquum privilegium eapropter perdurat adhuc, et pontificalia celebrare in propriis Ecclesiis etiam Romae ipsis licet, minime vero in alienis, in quibus, sicuti iam dictum est, speciale indultum Apostolicae Sedis requiritur.

III. Sed tempus est ut ad ultimum progrediamur quaesitum, ut a Caesario obiecta discutiamus.

Opponit primo Caesarius: Qua ratione Protonotariis Apostolicis ad instar, prohibentur Pontificalia in Urbe, dum Abbates vestros nec non aliorum Ordinum Monasticorum in suis et aliorum ipsius Urbis Ecclesiis non semel eadem explentes, et cum solemni apparatu, ego ipse vidi?

Sed respondetur, rationes, ob quas Protonotariis ad instar Pontificalia agere in Urbe non licet, sunt: voluntas primum Summi Pontificis sic iubentis: praesentia secundo ipsius Summi Pontificis. Si ergo Caesarius Abbates Monasticos vidit in suis Ecclesiis Pontificalia explentes, sciat id ipsis licere, utpote earumdem Ecclesiarum superiores: si vero eadem agentes in alienis vidit Ecclesiis, id unice tribuat vel ad speciale Pontificis indultum, vel ad particulare privilegium cuidam Abbati donatum. Insuper Abbates, uti dictum est, ex decreto Alexandri VII pontificaliter celebrare possunt Missam solemnem, Vesperas, ac Matutinum cum Laudibus; cum e contra Protonotariis ad instar nonnisi Missam solemnem, et cum clausulis supra positis, extra Urbem competit pontificaliter agere.

Alteri ex Caesarii obiectis, Constitutionem nempe omnes comprehendere praelatos Episcopali dignitate inferiores, reposuimus iam in responso ad secundum quaesitum. Tertio tandem, cur scilicet Abbates in istis functionibus pileolo ac bireto violacei coloris utantur, respondemus. Cuiuscumque abusus casu seposito, arbitrandum est praedictos Abbates, si quos revera vidit cum pileolo ac bireto violacei coloris, speciali privilegio gaudere; nam, sicuti superius dictum est, Abbates gestare solummodo valent sub mitra pileolum nigri coloris.

Aequo animo eapropter Caesarius haec omnia ferat, privilegiis sibi debitis contentus, caveatque ne eorumdem limites praetergrediatur; cum in numero 21 citatae ab ipso Constitutionis legatur: " Qui secus facere, aliisve praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso Pronotariatus honore privatos se sciant ".

DE CONTROVERSIA

QUOAD ORDINEM COMMEMORATIONUM IN VESPERIS SERVANDUM

CUM ADNOTATIONIBUS IN OPPOSITUM

Cardo controversiae in hoc consistit: *Quaenam est prima Commemoratio facienda in Vesperis post orationem officii inter illas quae per solam Commemorationem celebrantur?*

Nota 1.° — Quaestionem ita ponimus, ut statim Casum Gavanti (*Comment. in Rubr. Brev., Sect. III, Cap. VIII, num. 22*), sc. semiduplicis, si habuerit dimidias Vesperas, excludamus.

Curnam auctor excludere intendit casum Gavanti? Gavantus, et doctores omnes cum eo, docet: quando in Sabbato actum sit officium semiduplex, Vesperae erunt de eo, a capitulo de dominica privilegiata, commemoratio semiduplicis praecedentis, et duplicis simplificati occurrentis in dominica. Nescimus plane cur auctor de hoc casu consulto taceat. Forsan quia opponitur suae sententiae? Nos vero

in eo insistimus, et pluries allatum nostrum argumentum, quod hic revocamus, in hoc casu luce mirifica illustratur. Ratio enim praeferentiae commemorationis semiduplicis super commemorationem duplicis simplificati, ait Gavantus, (*Tit. XI, n. 22*) est, quia habuit dimidium vesperarum, et duplex simplificatum non habet *nisi meram commemorationem*. Unde distinguendum est inter festa quae in Vesperis nec habent, nec habere possunt nisi *meram commemorationem*, et illa quae vel habent reapse partem Vesperarum, vel ius ad eam partem radicitus possident, nempe festa concurrentia.

Non itaque approbare possumus exclusionem casus Gavanti ab auctore hic excogitatam, cum casus ipse pro nostra sententia multum prosit, eique noceat.

NOTA 2.° — Hic quoque non loquimur de commemoratione S. Ioseph in Festo Desponsationis B. M. V. (ubi est concessa), seu de commemoratione S. Pauli in Festis S. Petri, et viceversa; nec de Dominica in Albis, quae ad instar duplicis maioris privilegio gaudet non cedendi Vesperas nisi duplicibus 1. vel 2. classis; nec de quadam alia exceptione, quae, utpote speciali privilegio dotata, in regulam generalem deduci nequit.

De praefata quaestione multa iam scripta sunt: « *Ephemerides Liturgicae* » cum cl. Doct. Piacenza fortiter tenent *primam* commemorationem in tali casu *semper* esse faciendam de officio *concurrenti*. — Alii autem, uti cl. P. M. Lafrasse, « *Il Monitore Liturgico* », et recenter « *La Nouvelle Revue Théologique* », etc., commemorationi officii *Concurrentis* talem praecedentiam *per se* deberi omnino negant. Et uti de more, in quaestione controversa unusquisque abundat in suo sensu, allegans rationes *pro* et *contra*, explicansque in favorem suae sententiae, tum Rubricas Breviarii Romani, tum De-

creta S. R. Congregationis. — Hinc inutile non esse mihi videtur, si aliquis spectator indifferens in hac re controversa intervenit, suamque opinionem circa eam exponit, statuitque.

Sequens igitur duplex punctum lectorum Vestrorum considerationi, iudicioque offero, amore solummodo veritatis ductus, simulque me emendare paratum declarans, si aliter probatum vel a competenti auctoritate sit decisum.

I. — Iuxta opinionem meam ad quaestionem praefatam respondendum est cum distinctione, *utrum scilicet commemorationes simplificatorum sint cum officio* CONCURRENTIS (*de quo nempe actum est officium, vel in crastina die agetur*) *in* OCCURRENTIA, *an in* CONCURRENTIA. Si 1ᵐ in OCCURRENTIA, tunc regulae *occurrentiae* quoad istas commemorationes sunt observandae. — Si 2ᵐ in CONCURRENTIA, tunc leges *concurrentiae* pro iis valent et applicandae sunt. Sic fieri potest quod in casibus *occursus*, officium *concurrens* (sc. praecedentis vel sequentis diei) quoad eius commemorationem praevaleat alteri simplificato, quae, si cum illo *concurreret*, non cederet suum locum.

Perpulchra satis atque ingeniosa est ista distinctio, et primo obtutu fortissima videbitur et inexpugnabilis oppositio. Nihilominus, si attente consideretur, omnibus casibus applicari nequit, neque semper est vera, ideoque accipienda est cum beneficio inventarii. Et revera duo allata exempla, in confirmatione ipsiusmet distinctionis, non solum nihil probant, sed e contra pro nostra sententia stant omnino, uti facile videbimus.

1ᵐ EXEMPLUM. — Dies Octava (non privilegiata), quoties est impedita per *occurrentem* Dominicam privilegiatam, in Vesperis praecedentis

vel sequentis duplicis, commemorationi Dominicae privilegiatae priorem locum cedit. In *concursu* vero, dies octava impedita per festum maioris ritus, si *concurrat* cum Dominica privilegiata, tunc iuxta Rubricas Concurrentiae prius facienda est commemoratio diei Octavae et dein de Dominica. Quare Dominica privilegiata in *primo* casu, licet per commemorationem celebrata, praecedit commemorationi diei Octavae ad ritum simplicem redactae; dum in *secundo* casu Dominica privilegiata cedit priorem locum diei Octavae, licet per modum simplicis adhuc celebretur? Nonne, quia in 1° casu Dominica privilegiata *occurrat* cum die Octava, et cum dies Octava ad ritum simplicem fuerit redacta, ipsi non conveniat praecedere *in Vesperis Dominicam privilegiatam*, cui iam cessit officium: dum e contra in 2° casu, utpote in *Concurrentia*, officium Dominicae privilegiatae nullo praeferentiae privilegio gaudeat (excepta Dom. in Albis), et dies octava utpote duplex in *concursu* praecedat Dominicam etiam privilegiatam utpote ritus semiduplicis?

Notandum nos hic loqui de doctrina a magnis Auctoribus liturgicis passim tradita; sed utrum illa adhuc hodierno tempore sit sequenda post Decretum S. R. C. d. 15 Novembris 1890, videbimus infra, puncto II.

Hoc primum exemplum sub imperio legis Rubricarum contra nos utique citari potuisset: quia autem nos scribimus sub imperio novae legis, nempe post S. R. C. decretum 15 Novembris 1890, tota corruit auctoris ratiocinatio. Sed de hoc diffusius dicemus pag. 476 et seq.

2.ᵐ EXEMPLUM. — In *occurrentia* iuxta *Rubr. de Commemor. n. 11 et Tabell. I. de occurrentia sub*

regula 3. dies infra Octavam (non privilegiatam) suum locum cedit Festo semiduplici. Si vero semiduplex *concurrat* cum die infra Octavam (non privil.), tunc iuxta *Tabellam II. de concurrentia sub regula 5.* fit *a capitulo de sequenti* (i. e. de die infra Octavam) *cum commemoratione praecedentis* (nempe semiduplicis). Porro iuxta regulam datam a S. R. C. (vide Decret. infra) et a Patronis utriusque sententiae admissam, si plures commemorationes sint faciendae in Vesperis, « *prius est facienda commemoratio de illo de quo, secluso impedimento, celebrarentur Vesperae integrae, aut Capitulum, aut dimidiae* »; seu aliis verbis, de illo de quo, secluso impedimento, diceretur Vesperarum potior pars, sc. Vesperae integrae, vel Capitulum (1).

Neque secundum exemplum quid valet contra nos. Siquidem nos dicimus, post S. R. C. decretum 18 Decemb. 1779, primam commemorationem in Vesperis esse faciendam de *concurrenti officio*, scilicet de eo, de quo pridie actum est, vel in crastino agetur officium. Porro, in exemplo diei infra octavam, de quo agitur a capitulo in concurrentia pridiana cum semiduplici, non videmus quid habeatur contra nostram sententiam.

Nonne de infra octavam agetur officium in crastino? ergo in concurrentia cum semiduplici, a capitulo agendum erit de die infra octavam, cum commemoratione ipsius semiduplicis, de quo reapse actum est officium.

---

(1) *Nota auctoris.* Non video utrum verba huius Decreti « *aut dimidiae* » eorum applicationem habere possint in alio casu quam in illo vel simili casu Gavanti, sc. semiduplicis, de quo supra locuti sumus.

Nunc suppono semiduplicem incidere in Dominicam *per annum*, et Feria II. fieri de die infra Octavam (non privilegiatam). In casu, in ipsa Dominica, Vesperae erunt de Dom. cum commemoratione diei infra Octavam et dein de semiduplici simplificato. — In casu vero quod tum semiduplex, tum dies infra Octavam in Dominicam per annum incideret, et Feria II. de festo duplici minori ageretur; Vesperae in ipsa Dominica forent de duplici sequenti cum commemoratione Dominicae, dein de semiduplici simplificato et tandem de die infra Octavam. Ratio est, quia in 1° casu semiduplex simplificatum sit in *concurrentia* cum die infra Octavam, et cum potior Vesperarum pars, sc. a capitulo, si impedimentum non adesset (Dominica nimirum), tunc recitaretur de die infra Octavam; ideo haec illum semiduplicem eo in casu praecedit. — In 2° casu vero semiduplex et dies infra Octavam sunt in *occurrentia*, et haec in ea cedit semiduplici officium; ideoque convenit et oportet ut haec commemorationem, quae stat loco officii, ipsi quoque cedat.

Nego totum. Ratio cur in primo casu (quando in feria II fit de infra octavam), post orationem dominicae fit prius commemoratio de die infra octavam, est quia de ea in crastino fit officium, nempe quia officium de infra octavam *concurrit* cum dominica; et dein fit commemoratio semiduplicis simplificati. In secundo autem casu (quando in feria II fit de duplici, et in dominica facta sit commemoratio semiduplicis simplificati et diei infra octavam), legitime in Vesperis sequentis duplicis, primo agitur commemoratio dominicae, quia *concurrit*, de ea enim actum est officium in die, secundo de semiduplici simplificato, et tertio de die infra octavam. Cum enim tam semiduplex quam dies infra

octavam, impediantur a dominica, ambo simplificantur; et inter duo officia simplificata, quae simul una die occurrunt, primo commemoratur dignius, et postea minus dignum. Nil ergo habet contra nostram sententiam hoc secundum exemplum, imo eam plane confirmat.

Ex supradictis iam satis liquet veram interpretationem Decreti S. R. C. d. d. 18 Decembris 1779 *in una Ord. Min. Obs. ad 1, 2 et 3* esse illam (si sc. rite intelligatur), quae ab A. a Carpo *(Comp. Biblioth. Liturg. part. II, n. 87)* traditur, nimirum: « 1° Ex duobus impeditis Officiis, si simul **occurrant**, de illo prius commemoratio agenda est, quod (i. e. cuius officium), impedimento (occurrentiae scilicet) secluso, (secundum regulas occurrentiae) persolvi oporteret. — 2° Si vero simul **concurrant**, de illo prius, de quo, si impedimentum (concurrentiae sc.) non adesset, (iuxta leges concurrentiae) recitarentur Vesperae integrae, vel a Capitulo, vel dimidiae ».

Sed notatu dignum est quod plures commemorationes de officiis eadem die incidentibus et a legibus occurrentiae impeditis, etiam in Vesperis simul *concurrere* possint cum aliis commemorationibus de officiis a legibus concurrentiae impeditis (de quibus sc. sola commemoratio celebranda est). Eo in casu commemorationes eadem die incidentes prius iuxta leges *occurrentiae*, uti pro officiis fit, ordinandae sunt; eaeque tunc cum aliis de officiis in concursu impeditis iuxta regulam praedictam (2°) determinandae sunt, quaenam ex his praelationem obtinent. Et ita patet quod tota supracitati Decreti dispositio etiam in Vesperis suam applicationem habere queat.

Sumamus exemplum a patronis controversiae allatum: in Dominica Septuagesimae agendum est

de Festo duplici maiori, sc. de S. Familia, et redigenda ad ritum simplicem S. Agnes per se duplex; in Sabbato actum est officium semiduplicis S. Liberatae. Quomodo ordinandae sunt Vesperae in Sabbato? — R. 1° ordinamus commemorationes *occurrentes*, sc. Dominicam et S. Agnetem. Atqui iuxta leges *occurrentiae* Dominica Septuag., utpote privilegiata, est praeferenda ante S. Agnetem duplicem. — 2° Nunc ordinamus commemorationes *concurrentes* iuxta leges *concurrentiae*, sc. *primo* Dominic. cum S. Liberata, et statim patet Dom. priorem locum obtinere, *deinde* S. Agnes cum S. Liberata, et iterum evidens est S. Agnetem praecedere S. Liberatam. Ergo Vesp. erunt in illo Sabbato: Vesp. de S. Familia, cum Com. Dom., S. Agnetis simplificatae, et S. Liberatae.

Non videmus quomodo haec a praecedentibus deducantur. Auctor dixit paulo ante: *Sed notatu dignum est quod plures commemorationes de officiis eadem die incidentibus, et a legibus occurrentiae impeditis etiam in Vesperis simul concurrere possint cum aliis commemorationibus, de officiis a legibus concurrentiae impeditis* (*de quibus scilicet sola commemoratio celebranda est*).

Aurea sententia haec est, in casu autem a nobis proposito, de S. Liberata actum est officium in Sabbato, ergo non tantum *commemoratio eius concurrit*, bene vero eius *officium;* prius itaque ordinandae sunt in Vesperis orationes officiorum quae revera concurrunt, ac postea ordinandae commemorationes; scilicet ordinandae orationes illorum officiorum, quae cum sint impedita, *nihil aliud* habere possunt in Vesperis nisi meram commemorationem, ut dicit Gavantus.

II. — Praefata sane est doctrina quasi unanimis Auctorum Liturgicorum et plane conformis Rubricis Breviarii. Sed utrum illa adhuc hodie-

dum sit sequenda, praesertim post Decret. S. R. C. d. 15 Nov. 1890, est quaestio quae in praesentiarum a viris liturgicis est discutienda, quaeque a Patronis praefata controversiae revera sufficienter usque nunc non fuit tractata. Videamus ergo, nostramque opinionem hac de re explicemus.

Ut unusquisque statum quaestionis mox videat, sequentia Decreta S. R. C. omnino opposita prae oculis lectorum vestrorum primum ponere necessarium iudicamus:

I.

« Dies Octava Sancti proprii, cadens in Festum Conceptionis Beatae Mariae, et Dominica II. Adventus die 7 Decembris, utrum in 1.is Vesperis B. Mariae, primo loco fieri debeat commemoratio de Dominica Adventus, et postea de die Octava Sancti proprii? ».

S. R. C. die Ian. 1693 respondit: — « Concurrente Dominica II. Adventus die 7 Decembris cum Festo Conceptionis B. M. V., et die Octava Sancti proprii, fieri debet in Vesperis *prius*

II.

« An concurrente commemoratione Festi ritus duplicis simplificati cum commemoratione Dominicae privilegiatae, huius commemoratio praecedere debeat alteram de festo duplici simplificato, vel viceversa? ».

S. R. C. die 15 Novembris 1890 respondit: — « Affirmative ad primam partem; negative ad secundam ». *In Nitrien.* ad 1.

commemoratio Sancti proprii, deinde de Dominica, iuxta dispositionem Tabellae II. de concurrentia Dominicae Maioris, sive primae et secundae classis cum die octava, ut ibi Regula 3, quemadmodum praecise docet Rubrica Breviarii Romani de Commemor. num. 11 ». *In una Galliarum ad 7 (ap. Gardellini n. 3301).*

Notandum est circa haec duo Decreta: — In 1° Decreto agitur de Dominica privilegiata, et haec *concurrit* cum die Octava Sancti proprii ad ritum simplicem redigenda; utraque tamen habent in Vesp. diei 7 Decembris solam commemorationem. — In 2° Decreto quoque agitur de festo ritus duplicis simplificati *concurrente* cum commemoratione Dominicae privilegiatae.

2. — In 1° Decreto Commemoratio diei Octavae (per se duplicis) ad ritum simplicem redactae in *Concurrentia* praecedit alteram de Dominica privilegiata. — In 2° vero Decreto omnino oppositum disponitur, sc. commemoratio Dominicae privilegiatae praecedit illam de festo ritus duplicis simplificati.

3. — In 1° Decreto S. R. C. allegat rationem talis dispositionis, nimirum « *iuxta dispositionem Tabellae secundae de concurrentia Dominicae maioris, sive primae et secundae classis, cum die Octava, ut ibi regula 3* ». Ibi autem habet Tabella « *To-*

tum de sequenti », sc. de die Octava « *Commemoratio de praecedenti* », nempe de Dominica. Supra hoc rite observat Cavalieri (tom. 2, c. 18, Decr. 3, n. 1): « Quod hic Congregatio ex eo, quod Vesperae dentur diei Octavae, infert, quod huius commemoratio prius fieri debet, quando ob impedimentum Vesperas habere non potest, sed solam commemorationem ». — « *Quemadmodum*, subdit insuper 1^m^ Decretum, *praecise docet Rubrica Breviarii Romani de Commemorat. num. 11* », per haec nimirum verba: « *de duplici fiat ante Dominicam* ». Ex hoc quoque infertur Dominicam maiorem, quamvis in *occurrentia* praecedat duplicem et diem Octavam, in *concurrentia* per se non esse nisi semiduplicem, ipsique nullum privilegium praeferentiae per se inhaerere.

Porro Tabella 2, de Concurrentia Dominicae maioris cum festo ritus duplicis sub regula 3, et Rubrica Breviarii de Commemorat. num. 11, idem ordinat uti supra in concurrentia Dominicae maioris cum die Octava. — S. R. C. tamen in 2° Decreto omnino oppositum ordinare videtur.

Hinc quaestio est, quare talis differens dispositio a parte S. R. Congregationis de eadem re, et quodnam Decretum adhuc hodie sit sequendum?

Si 2^m^ Decretum non erat oppositum Rubricis gener. et Tabell. Concurr. Breviarii, nulla difficultas haberetur; eo enim in casu 2^m^ Decretum, utpote posterius, anteriori praeferendum foret.

Quod me attinet, dispositio 2^i^ Decreti, sc. d. 15 Nov. 1890, prout supra sonat, mihi omnino inintelligibilis videtur; illudque apparet, vel non

authenticum, vel mendose allegatum, (1) vel alicui casui particulari applicabile qui non est sufficienter expressus. Cum tamen 1^{m} Decretum, ut vidimus, sit omnino conforme Rubricis gener. Breviarii et Tabell. Concurrentiae, et 2^{m} Decretum, prout sonat, ipsis contrarium videatur; insuper cum S. R. C. nequiret, nec ipsi deceret, *sola declaratione ad aliquod dubium cuiusdam Dioecesis particularis* tum Rubr. gen. tum Tabell. Concurr. Breviarii derogare vel reformare sine approbatione SS. Pontificis; ideo S. R. C. hoc neque voluit. Consequenter donec aliter non sit probatum, nec decisum, sequendum esse adhuc hodie 1^{m} Decretum *in una Galliarum* mihi omnino videtur.

Ita salvo meliori.

Batavus.

Non unum liturgicum virum, alioquin laudabilem, atque praeclarum, audivimus ancipitem esse, quando S. R. C. decreta videntur contraria Rubricis. Alios audivimus, etiam Romae distinguentes inter leges liturgicas quae vim habent a Rubricis, et inter leges quae vim habent a decretis; quasi et eadem non esset Auctoritas quae Rubricas adprobavit et decreta promulgat.

Rubricae sane observandae sunt, summoque studio venerandae, sed et decreta S. R. Congregationis, quae auctoritatem habet Rubricas interpretandi vel etiam immutandi, prout fecit et facit, non minori cura et obsequio accipienda sunt. Imo, in dubio, decreta utpote recentiora Rubricis ob-

---

(1) Miranda plane eiusmodi loquendi ratio! Nos tamen dicimus hanc decreti dispositionem, et facillimi esse intellectus, et vere illud esse authenticum, iure allegatum, et singulis eiusdem naturae casibus applicabile, uti ex postrema adnotatione patebit. *(Nota Redactionis).*

servanda sunt, et standum est potius cum decretis quam cum Rubricis, quia legislator suam mentem immutare potest, et lex nova praevalet antiquae.

Itaque, S. R. C. suo decreto 15 Novembris 1890 *in Nitrien.* Rubricas explicavit, et si vult contradictor noster, quoque in casu nostro immutavit, et optime per omnem modum. Cum enim dominica privilegiata impediat in occurrentia duplex minus, hoc simplificatur. Quomodo ergo in II[is] Vesperis, licet hae sint integrae de sequenti duplici, commemorabitur duplex simplificatum in dominica, et postea dominica ipsa? Nonne de dominica actum est totum officium, et de simplificato mera commemoratio? Quomodo ergo quod minoris dignitatis fuit in I Vesperis, in Laudibus et Missa, in II Vesperis dignius evadet?

Quamobrem, licet in II Vesperis Dominica cedat omnia sequenti duplici, nihilominus, ius ad Vesperas ipsa haberet, quo iure caret omnino duplex simplificatum (EN VIS ET ROBUR ARGUMENTI NOSTRI in quo insistimus). Igitur bene interpretata est Rubricas S. R. C. in suo decreto 1890, et iure meritoque decrevit, in casu prius agendam esse commemorationem dominicae privilegiatae, et postea duplicis simplificati; quia de dominica, *secluso impedimento sequentis duplicis, celebrarentur integrae vesperae*, ut declaravit aliud citatum decretum 18 Decembris 1779, cuius hoc recens nihil aliud est, nisi nova confirmatio.

Doct. PETRUS PIACENZA.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Germania*. **De tono Orationum.** Decretum *Marianopolitana* ad XIII, d. d. 18 Iul. 1885 declarat: « Orationes in casu *(extra Missam et Officium)* cantandas esse recto tono, cum unica vocis inflexione in fine cuiusque Orationis. » Quaeritur 1. Quomodo huiusmodi inflexio sit intelligenda? 2. An praefata dispositio respiciat tantum Orationes pro Benedictione Sacramenti proprie dicta, an etiam alias omnes seu ante seu post *Tantum ergo?* 3. An diversa Orationes canendi ratio ubique obliget, an potius conformare se omnes possint usui Romae, in qua Orationes ad Benedictionem eodem modo cantantur ac in Missa et officio?

Resp. 1. Caeremoniale Episc. (*Edit. ant.*) duos admittit Orationum tonos, alterum festivum, ferialem alterum, id est solemnem et simplicem. Illo utimur in Missa et Officio vivorum cantatis: isto in Missa et officio cantatis defunctorum, et extra quamcumque Missam et Officium. Postremus hic tonus nullam ab initio ad finem vocis inflexionem habet, exceptis Orationibus extra Missam in officiis defunctorum, quae terminantur cum unica inflexione vocis a *Fa* ad *Re* (*Lib. I, cap. XXVII*). Caeremonialis autem Editio recentior docet, tres esse Orationum tonos, non duos; et generaliter vocis inflexionem unicam in fine a *Fa* ad *Re* requiri in Orationibus extra Missam et Officium: in quo cum prima editione non convenit (*Loc*

cit. n. 3). Iam nunc Decreti supercitati obiectum sunt Orationes extra Missam et Officium, *an scilicet cantandae sint in recto tono, an vero cum duplici vocis a* **Fa** *ad* **Re** *inflexione?* Sacra vero Congregatio respondet, non duplici vocis inflexione eas esse canendas. At quomodo duplex, et quomodo unica haberi potest inflexio vocis in fine? Credimus duplicem et unicam inflexionem idem prorsus significare: quod antequam contradictorium iudices, audi explicationem. Unica inflexio vocis facienda in fine Orationis, ait S. R. C.; at Oratio habet suum terminum, et habet quoque conclusionem; unica ergo facienda vocis inflexio, tam in fine Orationis, quam in fine conclusionis. Adeo ut per unicam inflexionem vocis, exclusae maneant aliae inflexiones, quas agimus in Orationibus festivis. Duplex autem vocis inflexio nominatur in quaesito: hoc est, et in fine Orationis et in conclusione; ergo unicam et duplicem inflexionem vocis idem significare dicendum est.

Resp. 2. Haec dispositio respicit, iuxta antiquam Caeremonialis Editionem, Orationes quae canuntur in officiis defunctorum, non tamen in Missa: iuxta Editionem recentiorem autem, respicit omnes Orationes, tam in officio defunctorum, Missa excepta, quam in aliis rerum adiunctis cantandas. In utroque tamen casu pro omnibus Orationibus, non singulae intelligendae sunt, si simul et ad modum unius canantur, sed ultima tantum; omnes et singulae vero intelligendae, si separatim concinantur (*Caerem. Episc. loc. cit. n. 3*). Ex his sequitur, non tantum Orationes ad Benedictionem proprie dictam, sed etiam quae post *Tantum ergo* sunt canendae, unicam habere vocis inflexionem,

iuxta editionem recentem a *Fa* ad *Re:* iuxta aliam vero anteriorem, nullam inflexionem. Tu autem quaeres: si ita res se habeat, cuinam Editioni adhaerendum? Pluribus de causis adhaerendum credimus antiquae Editioni, maxime propter duo: 1. quia ritus antiquus et Cappella papalis ita exigunt *(Caerem. Episc. edit. antiq. Lib. I, cap. XXVII,* § *unic.):* 2. quia mutatio in Editione recentiori, satis probabilius, nec tardius, ut credimus, iterum mutabitur iuxta praefatam antiquam. Qui ceterum novae conformare se velit, absit a nobis ut eum censura notemus.

Resp. 3. Sensus tertii quaesiti sequens est. Romae in pluribus auditur Ecclesiis Orationum cantus extra Officium et Missam, exposito etiam Sacramento; et tonus illarum est solemnis, non ferialis. Nonne quod fit in Urbe, fieri potest et extra? — Quin de discrimine loquamur inter solemnem et simplicem Orationum tonos, quod lectores dignoscere ponimus, respondemus, hoc in negotio nimis non esse insistendum; quia agitur de cantu, pro quo perfecte exequendo scientia non sufficit; sed plures necessariae sunt naturae dotes, quibus multi Sacerdotes carent. Contenti proinde simus oportet de modo possibili, quo dictae Orationes a pluribus canuntur Sacerdotibus: qui, si velint inter simplicem tonum et solemnem discrimen ponere in praxi, oleum et operam perderent, et fortasse excitarent risum. Haec quidem vera; nihilominus stat principium legis, duplicem esse tonum Orationum: solemnen adhibendum esse in Missa et Officio solemnibus: simplicem in aliis quibuscumque functionibus. Hic autem nullam variationem admittit, si a vocis inflexione abstrahas a

Fa ad *Re* in defunctorum officio. Concludendum itaque, factum, maxime in casu, non posse probare ius, ad quod tenentur Sacerdotes.

II. *E Gallia.* **De ordine commemorationum in Vesperis.** Si Sabbato factum fuerit de semiduplici, et in Dominica sequenti duo festa occurrant, alterum dup. min. fixum, alterum dup. 2 cl. mobile, qualis ordo sequendus pro commemorationibus in Vesperis eiusdem Sabbati?

Resp. Iuxta ea, quae alibi in his *Ephemeridibus* exposita sunt, 1ma com. post Orationem diei facienda est de officio concurrente, si tamen alia de lege, intelligas, omittenda non sit: reliquae commemorationes sequuntur consuetum ordinem, pro uniuscuiusque officii ritu et dignitate. Ergo in casu ordo commemorationum esse deberet sequens: Cum integrae Vesperae fieri debeant de festo mobili, quod dup. est 2 classis, esset 1. com. de semiduplici quia concurrit: 2a de festo fixo, quod erat dup. minus: 3a de Dominica, quae est semiduplicis ritus, et in primis Vesperis nunquam omittitur. Verum, cum de semiduplici concurrente in casu, alterius vi legis, fieri com. non debeat, omittenda erit: ut post Orationem de festo mobili duae tantum commemorationes praedictae fieri debeant.

Fortasse omissio commemorationis semiduplicis concurrentis in casu, uti inconveniens haberi poterit; namque, si eiusmodi comm. utpote concurrens tanti fit, ut aliis etsi potioris ritus, non tamen concurrentibus, praeferatur, quare autem in casu adeo minoris gravitatis apparet, ut vi Rubricarum omitti debeat? Sed respondemus, id non esse inconveniens; quia vi diversae legis officium

semiduplex in casu desinit concurrere. Sicut ergo ob concurrentiam, quamvis inferioris ritus, aliis praefertur; ita ob eiusdem concurrentiae defectum penitus omittitur. Ad alias autem commemorationes quod attinet, in casu eae fiunt, quia praeter illas nihil aliud fieri de officio potest. Consequenter, cum semiduplicis officium, ratione concurrentis duplicis 2 classis, ad Nonam cesset, non videmus illud inconveniens in illius commemorationis omissione, quam Rubricae exigunt; quia vim concurrendi penitus amisit.

III. *Ex alio Galliae loco.* **De modo dirigendae Benedictionis cum pixide.** 1. Quibus sacris vestibus indutus Sacerdos Benedictionem peragere debeat cum pixide? 2. Potestne servari consuetudo pixidem collocandi super mensa altaris?

Resp. 1. Pro Benedictione cum pixide, utpote minoris solemnitatis, sufficit ut Sacerdos superpelliceum et desuper stolam induat. Hanc quoque agendi rationem praescribit Rituale Romanum in Benedictione post administratum Viaticum. Non tamen ulla lege vetitus est usus pluvialis, sed neque praescriptus, pro benedictione cum pixide. Ubi consequenter lex tacet, agentibus libertas tribuitur se gerendi meliori ratione qua possunt.

Resp. 2. Rituale Romanum haec habet post administratum Viaticum: « Cum pervenerit ad Ecclesiam, ponit Sacramentum SUPER ALTARE, deinde dicit, etc. (*Tit. IV, cap. 4, n. 21*) ». Hoc autem Sacramentum, cum esse in pixide nemo nesciat, iam patet nihil obstare quominus pixis in Benedictione collocari *per se* super altare possit. Nihilominus casum inter et casum distinguendum est, agitur enim de iure positivo. Quod autem pro Be-

nedictione post Viatici administrationem ius docet fieri, pro eadem Benedictione in aliis diversis casibus Decreta prohibent: decreta, inquam, non solum S. R. Congñis, sed et aliarum Romanarum Congñum (*V. num. 6 huius an. 1894, pag. 343, II*). Ne prolixiores simus, contenti sumus referre Decretum aliis recentius, cui ipse Rev. Consulens innititur in suo exponendo dubio, quodque est *Olinden.* ad 1, d. d. 16 Mart. 1876. Hoc autem quaerit: « Estne toleranda praxis extrahendi e tabernaculo sacram pixidem, eamque velatam sub umbella collocandi, populo benedicendi gratia? » Responsio autem sequens est: « Detur Instructio edita a s. m. Benedicti Pp. XIV, hoc est: Eucharistiae tabernaculum *solum* aperiatur, et sacra pixis clausa suoque velamine obtecta populi oculis obiiciatur... Verum penitus interdicitur sacram pixidem extra tabernaculum efferri etc. etc. ». Ergo in Benedictione cum pixide Sacramentum collocari non debet super mensam altaris: hoc ius, contra quod nihil facta probant. Eodem autem modo aliae iudicandae consuetudines, si quae fuerint, iuri liturgico oppositionem dicentes.

IV. *E Bavaria.* **De commemoratione officii occurrentis in Missa « Rorate »**. Indultum adest, ut in Adventu quotidie cantetur Missa votiva *Rorate* de Beata, idque fiat in Ecclesiis, ubi unus tantum est Sacerdos, cum com. tum officii tum feriae occurrentis: in aliis Ecclesiis cum unica Oratione. Quaeritur: Utrum diebus, quibus praeter Missam votivam *Rorate* in eadem Ecclesia tantum celebretur una Missa cantata pro die obitus vel anniversaria in duplicibus, vel plures Missae defunctorum in semiduplici, nulla autem Missa de die,

Missa cantata *Rorate* celebranda sit cum commemoratione officii diei, an potius sine eadem, cum unica Oratione?

Resp. Huiusmodi Missa dicenda est cum commemoratione officii et feriae occurrentium. Ratio enim, ob quam Ecclesiis, quibus unus est tantum Sacerdos, Missa *Rorate* conceditur quidem, sed cum praefatis commemorationibus, est quia supponitur ibidem unam tantum fieri Missam, et consequenter non posse aliam fieri de die, sicut in aliis, in quibus duo saltem Sacerdotes celebrant. Omissio itaque Missae de die rationem constituit praefatarum commemorationum. Nunc autem, posita in duplici et semiduplici aliarum celebratione Missarum de requie, ratio praefata perdurat adhuc, quippe quae non admittant praedictas commemorationes. Ergo Missa *Rorate* easdem commemorationes feret. At obiicies: huiusmodi commemorationes ne locum quidem habent in casu in illis Ecclesiis, quibus plures sunt Sacerdotes; quia maxime in semiduplici omnes possunt facere Missam de requie, praeter illum qui Missam *Rorate* canit. Sed generaliter negari potest suppositum, quia Missa de die in Ecclesiis collegialibus omitti non potest: ut falsum sit, non dari in illis locum eiusmodi commemorationibus. Ad alias autem quod attinet Ecclesias, quibus plures sunt Sacerdotes, si uno vel altero casu comprobetur, easdem commemorationes omitti, id significat, Indultum non potuisse respicere universos et singulos casus pro servandis praefatis commemorationibus. Nihilo tamen minus, cum lex indultiva Missam *Rorate* permittat cum unica Oratione, in eo etiam casu, severius loquendo, stare Indultum poterit.

Sed non videmus, qua ratione eodem possint Indulto uti Ecclesiae illae, quae eo non gaudent, licet una vel altera vice plures habere valeant Sacerdotes. Haec Indulto inhaerentes; sed credimus, ita Indultum esse potius accipiendum, ut semper in Missa *Rorate* faciendae sint occurrentes commemorationes, quoties et fieri in Missa de die deberent, et ex defectu Celebrantis fieri non possunt.

V. *Ex eodem loco.* **De commemorationibus in quibusdam Missis solemnibus, ubi non est obligatio chori.** Missae de Patroni festo transferendo et de festo quoad solemnitatem translato in sequentem Dominicam, si alia de die cantetur vel legatur Missa, admittitne commemorationes occurrentes, an unicam Orationem?

Resp. Circa Missam de festo Patroni, quod transferri debet, nulla est difficultas; quia, Rubricis Missalis et Decretis inter se collatis, certum est principium tenendum: nempe dictam Missam esse canendam cum unica Oratione. Rubricae inter se conferendae sunt, num. 14 Tituli IX, et num. unicus Tituli VI: in quibus edicitur cantari posse Missam de Patrono transferendo etiam in nonnullis duplicibus solemnioribus 1. classis, et Missam votivam pro re gravi aut pro publica Ecclesiae causa cum unica Oratione esse canendam. His Rubricis si applicemus Decreta, palam fiet, Missam huiusmodi nullam admittere commemorationem, sive ratione solemnitatis, sive ratione causae quodammodo publicae, ob quam canitur. Sufficiat afferre Decretum *Clodien.* ad IV, d. d. 7 Aug. 1875, quod sequens est: « An quando iuxta Rubricas cantari potest Missa solemnis pro re gravi, si non cantatur Missa de officio, debeant

in Missa solemni adiungi Oratio de officio et aliae Orationes praescriptae, vel una tantum dici debeat Oratio? Et an idem faciendum sit quando canitur Missa solemnis de festo, quod iuxta Rubricas transferri debet?...» Iam audi responsum: « Ad IV. Quoad primam et secundam quaestionem in Missis solemnibus pro re gravi, ac in illis de festo, quod iuxta Rubricas transferri debet, unicam Orationem esse dicendam, ubi onus Missae conventualis non est ».

Circa alteram vero Missam de festo quoad solemnitatem translatum, negotium non potest eadem certitudine componi. Habentur enim plura Decreta, maxime pro Ecclesiis Galliarum emanata, quae toto quidem iure ad alios identicos casus in aliis Ecclesiis occurrentes extendi possunt, sed non omnem adimunt difficultatem. Cum enim agatur in casu de Ecclesiis, in quibus non est obligatio officii, certum est, occurrentes in ea Missa commemorationes esse faciendas; sed dubium manet adhuc, an omnes indiscriminatim fieri debeant, an illae tantum, quae numquam omittuntur. Hoc nos sustinemus, non illud, cum Guyeto et Merato, quos cl. De Herdt citat, et quibus non clare quidem adhaeret, sed nec opponitur. Sed ab auctoribus abstrahentes, ius apparet statutum in Decreto *Lucionen.* ad 1, d. d. 23 Dec. 1884, quod in Missa de festo, quoad solemnitatem translata, etiam ubi non fiat officium publicum, docet non esse agendam commemorationem de infra octavam nec de simplici occurrentibus. Ergo, potest inferri, in tali Missa non omnes occurrentes commemorationes sunt agendae, sed aliquae tantum. Quaenam vero esse hae possunt, nisi illae quae

nunquam omittuntur? Quod si autem, licet non adsit obligatio chori, Missa tamen alia canatur vel etiam legatur de die, pro indubio habendum est, hoc in casu nullam agendam in Missa de solemnitate translata commemorationem. Id etiam supercitatus De Herdt docet (*Pars 1, n. 45*); et ratio certa suadet; ut enim superius in solutione Dubii III animadvertimus, ratio commemorationum faciendarum, est defectus Missae conventualis. Ergo si haec habeatur, eadem ratio cessat, et commemorationes omittendae, uti etiam ex pluribus Decretis constat.

VI. *E Polonia.* **De integro psalmo « Miserere » dum cadaver ad Ecclesiam defertur.** Quaeritur, utrum psalmus *Miserere* per integrum sit dicendus in associatione cadaveris, quando iter e domo ad Ecclesiam nimis breve sit?

Resp. Probabilius negative. Cantus enim huiusce psalmi praescribitur pro itinere agendo e domo ad Ecclesiam; ergo itinere expleto, ratio eumdem canendi amplius non existit. Ubi enim canendus? Numquid in Ecclesia? Sed iuxta Rituale *ad ingressum Ecclesiae repetitur antiphona* « Exultabunt »; ergo psalmus absolutus supponitur in itinere. Post antiphonam autem canendum est responsorium *Subvenite.* Videtur ergo psalmus *Miserere* canendus non esse in Ecclesia. At ob itineris brevitatem absolvi nequit in via; ergo, sicut de more quidam repeti versus possunt, si aliquantulum remanet itineris agendi antequam funebris processio ingrediatur Ecclesiam, ita iidem omitti etiam posse videntur, si brevius iter fuerit.

Nota. Ritus genua flectendi ad *Pater noster*, post cantum *Libera* et *Kyrie eleison*, est prorsus

novus. Rituale namque praecipit clero circumstanti esse standum (*Tit. VI, cap. 3, n. 7*), et de genibus flectendis silet omnino, uti ubique observatur.

VII. *E Belgio.* **De nonnullis ritibus in Benedictione SS. Sacramenti.** 1. Ante et post singulas Orationes liturgicas, in Benedictione SS. Sacramenti, puta de B. Virgine, de Sanctis, ad quorum honorem fit functio, de SS. Sacramento etc., debetne Sacerdos profundam capitis inclinationem facere? 2. Si plures canantur antiphonae vel hymni, ex. gr. in honorem Sancti alicuius, Deiparae, SS. Iesu Cordis etc. quinam ordo tenendus in illis canendis? 3. Licetne in hac Benedictione hymnum canere de SS. Corde Iesu, cum in fine sit explenda per *Tantum ergo* et Orationem de SS. Sacramento?

Resp. 1. Capitis inclinationem profundam, imo mediocrem aut etiam simplicem nulla lex praescribit in casu, et imponenda proinde non est.

Resp. 2. Quando Sacramentum exponitur, ante omnia ipsum adoratur, tam cum incensatione, quam cum aliquo initio functionis, puta cum verbis *In nomine Patris etc. Actiones nostras etc. Deus in adiutorium etc.* Post quod nihil vetat, quominus functio aliqua fieri possit in honorem alicuius ex Santis, vel plurium, dignitate neglecta quoad earum functionum ordinem. Secus dicendum foret, primam functionem esse debere semper in honorem Sacramenti, quae e contra fert consuetudo, ut semper ultimo loco fiat. Non ergo necessum est, ut ordo dignitatis teneatur quando plures sunt agendae functiones, sed sufficit ut respectus habeatur ad tempus, ad devotionem etc.

Resp. 3. Ad hymnum quod attinet SS. Cordis Iesu, arbitramur non esse vetitum illum canere ante Sacramentum expositum, licet in fine cantetur *Tantum ergo*. Ratio est, quia hymnus habet rationem laudis; laudes autem plures optime cantari possunt, quamvis aliquam inter se similitudinem habeant, idemque obiectum. Nihilominus minus fortasse congrue Oratio dicitur de SS. Corde, cum in fine altera dicenda sit de Sacramento, idque ex identitate obiecti. Nihilominus, cum actus, de quibus in casu, extraliturgici sint, et unaquaeque functio quiddam constituit ab aliis functionibus divisum, non videtur censura dignum, ut ipsa post hymnum dicatur Oratio de SS. Corde Iesu, et inde post *Tantum ergo* Oratio canatur de Sacramento iuxta morem. Neque applicanda hic videtur lex de Orationibus in Missa aut in officio, cum diversus omnino sit casus, et de uno actu liturgico agatur.

Nota. Per Orationem *Fidelium Deus* optime suffragamur defunctis, sive duo sint, sive plures, sive unius sive alterius sexus, eaque dicenda pro pluribus defunctis.

VIII. *E dioecesi Labacensi.* **De modo thus adolendi ministris paratis in Missa solemni.** Retineri ne potest consuetudo, ut in Missa solemni, quae canitur a Canonicis in Ecclesia quadam cathedrali praesentibus Capitularibus et clericis, Celebrans triplici, Canonici duplici ductu thurificentur, Diaconus vero et Subdiaconus, qui simplices sunt Presbyteri, unico ductu?

Resp. Affirmative. Licet Diaconus et Subdiaconus sint parati, ut ex eo aliqua, quae necessaria est, praecedentia gaudeant; nihilominus haud

in omnibus id accidit, uti ex. gr. in thure recipiendo, in quo iisdem praecedit chorus. Equidem fere communis est usus, ut superiores ministri duplici incensentur ductu, sicuti generaliter Canonici; nihilominus si alibi consuetudo vigeat, ut unico tantum ductu incensentur, immutandam non credimus, sed servandam, cum suam rationem existendi habeat in ordine dignitatis, qua Canonici ceteris simplicibus Sacerdotibus excellunt. Hinc cl. De Herdt scribit: « Diaconus et Subdiaconus Missae unico tantum ductu sunt thurificandi iuxta Castaldum (*Lib. II, cap. 2, sect. 2, n. 15*), duplici autem iuxta alios etc. (*Prax. Pontif. Lib. I, cap. 23, n. 194, lit. e*) ». Ceterum, cum lex hoc super negotio haud clare se explicet, standum consuetudini est.

IX. *E Nolana dioecesi.* **De quadam genuflexione erga Episcopum.** Tenetur ne clerus, post Benedictionem, dum in sacrarium revertitur, genuflectere Episcopo, ante quem transire debet, et qui in habitu privato fuit functioni praesens?

Resp. Negative; quia clerus in casu liturgicam, vel saltem sacram, functionem peragit, cui Episcopus nullam aliam accipit partem, praeter eam, quam accipit alius quicumque ecclesiasticus aut laicus, quatenus in templo praesens. Adeo ut Episcopus in casu veluti persona omnino privata considerari debeat, et extra sacram functionem. Consequenter non potest cogi clerus ad actum ei exhibendum honoris publici, ac si aliquam haberet partem in functione publica.

X. *E Curenna.* **De Missa exequiali et Oratione in die obitus translato.** Quando aliquis decedit in triduo maioris hebdomadae, nonne Missa nonnisi post

Dominicam in Albis esse debet ut in die obitus? At cum usus hic vigeat diem quoque septimum celebrandi, qui tamen verus dies septimus non est, quaenam Oratio dicenda, *Inclina*, aut *Quaesumus?* an potius dicenda Missa quotidiana defunctorum?

Resp. Notamus in primis, non esse semper Missam exequialem pro defuncto, qui in triduo maioris hebdomadae decessit, post Dominicam in Albis transferendam. Si enim obierit ex. gr. in Sabbato Sancto, privateque suo tempore sepeliatur, Missa in feria II Paschae non est certo vetita. Indubium est enim, posse in casu Missam exequialem cani, si ex civili lege expositum haberi nequeat cadaver in Ecclesia (*Decr. S. R. C. 13 Febr. 1892, apud Caeremoniale Rom. Seraph. n. 992*): dummodo non protrahatur eiusmodi Missa ultra duos dies ab obitu, ut in casu comprobari posset.

Quo notato, et posito Missam esse transferendum in feriam II post Dominicam in Albis, certum est pariter legendam esse Missam ut in die obitus, nihil immutato etiam quoad Orationem iuxta Decreta. Ergo Oratio dicenda non est *Inclina* aut *Quaesumus*, sed quae pro die obitus praescribitur. Neque valet ratio in dubio allata de die septimo, qui tamen dies septimus non est. Primo enim fieri debet Missa translata de obitu, alio inde die, si velit, alia translata Missa de die septimo: quo in casu dicenda Oratio *Quaesumus*, non vero *Inclina*, quae nullam ad septimum diem relationem dicit. Numquam vero pro die obitus aut septimo, licet translatis, Missa quotidiana dicenda, quia de quotidianis illa non est.

XI. *Ex Urbe.* **De quarumdam Vesperarum ordinandarum modo.** Duo calendaria, alterum Cleri romani, alterum Basilicae S. Laurentii in Damaso, die 30 Iunii sequenti modo Vesperas ordinant: « *Vesp. de seq. com. oct. Ss. Ap... diei oct. Nativ. S. Io. Bapt... ac Dom. VII post Pent.* » Sequens autem festum est Pretiosissimi Sanguinis (dup. II cl.) pro Clero romano: pro Ecclesia vero S. Laurentii, SS. Cordis Iesu (dup. 1 cl.), ex privilegio prima Dominica Iulii recolendi. Num recte?

Resp. Affirmative, si agatur de primo, seu de calendario Cleri romani: graviter vero de altero dubitandum. Namque optime utriusque calendarii ordinem procedere quod Vesperas attinet de sequenti, facile intellectu est, attento sequentis festi superiore ritu. At satis aliter res se habet quod spectat commemorationem Ss. Apostolorum. Recte procedit primum, quia eiusmodi commemoratio non solum stat pro com. octavae Ss. Apostolorum, quae Romae facienda est quocumque occurrente festo, sed etiam pro com. praecedentis, videlicet S. Pauli, de quo ad Vesperas usque actum est officium: cuius proinde com. alias praecedat oportet. Sed idem de secundo praedicari nequit; quia, cum de duplici 1. cl. sequenti agendae sint Vesperae, com. praecedentis S. Pauli (dup. mai.) locum non habet: ut proinde com. Ss. Apostolorum stet solum pro simplici com. octavae. Nunc autem animadvertendum primo est, diem octavam S. Ioannis Baptistae esse *per se* duplicis ritus, licet ad instar simplicis *per accidens* redactam, et diem infra octavam Ss. Apostolorum esse ritu inferiorem, nempe semiduplicem; ergo illius commemoratio, huius commemorationi praevalere debet. Secundo, com. diei

octavae S. Praecursoris est de praecepto Rubricarum, com. vero de infra octavam Ss. Apostolorum est ex indulto: et illa huic potior quoque dignitate computari posset: adeo ut etiam ex his de causis illa isti esset praeferenda videatur. Quidquid nihilominus sit, praecedens ratio nimis favens diei octavae S. Ioannis prae infra octavam Ss. Apostolorum negligi non potest. Sed neque id satis est; namque si iuxta Rubricas occurreret dies infra octavam Ss. Apostolorum et Dom. VII post Pent., de quo officium foret faciendum, nisi de Dominica? Atque idem de concurrentia tenendum, saltem quoad secundas Vesperas Dominicae; quod si in Sabbato factum esset de infra octavam Sanctorum Apostolorum, etiam Dominica Vesperas a Capitulo vindicaret sibi. Quia semiduplex dominicalis semiduplici Sanctorum, vi Rubricarum, semper praevalet. Ergo etiam com. Dominicae in casu commemorationi Ss. Apostolorum praevalet. Rectius ergo, quantum videmus, calendarium Ecclesiae S. Laurentii in Damaso sequenti ratione ordinandum fuisset: *Vesp. de seq. com. diei oct. S. Io. Bapt. Dom. VII post Pent. et Ss. Apost.*

XII. *Ex Ebroicis in Gallia.* **De commemoratione Titularis, qui est Nativitas Domini, in suffragiis ad Vesp.** Quaenam antiphona sumenda pro Titulari ad Vesperas commemorando?

Resp. Regula generali inspecta, antiphona dicenda quidem esset, quae in secundis Vesperis habetur Nativitatis Domini, seu *Hodie Christus natus est etc.* At ineptam eam esse in casu facile patet ex peculiari, ad quod relationem dicit, mysterio; quae in commemorationibus communibus semper evitanda. Hinc normae generales sequendae

pro verbis *nativitatem*, *solemnitatem etc.* quae, in Orationibus, mutari debent in *commemorationem etc.* Idem profecto iudicandum de antiphonis in casu, ut cl. De Herdt dicat: « Fit (*commemoratio*) per antiphonam, versum et orationem, quae in festo Patroni vel Tituli dicuntur propria, et alioquin de communi, si propria desint, **vel non conveniant** (*Pars 4, n. 37, 4°*) ». Antiphonam autem *Hodie etc.* nullo pacto convenire, licet propriam, nemo non videt. Quid ergo? Arbitramur, congruentiorem antiphonam in casu esse *Gloria in excelsis*, ut ad Laudes Festi, eamque adhibendam etiam in Vesperis pro com. communi.

XIII. *E Zama aliisque locis.* **De pluviali super cappa, et de usu mozzetae.** Quaeritur 1. Num possit indui pluviale super chorali cappa? 2. Num liceat mozzeta uti in functionibus choralibus, in concionando, et in administratione Sacramentorum et Sacramentalium etc.?

Resp. 1. Cappa choralis est ornamentum, quo plura Canonicorum collegia ex privilegio utuntur, et praecipue adhibetur in choro, vel cum Canonici collegialiter incedunt, induiturque supra cottam, vel super rocchetum pro iis qui eo utuntur. At quando aliud ornamentum adhiberi debeat, quod maximae solemnitatis est, uti pluviale, cappa choralis locum non habet amplius, et deponenda pro pluviali assumendo. Hinc, seu in Caeremoniali Episcoporum, seu in Decretorum Collectione, nil invenire potuimus, quod pluviale supra cappam permittat. Semper enim de pluviali loquuntur, aut super cottam, vel rocchetum pro eo utentibus, aut super cottam et stolam induendo. Usus ergo pluvialis super choralem cappam, usui eius-

dem cappae non respondet, nec ei favent Rubricae, aut Decreta, imo neque Liturgiae doctores.

2. Usus mozzetae indubie limitatus est pro iis, qui illius privilegio gaudent. Namque eam esse omnino interdictam in administratione Sacramentorum et Sacramentalium innumera Decreta docent. Posse tamen eam adhiberi in omnibus functionibus choralibus non est dubitandum, cum pro his praecipue tanquam ornamentum concedatur. Idem dicendum de concione habenda, in qua uti quis de more poterit chorali habitu. Sed notandum, mozzetae usum limitatum, quoad personas et functiones, limitari pariter vi Decretorum quoad locum: ut, privilegio secluso, adhiberi mozzeta nequeat, nisi in propria Ecclesia, more aliorum insignium. Excipe, nisi privilegium alicui Capitulo concessum fuerit, aut capitulariter in alienam conveniat Ecclesiam. Limites autem huiusmodi quemcumque privilegiatum afficiunt, sive sit Beneficiatus, sive Canonicus, sive Parochus.

Generaliter statui potest, usum mozzetae esse permissum, si Collegio alicui sit concessum, quoties uti tale aliquem exercet actum sacrum, Sacramentorum et Sacramentalium administratione semper excepta. Si Parocho concessum privilegium fuerit, mozzeta abstinere semper debet in omni Sacramentorum et Sacramentalium administratione: in aliis actibus sacris, quae uti Parochus peragit, puta cum concionatur, cum processionibus praeest, cum choro assistit, illa uti poterit.

XIV. *E Liguria.* **Super duorum Dubiorum solutione in praeterit. « Ephem. » numero** (*pag. 420, II, et 429 nota*). Unus ex Consociatis animadvertit duos errores in Dubiorum praeteriti num. solutione. Pri-

mus est, festum titulare per accidens translatum secum non ferre octavam, iuxta solutionem primo loco citato in *Ephemeridibus* exhibitam. Error hic est, ait Consociatus; et miratur, solutorem nesciisse Decretum *Engolismen.* d. d. 26 Febr. 1887, declarans Patronum quemdam ob occursum solemnitatis translatae Ss. Petri et Pauli, esse octava donandum.

Resp. 1. Solutor Rubricam de festo octavam habente transferendo exposuit, ratiocinatione ineluctabili fretus, quippe quae pro basi habebat authenticam interpretationem eiusdem Rubricae. ab ipsamet S. R. Congñe factam. Ergo, etsi doctrinam illic a solutore traditam reiicere velis, conclusio de festo Titulari per accidens sine octava transferendo, eadem certitudine gaudet, qua interpretatio Sacri Tribunalis. Admirationem ipsam Consociati nos miramur, quae enim Decreta in Collectione authentica Decretorum esse possunt, et inscripta non sunt, nemo tenetur agnoscere, neque pro certis habere: quod maxime in praesenti verum est, nova quae paratur, Collectione inspecta. Notandum enim Decretum *Engolismen.* pro inscripto die ferre 26 Febr. 1887, Collectio autem refert Decreta eiusdem anni, usque ad 23 mensis Novembris diem. Inter relata vero hocce Decretum non prostat; ergo, sit apocryphum, sit authenticum, nil nostra interest: Decretum, quod certe authenticum est, festo Titulari per accidens translato octavam denegat iuxta Rubricas; ergo huic standum est, stetimus, stamus, et stabimus, usque dum fiat lux. Errorem proinde, parcat adm. Rev. Consociatus, quem ipse videt, nos veritatem profitemur.

Resp. 2. Error irrepsit quidem in nota ad alterius solutionem Dubii, et consistit praecipue in ultimis verbis, quae sunt: *Beatus vir*, cum ponere oportuisset: *Fidelis sermo;* agitur enim de Confessore Pontifice. Inde emendatione quoque indiget distinctio, quae ibidem ponitur inter lectiones de primo et de secundo loco, quae pro Confessore Pontifice locum non habet, cum ad aetatem in iisdem non habeatur ratio. Hinc, si de Scriptura dici nequeant, nonnisi de Communi recitari possunt. Dicendum proinde, solutorem mentis evagationem fuisse passum, eo quod in Dubio notam praecedente agebatur de Confessore non Pontifice. Suppleant ergo, exoramus lectores, quod maxima cum facilitate intelligitur.

Quod autem doctrinam attinet, quam tradit Consociatus noster, teneri illa potest, sed solutori altera diversa magis arrisit, hinc et conclusit: *ita salvo meliori iudicio.* Ait autem cl. Consociatus, lectiones I nocturni pro festo S. Hilarii in Quadragesima occurrente *sumendas esse ex unico loco, seu e communi doctorum, est enim S. Hilarius, Doctor.* S. Hilarium esse ex Doctoribus, convenimus; sed quaerere liceat: quare S. Doctor extra Quadragesimam non habet lectiones Doctorum proprias, sed de Scriptura uti generatim Doctores Graeci? Quare autem intra Quadragesimam habebit *Sapientiam*, potiusquam de Communi? Non credimus satis esse asserere, dispositionem pro S. Ioanne Chrysostomo datam, esse normam in similibus sequendam, sed demonstrare oporteret. Quod nisi fiat, liber relinqui solutor poterit, ut in sua sententia remaneat. Grates sint

interim adm. Rev. Consociato pro animadversionibus suis, maxime pro mentis evagatione, quam detexit, quae emendationi causam dedit.

S. RIT. CONGREGATIO ET CANTUS SACER

Post tot tantaque ad cantum sacrum quod pertinet dissidia, quae privatas personas seu laicas, seu maxime ecclesiasticas augebat, summaque ufficiebat molestia; tandem Leo Papa XIII per S. R. Coñgnem, negotium componere optimum arbitratus est, finemque litibus imponere, eorumque fraenare suprema auctoritate sua audaciam, qui ipsius quasi dicam Ecclesiae magistro esse praesumentes, in dies insolescebant. Satis sit modo tria authentica referre documenta, quaestionum definitionem attingentia, videlicet EPISTOLAM S. R. Coñgnis ad Italiae Episcopos datam, REGULAM pro Musica sacra, seu Instructiones et normas pro ea in ecclesiasticis functionibus adhibenda, eiusdemque studio promovendo, denique DECRETUM. In proximo Ephemeridum numero, favente Deo, Commentaria super praefatis documentis aggrediemur.

Illmo e Rmo Signore,

Benchè il Regolamento per la Musica Sacra, comunicato con autorizzazione Pontificia dalla S. Congregazione de'Riti all'Episcopato Italiano

il 24 Settembre 1884, contenesse molte savie norme per questa importante parte della liturgia ecclesiastica; pur tuttavia nè poche nè lievi difficoltà si opposero nel maggior numero delle Diocesi alla sua esatta osservanza.

A rimuovere siffatti ostacoli, ed a procurare che in ciascuna Chiesa la musica sia degna della Casa di Dio, il Santo Padre, dopo aver fatto interrogare i principali Maestri dell'arte musicale, e conosciuto il parere di molti Ordinarî delle diverse parti d'Italia, dispose che la stessa S. Congregazione in plenaria adunanza sottoponesse a maturo esame il grave argomento, e indicasse quali delle prescritte regole dovessero meglio chiarirsi, quali modificarsi, e quali istruzioni aggiungersi per ottenere più facilmente il bramato intento.

Frutto di questa ben ponderata discussione è il nuovo Regolamento, che, dopo la formale approvazione di S. Santità, s'invia qui accluso alla S. V. Illma e Rma.

Delle due parti, in che esso si divide, la prima contiene le norme generali da osservarsi nella composizione ed esecuzione della musica Ecclesiastica; l'altra le istruzioni per promuoverne lo studio, e insieme per impedire che si oltrepassino i limiti assegnati ai cultori di quest'arte, e si menomi comechessia l'autorità della Chiesa in tutto ciò che concerne il culto divino.

Inoltre, essendo in questi ultimi anni ravvivate le antiche discussioni sul canto fermo, non ostante i molteplici atti della Santa Sede che lo riguardano, la Santità Sua volle altresì che questo argomento fosse di nuovo trattato, e le insorte questioni esaminate e risolute dalla S. Con-

gregazione. La quale, tenuto presente tuttociò che all'uopo erasi proposto, ha giudicato non doversi recedere dalle già emesse prescrizioni. Ciò rilevasi dal Decreto, che, sanzionato anch'esso dalla Suprema Autorità Pontificia, è parimenti unito alla presente Circolare.

La S. Congregazione invita quindi la S. V. Illm̃a, anche in nome del Santo Padre, a procurare col suo ben noto zelo l'esatto adempimento di queste disposizioni, le quali, mentre giovano ad allontanare ogni cagione di spiacevoli controversie, rendono più facile nelle diverse funzioni ecclesiastiche l'uso della musica corrispondente al sacro rito.

Adempito così all'officio che gli incombeva, il sottoscritto gode di confermarsi con perfetta stima ed osservanza

Di V. S. Illm̃a e Rm̃a

Dalla Segreteria della S. Congregazione dei Riti, li 21 Luglio 1894.

Affm̃o come Fratello

G. Card. Aloisi-Masella. *Prefetto.*

Luigi Tripepi, *Segretario.*

La Sacra Congregazione de' Riti nelle Adunanze Ordinarie del 7 e 12 Giugno 1894, dopo matura discussione, ha approvato il seguente

REGOLAMENTO PER LA MUSICA SACRA

Parte I.

Norme generali per la musica da usarsi nelle funzioni ecclesiastiche.

Art. 1. — Ogni composizione musicale informata allo spirito della sacra funzione che accompagna, rispondendo religiosamente al significato del rito e delle parole, muove a devozione i fedeli, e quindi è degna della Casa di Dio.

Art. 2. — Tale è il Canto Gregoriano, che la Chiesa riguarda come veramente suo, e quindi il solo che adotta nei libri liturgici da essa approvati.

Art. 3. — Il Canto Polifono eziandio, come anche il canto cromatico, purchè forniti delle suddette doti, possono convenire alle sacre funzioni.

Art. 4. — Nel genere polifonico viene riconosciuta degnissima della Casa di Dio la musica di Pierluigi da Palestrina e dei suoi buoni imitatori; come, per la Musica Cromatica, si riconosce degna del culto divino quella che ci venne trasmessa fino ai nostri giorni da accreditati Maestri di varie scuole italiane ed estere, e specialmente dai Maestri Romani, le cui composizioni furono lodate più volte dalla competente Autorità siccome veramente sacre.

Art. 5. — Essendo ben noto che una composizione anche ottima di musica polifonica può divenire sconveniente per una cattiva esecuzione; in tal caso si adoperi nelle funzioni strettamente liturgiche il Canto Gregoriano.

Art. 6. — La musica figurata da organo deve in genere rispondere all'indole legata, armonica e grave di questo strumento. L'accompagno istrumentale deve sostenere decorosamente il canto, e non opprimerlo. Nei preludii ed interludii così l'organo come gli strumenti conservino sempre il carattere sacro, corrispondente al sentimento della funzione.

Art. 7. — L'idioma da usarsi nei cantici durante le solenni funzioni strettamente liturgiche sia la lingua propria del rito, ed i testi *ad libitum* si prendano dalla Sacra Scrittura, dall'Officiatura, o da inni e preci approvate dalla Chiesa.

Art. 8. — Nelle altre funzioni si potrà usare la lingua volgare, prendendo le parole da divote ed approvate composizioni.

Art. 9. — È severamente proibita in Chiesa ogni musica per canto, o per suono d'indole profana, specialmente se ispirata a motivi, variazioni e reminiscenze teatrali.

Art. 10. — Per provvedere al rispetto dovuto alle parole liturgiche, ed escludere la prolissità della sacra funzione, è proibito ogni canto, nel quale le parole si trovino anche in minima parte omesse, o trasportate fuori di senso, o indiscretamente ripetute.

Art. 11. — È proibito il dividere in pezzi affatto staccati quei versetti, che sono necessariamente collegati fra loro.

Art. 12. — È vietato l'improvvisare, detto *a fantasia,* sull'organo a chiunque nol sappia fare convenientemente, cioè in modo da rispettare non solo le regole dell'arte musicale, ma quelle altresì che tutelano la pietà ed il raccoglimento dei Fedeli.

Parte II.

Istruzioni per promuovere lo studio della Musica Sacra e per allontanarne gli abusi.

I. Essendo la Musica Sacra parte della Liturgia, si raccomanda ai R̃mi Ordinarî di prenderne cura speciale, e di farne argomento di opportune prescrizioni, soprattutto nei Sinodi Diocesani e Provinciali, sempre però conformi al presente Regolamento. Il concorso dei laici è ammesso sotto la vigilanza e dipendenza dei rispettivi Ordinarî. Non si possono formar comitati, nè tenere congressi senza l'espresso consenso dell'Autorità ecclesiastica; la quale per la Diocesi è il Vescovo, per la Provincia il Metropolita coi suoi Suffraganei. I periodici di Musica Sacra non possono pubblicarsi senza l'*imprimatur* dell'Ordinario. È al tutto proibita qualsiasi discussione sugli articoli del presente Regolamento. Nelle altre materie poi risguardanti la Musica Sacra, essa è lecita, purchè 1° si osservino le leggi della carità: 2° nessuno si eriga a maestro e giudice altrui.

II. I R̃mi Ordinarî faranno esattamente adempire dai Chierici l'obbligo di studiare il canto fermo, quale specialmente si rinviene nei libri

approvati dalla Santa Sede. Quanto poi agli altri generi di musica ed al suono dell'organo, non ne prescriveranno ai Chierici l'obbligo, per non distoglierli dagli studî più gravi, ai quali debbono attendere. Se però alcuni di essi fossero già istruiti in tal genere di studì, o ne mostrino particolare disposizione, potranno loro permettere di perfezionarsi nei medesimi.

III. Invigilino assai i medesimi Rm̃i Ordinarî sui Parroci e Rettori di chiese, affinchè non permettano esecuzioni musicali contrarie alle norme del presente Regolamento; valendosi ancora secondo il loro arbitrio e prudenza, delle pene canoniche contro i disobbedienti.

IV. Colla pubblicazione del presente Regolamento, e sua comunicazione ai Rm̃i Ordinarî d'Italia, è abrogato qualsiasi atto precedente sullo stesso argomento.

La Santità di N. S. LEONE PAPA XIII, in seguito di relazione fattale dal sottoscritto Cardinale Prefetto della Sacra Congregazione dei Riti, si è degnata confermare e sanzionare in ogni sua parte il precedente Regolamento, ordinandone la pubblicazione, il dì 6 Luglio 1894.

Gaetano Card. Aloisi-Masella, *Prefetto.*

L. ✠ S.

Luigi Tripepi, *Segretario.*

DECRETUM

Quod S. Augustinus ceterique Patres saepenumero docuerunt de cantus ecclesiastici decore et utilitate, *ut, per oblectamenta aurium, infirmior animus in affectum pietatis assurgat* (1); id Romanorum Pontificum auctoritas sibi integre eximieque perficiendum semper attribuit. — Quapropter in hoc Catholicae Liturgiae munus ita Gregorius cognomine Magnus curas ac studia contulit, ut vel ipsam appellationem ab eo sacri concentus sint mutuati. Alii vero, processu temporum, Pontifices, quum nescii non essent quantam huius rei partem sibi divini cultus vindicaret dignitas, immortalis decessoris sui vestigiis insistentes, Gregorianum cantum non modo ad receptam, eandemque probatissimam, numeri formam revocandum, sed etiam ad aptiorem melioremque exemplaris rationem exigendum indesinenter curarunt.

---

(1) *Confess.* L. X, c. 33, n. 3.

Praesertim, post Tridentinae Synodi vota et sanctiones, atque Missalis Romani diligentissime exarati emendationem, Pii V praecepto et auctoritate peractam, de promovendo liturgico cantu magis in dies assidua excelluit solertia Gregorii XIII, Pauli V ac caeterorum, qui, ad incolume Liturgiae decus tuendum, nihil potius et antiquius habuerunt, quam ut rituum uniformitati, sacrorum etiam concentuum uniformitas ubique responderet. Qua in re illud Apostolicae Sedis sollicitudinem iuvit praecipue, quod ipsi curae fuerit Graduale, accurate recognitum et ad simpliciores modos reductum, Ioanni Petro Aloisio Praenestino elaborate praeclareque adornandum committere. Nam mandatum, ut erat dignum homine officii sui perstudioso, docte ille complevit; et celeberrimi magistri praestare valuit industria, ut, iuxta prudentissimas normas. servatisque genuinis characteribus, liturgici concentus reformatio iure conficeretur. Opus tanti momenti illustres Petri Aloisii Praenestini discipuli, insigne eius magisterium et documenta secuti, typis Mediceis Romae excudendum, Pontificum voluntate, susceperunt. — Incoepta tamen huiusmodi experimenta et conatus non nisi aetati huic demum nostrae absolvere est concessum. Quum enim sa. me. Pius IX liturgici cantus unitatem feliciter inducere quam maxime in votis haberet, a S. R. C. assignandam, eiusdemque ductu et auspiciis muniendam, peculiarem virorum Gregoriani cantus laude praestantium Commissionem in Urbe instituit; eiusque examini editionem subiecit, qua denuo in lucem evulgaretur Graduale Romanum, typis olim Mediceis impressum et Apostolicis Pauli V Litteris appro-

batum. Hanc dein editionem saluberrimo opere absolutam, parique studio et opportunis inductis emendationibus, ad normas a Commissione praescriptas, revisam, sibi valde probari haud semel ostendit, atque authenticam declarare non dubitavit suis Brevibus Litteris, die 30 Maii anno 1873, datis, quarum illa est sententia: « *Hanc ipsam dicti Gradualis Romani editionem Reverendissimis locorum Ordinariis, iisque omnibus quibus Musices sacrae cura est, magnopere commendamus; eo vel magis, quod sit Nobis maxime in votis, ut cum in ceteris, quae ad Sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu, una, cunctis in locis ac Dioecesibus, eademque ratio servetur, qua Romanu utitur Ecclesia* ». — Antecessoris Sui adprobationem decreto confirmare atque extendere e re esse duxit Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. Litteris enim Apostolicis, die 15 Novembris anno 1878, primae Antiphonarii partis, quae Horas diurnas complectitur, novam editionem, ab iisdem viris per S. R. C. deputatis, egregie sane, ut decebat musicos eruditos, atque intelligenter revisam, peculiari commendatione est prosequutus, his sapienter ad Episcopos omnesque Musicae Sacrae cultores verbis usus: « *Itaque memoratam editionem a viris ecclesiastici cantus apprime peritis, ad id a SS. Rituum Congregatione deputatis, revisam probamus atque authenticam declaramus, Reverendissimis locorum Ordinariis caeterisque, quibus Musices Sacrae cura est, vehementer commendamus, id potissimum spectantes, ut sic cunctis in locis ac Dioecesibus, cum in caeteris, quae ad Sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu, una eademque ratio servetur, qua Romana utitur Eccleiia* ».

Verum, quemadmodum post Pontificium Pii IX Breve de Graduali, ad ipsam editionis adprobationem in dubium vocandam, controversiae pluries subortae et obstacula sunt permota, ob quae S. C. R., die 14 Aprilis an. 1877, sui muneris esse persensit editionem authenticam adserere, suoque suffragio penitus confirmare; haud aliter, post Apostolicas etiam Leonis XIII Litteras, quin finem contentionibus facerent, sibi adhuc integrum putaverunt nonnulli consilia et decreta negligere de instituto cantus ecclesiastici, constanti Romanae Liturgiae ratione et usu comprobati. Immo, choricis Ecclesiae libris in lucem prolatis, totaque hac re ad exitum egregie perducta, largiores evasere disputationes; et, in conventu cultorum liturgici cantus anno 1882 Aretii habito, validius excitatae censurae eos moerore affecerunt, qui, in ecclesiastici concentus uniformitate, Apostolicae Sedi unice obtemperandum iure meritoque existimant. Quum autem qui Aretium hanc ob causam contenderant, vota quaedam seu postulata de eadem re non tantum in populum prodiderint, verum etiam Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII formulis concinnata exhibuerint, Pontifex idem, negotii gravitate permotus, ut sacrorum concentuum, potissimum vero Gregoriani cantus, unitati et dignitati consuleret, vota illa seu postulata in examen adducenda assignavit peculiari Coetui ab se delecto quorumdam Patrum Cardinalium Sacris tuendis Ritibus Praepositorum. Qui, omnibus mature perpensis, exquisitisque insignium quoque virorum sententiis, die 10 Aprilis anno 1883 sine ulla dubitatione decernendum censuerunt: « *Vota seu postulata ab Aretino Con-*

ventu superiore anno emissa, ac Sedi Apostolicae ab eodem oblata pro liturgico cantu Gregoriano ad vetustam traditionem redigendo, accepta uti sonant recipi probarique non posse. Quamvis enim ecclesiastici cantus cultoribus integrum liberumque semper fuerit ac deinceps futurum sit, eruditionis gratia, disquirere quaenam vetus fuerit ipsius ecclesiastici cantus forma, variaeque eiusdem phases, quemadmodum de antiquis Ecclesiae ritibus ac reliquis Sacrae Liturgiae partibus eruditissimi viri cum plurima commendatione disputare et inquirere consueverunt; nihilominus eam tantum uti authenticam Gregoriani cantus formam atque legitimam hodie habendam esse, quae, iuxta Tridentinas sanctiones, a Paulo V, Pio IX sa. me. et Sanctissimo Domino Nostro Leone XIII atque a Sacra Rituum Congregatione, iuxta editionem nuper adornatam, rata habita est et confirmata, utpote quae unice eam cantus rationem contineat, qua Romana utitur Ecclesia. Quocirca de hac authenticitate et legitimitate, inter eos, qui Sedis Apostolicae auctoritati sincere obsequuntur, nec dubitandum neque amplius disquirendum esse».

Attamen postremis hisce annis, diversas ob causas, pristinae difficultates iterum interponi, recentesque immo concertationes instaurari visae sunt, quae vel ipsam quum huius Editionis tum cantus in ea contenti genuinitatem aut infirmare aut penitus impetere aggrederentur. Neque etiam defuere qui ex desiderio, quo Pius IX et Leo XIII, Pontifices Maximi, ecclesiastici cantus uniformitatem summopere commendatam habuerunt, alios quoscumque cantus, in Ecclesiis peculiaribus iampridem adhibitos, omnino vetari inferrent. Ad

haec dubia satius enucleanda, omnesque in posterum ambiguitates arcendas, Sanctitas Sua iudicium hac de re deferendum constituit Congregationi Ordinariae omnium Patrum Cardinalium Sacris tuendis Ritibus Praepositorum, qui, in coetibus die 7 et 12 Iunii nuper elapsi convocatis, resumptis omnibus ad rem pertinentibus aliisque mox exhibitis mature perpensis, unanimi responderunt sententia: « *Servandas esse dispositiones sa. me. Pii IX in Brevi « Qui choricis » diei 30 Maii 1873; Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII in Brevi « Sacrorum Concentuum » diei 15 Novembris 1878; ac S. R. C. in Decreto diei 26 Aprilis 1883* ». — Quod autem ad libertatem attinet, qua Ecclesiae peculiares cantum legitime invectum et adhuc adhibitum possint retinere, Sacra eadem Congregatio decretum illud iterandum atque inculcandum statuit quo, in coetu die 10 Aprilis an. 1883 habito, plurimum hortabatur omnes locorum Ordinarios aliosque ecclesiastici cantus cultores, ut Editionem praefatam in Sacra Liturgia, ad cantus uniformitatem servandam, adoptare curarent, quamvis illam, iuxta prudentissimam Sedis Apostolicae agendi rationem. singulis Ecclesiis non imponeret.

Facta autem de his omnibus per infrascriptum S. R. C. Praefectum Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII fideli relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacrae Congregationis ratum habuit, confirmavit, et publici iuris fieri mandavit die 7 Iulii an. 1894.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *Praefectus.*

L. ✠ S.

ALOISIUS TRIPEPI *S. R. C. Secretarius.*

S. R. C.

IN FESTO S. VINCENTII A PAULO CONF.

ADDITIO AD CALCEM VI. LECTIONIS.

Post verba: « die decima nona mensis Iulii quotannis assignata » addatur: « Hunc autem divinae caritatis eximium heroem, de unoquoque hominum genere optime meritum, Leo Tertiusdecimus, instantibus pluribus Sacrorum Antistitibus, omnium Societatum caritatis in toto catholico orbe existentium, et ab eo quomodocumque promanantum, peculiarem apud Deum Patronum declaravit et constituit. »

ADDITIO MARTYROLOGIO ROMANO INSERENDA.

(19 Iulii) Quarto decimo Kalendas Augusti.... « Sancti Vincentii a Paulo Confessoris, qui obdor- » mivit in Domino quinto Kalendas Octobris. Hunc » Leo decimus tertius omnium Societatum cari- » tatis in toto catholico orbe existentium, et ab » eo quomodocumque promanantium, caelestem » apud Deum Patronum constituit ».

ORBIS.

Quum Per Litteras Apostolicas in forma Brevis, diei 12 Maii 1885, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. Sanctum Confessorem Vincentium a Paulo *omnium societatum caritatis in toto catholico orbe existentium et ab eo quomodocumque promanantium ceu peculiarem apud Deum Patronum* declaraverit et constituerit; Rmus D. Antonius Fiat, Moderator Generalis Congregationis Missionis, quo sancti Patris ac Fundatoris

sui in universa Ecclesia honor et gloria magis magisque adaugeatur, Sanctissimum eumdem Dominum Nostrum iteratis precibus rogavit, ut de eiusmodi Patronatu tam in Officio quam in Martyrologio Romano, die decimanona Iulii, per additamenta a se proposita, mentionem fieri benigne concederet.

Hae porro additiones quum a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto et Relatore, in Ordinariis ipsius Sacrae Congregationis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunatis, ut approbarentur propositae fuerint; Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audito R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, ita rescribere rati sunt: *Pro gratia, et ad Emum Ponentem cum Promotore Fidei.* Die 10 Iulii 1894.

Itaque earumque additionum revisione per me infrascriptum Cardinalem una cum eodem Promotore S. Fidei rite peracta, atque a meipso facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII de hisce omnibus relatione, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacrae Congregationis ratam habens eiusmodi additamenta prout huic praeiacent Decreto, tam in Breviario quam in Martyrologio Romano inseri iussit. Die 23 iisdem mense et anno.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

Aloisius Tripepi *Secretarius.*

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1894.

S. RITUUM CONGREGATIO

CASTRI MARIS.

Hodiernus Redactor Kalendarii dioecesani Castrimaris de mandato sui Rm̃i Episcopi Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. In civitate Castrimaris extat ecclesia, quae Beatae Mariae Virgini nuncupatae *de Succursu* fuit dicata, uti patet ex actis authenticis, scilicet: ex instrumento fundationis per publicum Notarium confecto, ex inscriptione super campana eiusdem ecclesiae apposita et ex imagine eiusdem Virginis sub eodem titulo, publicae fidelium venerationi in maiori altari exposita. Quum tamen eadem ecclesia in sua solemni consecratione, nulla facta mentione de supradicto titulo *de Succursu*, Sanctissimis Nominibus Iesu et Mariae fuerit dedicata; quaeritur an Clerus Civitatis, eiusdem ecclesiae servitio addictus, debeat celebrare, uti titulare, et sub ritu Duplici primae classis cum octava, solummodo festum de Sanctissimis Nominibus Iesu et Mariae, an etiam festum Beatae Mariae Virginis *de Succursu?*

Dubium II. Quando in aliqua ecclesia agitur de Sancto in die non propria, et de eo, ob speciale privilegium a S. Sede Apostolica obtentum canitur, et leguntur Missae, uti in die festo; in hisce Missis fierine debet Commemoratio de Officio diei?

Dubium III. Usus invaluit in pluribus huius civitatis ecclesiis, in functionibus Marialibus aliisque, quae cum Missa persolvuntur dimittere populum cum Benedictione Sanctissimi Sacramenti in pyxide adservati, adhibito velo humerali super planeta. Quaeritur an hic usus tolerari possit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad. I. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam:

Ad II. Dilata: interim serventur Rubricae quoad commemorationes:

Ad III. Affirmative; ita observandum.

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 20 Iulii 1894.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA Praef.

Aloisius Tripepi *Secret.*

CARTHAGINEN. IN INDIIS.

R. D. Petrus Brioschi Vicarius Generalis Dioeceseos Carthaginen. in Indiis sequens Dubium Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Quotiescumque in Carthaginensi Dioecesi aliqua consecratio novi Episcopi fit, simplices Sacerdotes, qui, Sancta Sede benigne annuente, adsistere solent Episcopo consecranti, aliarum

Dioecesium exemplum secuti, mitra utuntur. Quaeritur, utrum toleranda sit haec consuetudo?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: *Negative.* Atque ita rescripsit die 20 Iulii 1894.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *Praefectus.*
ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

ANGELOPOLITANA.

Hodiernus Vicarius Generalis Dioeceseos Angelopolitanae, qui et Archidiaconus est illius Ecclesiae Cathedralis, exponens abhinc duobus annis in Vesperis Caeremonialis Episcoporum praescriptiones servari ibidem coeptas esse, insequentia Dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit:

Quum olim obtinuerit consuetudo, ut capitulares pluviali induerentur ad Vesperas quin tamen diaconorum officio fungerentur; statutum fuit, ut portionarii praebendis diaconalibus fruentes, suum in vesperis officium implerent: ex reductione enim bonorum ecclesiasticorum exiguus est beneficiariorum numerus, qui a suis officiis distrahi nequeunt, ut in solemnibus Vesperis hebdomadario assistant.

Inde quaeritur:

I. Archidiaconus et Capitulum rectene egerunt statuendo Caeremonialis Episcoporum in divinis officiis observantiam, praesertim ad vesperas so-

lemnes; ac proinde talis agendi ratio S. Rituum Congregationis adprobationem ne meretur?

II. Continuari potest vetus consuetudo, qua, pluviali induti quatuor aut sex canonici hebdomadario comitantur quin diaconorum officium adimpleant?

III. Quatenus negative; quia canonici et dignitates ex variis S. Congregationis decretis prohibentur diaconorum vices agere, nam eorum praebendae non diaconales sunt sed presbyterales; nec non quia canonici in hac Ecclesia solum Episcopo Diaconi officio funguntur; possuntne portionarii diaconorum praebendis gaudentes et ad canonicorum gradum non pertinentes cogi ut in divinis officiis, praesertim vero in vesperis solemnioribus, diaconi officium adimpleant?

IV. Quia chorus a maiori altari distat iuxta sententiam *De Herdt* in hoc casu, hebdomadarius et assistentes dum ad *Magnificat* transitum faciunt a choro ad altare maius, illud incensandi causa, cooperto capite incedere possunt?

V. Cum maior distantia sit a choro usque ad Sacellum ubi asservatur SSm̃a Eucharistia, cumque illuc ascendere, per tres scalas, quae sunt in tractu, difficile senibus sit, potestne Sanctissimi Sacramenti thurificatio omitti, ut diu factum est: et quatenus negative, idipsum per specialem gratiam, attentis expositis, concedi potest?

Et Sacra eadem Congregatio ad relatienem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Ad Caeremonialis Episcoporum observantiam, iuxta Apostolicas Constitutiones teneri omnes ecclesias, praecipue autem metropolitanas, cathedrales et collegiatas;

Ad II et III. Servetur Caeremoniale Episcoporum:

Ad IV. Servetur consuetudo;

Ad V. Affirmative; nisi SSm̃um Eucharistiae Sacramentum solemniter sit expositum.

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 17 Augusti 1894.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.
ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius*.

DECRETUM GENERALE

I.

Non semel a S. Rituum Congregatione exquisitum fuit: Utrum, et quomodo solemnis votorum professio, aut eorum renovatio, quae in plerisque religiosis tam virorum quam mulierum Congregationibus locum habet, intra Missam peragi valeat. Porro in peculiaribus casibus non una eademque fuit responsionis ratio, quin umquam Generale Decretum hac de re editum fuerit. Quapropter, ad omnem ambiguitatem de medio tollendam, et uniformitatem inducendam, eadem Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Cardinali eidem Praefecto, cunctis mature perpensis, atque iis praesertim, quae in Bulla sa. me. Gregorii Pa-

pae XIII « *Quanto fructuosius* », data Kalendis Februarii 1853 pro approbatione Constitutionum Societatis Iesu, hac de re continentur, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequentem methodum, servari posse constituit: « Celebrans profitentium vota excepturus, sumpto Ssm̃o Eucharistiae Sacramento, absoluta confessione, ac verbis quae ante fidelium Communionem dici solent, Sacram Hostiam manu tenens, ad profitentes sese convertet: hi vero singuli alta voce professionem suam legent, ac postquam quisque legerit, statim Ssm̃um Eucharistiae Sacramentum sumet. In renovatione autem votorum, Celebrans ad altare conversus exspectet donec renovantes votorum formulam protulerint; qui, nisi pauci sint, omnes simul, uno praeeunte formulam renovationis recitabunt, ac postea ex ordine Ssm̃um Corpus Domini accipient. Haec tamen methodus, cum recepta fuerit, in respectivis Congregationum Constitutionibus minime apponenda est. Non obstantibus quibuscumque particularibus Decretis in contrarium facientibus, quae prorsus revocata atque abrogata censeantur. » Die 14 Augusti 1894.

Facta autem SS. D. N. Leoni Papae XIII per me infrascriptum Cardinalem Praefectum de praemissis relatione, idem Sanctissimus Dominus Noster sententiam Sacrae Congregationis approbavit, ratam habuit, ac Decreta in contrarium facientia per praesens penitus abrogata esse declaravit. Die 27, iisdem mense et anno.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. Aloisius Tripepi *Secretarius*.

II.

Inter Constitutiones Romanorum Pontificum, ac S. Rituum Congregationis Decreta, quae edita fuere pro moderando cultu Servorum Dei, qui cum fama Sanctitatis vel Martyrii decesserunt, sed inter Beatos, aut Sanctos ab Apostolica Sede adhuc relati non sunt, nonnulla ad eorum imaginum sive in templis, sive in publicis oratoriis appositionem pertinent. Recenter etiam cum Vicarius Apostolicus Districtus Occidentalis Scotiae retulisset, in vitris coloratis, quibus templorum fenestrae decorantur, praefatas imagines interdum dipingi; Sacra eadem Congregatio per Decretum die 24 Martii 1860 editum, hunc morem minime approbandum censuit. Verumtamen cum non raro, nedum in eiusmodi vitris, sed etiam in templorum parietibus facta ac gesta repraesententur, quorum Dei Famuli, vel praecipui actores, vel pars aliqua fuerunt; dubitatum est, num prohibitio illa etiam ad historicas huiusmodi repraesentationes sese porrigat. Re itaque maturo examini subiecta, auditisque votis virorum in Sacra Theologia, et in ecclesiastica quoque Archaeologia praestantium, Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Cardinali eidem Praefecto, in Ordinariis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, respondendum censuit: « Imagines virorum ac mulierum qui cum fama sanctitatis decesserunt, sed nondum Beatificationis aut Canonizationis honores consecuti sunt, neque altaribus utcumque imponi posse, neque extra altaria depingi cum aureolis, radiis, aliisve sanctitatis

signis; posse tamen eorum imagines, vel gesta ac facta in parietibus Ecclesiae, seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illae neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium praeseferant, neque quidquam profani aut ab Ecclesiae consuetudine alieni.» Die 14 Augusti 1894.

Facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per me subscriptum Cardinalem Praefectum de praedictis relatione, idem Sanctissimus Dominus Noster Sacrae Congregationis sententiam ratam habuit, confirmavit, et ita decreta, quae in contrarium facere videantur, intelligi debere iussit. Die 27 iisdem mense et anno.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. Aloisius Tripepi, *Secretarius*.

III.

Evulgato Generali Decreto super primariis et secundariis festis, et eorumdem catalogo, Dubium excitatum fuit in Sacrorum Rituum Congregatione, an praecedentia festis primariis super secundariis tributa, afficiat solum Duplicia primae et secundae classis et Duplicia maiora, an etiam Duplicia minora et Semiduplicia? Itaque in Ordinariis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, subscriptus Cardinalis eidem S. Congregationi Praefectus sequens proposuit Dubium: *An distinctio inter Primaria et Secundaria Festa, vi Decreti Generalis diei 2 Iulii 1893, sola respiciat Duplicia primae et secundae classis, ac Duplicia maiora;*

vel etiam Duplicia minora ac Semiduplicia, tam in occursu, quam in concursu, et in repositione?

Et Sacra Congregatio, omnibus mature perpensis, respondendum censuit:

Negative ad primam partem: Affirmative ad secundam: ac Decreta quaecumque particularia in contrarium facientia per illud Generale superius memoratum uti revocata, ac nullius roboris habenda esse. Die 14 Augusti 1894.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praef.*

Loco ✠ Sigilli. Aloisius Tripepi *Secret.*

IV.

In Catalogo festorum, quae iuxta Decretum diei 27 Augusti 1893 uti primaria aut secundaria habenda sunt, festum Sacratissimi Cordis Iesu inter secundaria relatum fuit. Quapropter Dubium in Sacrorum Rituum Congregatione excitatum est, utrum per hoc Decretum alteri Generali diei 28 Iunii 1889 derogatum fuerit, et quomodo?

Sacra autem Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum coadunata, referente subscripto Cardinali eidem Praefecto, omnibus mature perpensis, respondendum censuit: *Affirmative, et Festum Sacratissimi Cordis Iesu, utpote secundarium, omnibus Duplicibus primae classis primariis locum cedere, tam in occursu, quam in concursu atque in repositione. Cum autem ad normam eiusdem festi Sacri Cordis ordinatum quoque fuerit festum translatum S. Ioseph, Duplex primae classis, alia festa Duplicia primae classis, dummodo primaria, tam*

in occursu, quam in concursu, ac in repositione illi esse praeferenda. Idem quoque servandum circa festum translatum Nativitatis S. Ioannis Baptistae et Annuntiationis Deiparae Virginis, nisi hoc transferatur simul cum praecepto audiendi Sacrum, iuxta Decretum in Aquen. diei 2 Septembris 1741. Atque ita declaravit ac decrevit die 14 Augusti 1894.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praef.*

Loco ✠ Sigilli. Aloisius Tripepi, *Secret.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VIII.

DE SYMBOLO ET IURE TRANSLATIONIS IN FESTO SECUNDARIO PATRONORUM VEL DOCTORUM.

Inter duarum Cathedralium magistros Caeremoniarum Ioannem ac Leandrum, Calendariorum suae relativae dioecesis redactores, non levis agitata fuit controversia post Rubricarum Breviarii novissimam reformationem: nempe num in translatione festi secundarii vel Patroni vel Doctoris Ecclesiae universae, ut e. g. translationis Reliquiarum S. Gregorii Nazianzeni die 22 Iunii pro Basilica Vaticana, vel S. Augustini conversionis die 5 Maii pro relativo Ordine,

et aliorum similium, nedum dici queat in Missa Symbolum Nicenum, sed etiam utraque festa ius habeant translationis. Utrumque Ioannes affirmat; privilegium etenim, aiebat, secum semper deferunt, cum adnexum sit subiecto, et in sua dioecesi ab emendatione praedictarum Rubricarum semper illud servatum fuisse, quamvis festum secundarium Patroni, solo duplici minori a S. Sede ditatum in concessione fuerit. Contrarium vero mordicus tuetur Leander, quia exceptio firmat regulam; etenim ex decreto Rubricas emendante duplicia minora nequeunt transferri, nulla facta limitatione: et Symbolum Nicenum ad praecipua condecoranda festa in Missis adiungi solere perspicuum est, ut patet in festis Confessorum ac Virginum duplicis minoris vel maioris ac etiam 2. classis, qua quando cum concursu populi ac exteriori apparatu celebrantur, in quibus ex S. R. C. decretis in solemni saltem Missa decantari permittitur. Sed, ut assolet, unoquoque in suam abeunte sententiam, quaestionem dirimendam mutuo consensu cuidam Caeremoniarum Apostolicarum Magistro apprime perito proponunt, haec dubia eidem exponendo:

1. *Num, dispositione recenti Rubricarum inspecta, festa secundaria Patronorum locorum, ac Doctorum Ecclesiae ritu tantum duplici condecorata, ius habeant translationis?*

2. *Utrum in eorumdem festis secundariis Symbolum Nicenum in Missis tam privatis quam solemnibus recitari vel decantari debeat an saltem possit?*

3. *Quaenam ergo ex duabus sententiis in Calendariorum dispositione servanda in posterum sit ubique locorum?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dni Iosephi Dwyer Alumni Pontif. Collegii Urb. de Propaganda Fide, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 24 Maii 1893: acta epitoma per Rmum Dnum. Dom. Ioannem Baptistam Menghini ex Apostolicarum caeremoniarum magistris.

I. Iure translationis, omnibus plane compertum est, festa omnia duplicis ritus gaudebant, cum in die sua a festo altioris ritus vel dignitatis potioris impediebantur, ante evulgationem Brevis " *Nullò umquam* „ gloriose regnantis Pontificis.

Ast ob ingentem translationum numerum, quolibet anno obvenientium, accidebat, ut rariores fierent per annum sedes liberae (1) in Calendario. Hinc ad novis

---

(1) Hoc quidem sensu praecitatum Breve se exprimit; nihilominus opportunam iudicamus hac super re animadversionem lectorum oculis exhibere. Sedes in Calendario liberae sunt illae, in quibus vel de Simplici agendum est, vel de feria; in his enim tantum locum habere possunt nova quae instituuntur festa. Porro, sublato iure translationis pro aliquibus officiis uti per Breve *Nullo unquam*, factum est, satis abunde patet, auctas non fuisse pro novis festis sedes, quippe quae officia per accidens translata nec sedes sibi proprias, nisi ad annum, relinquunt, nec in iis aliqua nova festa collocari perpetuo possunt. Hoc quidem certum et evidens; nihilominus advertendum est, ex translationis iure sublato derivare, alio profecto sensu, sedes liberas pro novis collocandis in Calendario festis. Nam quia plura officia intra annum transferre necessarium est, Calendariorium redigendorum periti satis superque norunt, plures semper servandas necessario esse in Calendariis sedes liberae: secus transferri nullum posset officium ratione defectus *termini ad quod*, uti se Guyetus exprimeret. Iam nunc, quamvis necessitas ista adhuc permaneat, cum iure translationis destituta non fuerint aliqua duplicia min. uti Ecclesiae Doctorum duplicia maiora, et classica; nihilominus non adeo, ut antea, eadem

consulendum officiis in posterum in Calendario inserendis, opportunum visum est Rubricas de translatione immutare. De qua immutatione in prima innuitur casus petitione, et quae sic sonat: „Festa duplicia minora (exceptis illis Sanctorum Ecclesiae Doctorum), et festa semiduplicia, si occursu Dominicae vel maioris festi seu officii quomodocumque impediantur, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt, de eis fit in utrisque vesperis et laudibus commemoratio etc. „.

Ex quibus verbis spontanea et facilis profluit primo quaesito responsio. Festis nempe Patronorum locorum ius translationis, in casu, non competere; e contra ipso gaudere Ecclesiae Doctorum festa; dummodo tamen de festis agatur, ritu tantum duplici minori condecoratis. Et revera in textu mox citato, immutatio prius Rubricarum ponitur, quae uti generalis regula traditur, ac deinde unica fit exceptio in Doctorum favore.

Dispositionibus eapropter tam evidentibus ac manifestis nemini demere, vel addere aliquid licitum est; sicuti nec dubium vel ambiguitatem ullam ipsae parere posse arbitramur; ideoque super primo hocce quaesito ultro immorari vanum et inutile autumamus.

II. In altero quaesito inquiritur num in festis secundariis Doctorum ac Patronorum Symbolum Nice-

---

necessitas se extendit, quod nec generatim duplicia min. nec semiduplicia amplius respiciat. Hinc fit, ut neque necessitas ferat tot, uti antea, sedes liberas servare pro reponendis officiis, quippe satis minora sunt numero officia transferenda. Ergo, translationis iure sublato duplicibus et semiduplicibus, facile patet quomodo etiam plures sedes liberae exoriantur pro novis instituendis festis. Breve itaque *Nullo unquam*, quod primo sensu nequit intelligi, hoc secundo tantum intelligi optime potest et debet.

num in Missis, tam privatis quam solemnibus recitari vel decantari debeat, vel possit.

Secundaria festa, de quibus hic agimus, ritu duplici esse possunt, vel duplici inferiore: ideoque aliquid de prima et de secunda hypothesi dicendum venit. Et primum de festis secundariis Doctorum ritu duplici gaudentibus. Iuxta cl. De Herdt, qui Cavalerium sequitur, imo iuxta communem liturgicorum sententiam, symbolum dicendum est in Missis in hisce festis celebratis. Etenim unum ex momentis, ob quae quibusdam in festis symbolum permittitur, fidei nostrae defensio est, verbo vel scripto a Sancto, in cuius honore Missa celebratur, facta.

Nunc autem ratio haec pro aliquo Sancto aeque militat, sive eius festum primarium agatur, sive secundarium: ideoque in isto sicuti ac in illo symbolum recitandum vel canendum est.

Insuper ab ipsis Rubricis docemur, distinctionem nullam locum habere inter primaria festa et secundaria quoad symbolum, cum istud alicui competit Sancto. In Titulo enim XI postquam docuerunt, in festis Apostolorum symbolum dicendum esse; progrediuntur, et horum secundariis festis enumeratis ab universali Ecclesia celebratis, uti S. Pauli Conversione, S. Petri Cathedra Romana et Antiochena etc., in ipsis pariter symbolum praescribunt. Eapropter cum neque explicite neque implicite hanc distinctionem innuant Rubricae inter primaria et secundaria festa quoad symbolum in Missa, nullo pacto ipsa admitti potest, et symbolum dicendum est in Missis sive privatis sive solemnibus in festis seu primariis seu secundariis Ecclesiae Doctorum celebratis.

Ast idem dicendum ne est de festis secundariis Patronorum ritu duplici decoratis? Necessum ne est etiam

tunc, ut symbolum dicatur vel decantetur in Missa? Huic difficultati en cl. De Herdt responsio: " Symbolum dicitur tantum in festo principali, non autem translato aut alio secundario, nisi aliunde debeatur (*Tom. I pag. 125*) „. Hancque sententiam suam cl. vir duobus roborat S. R. Congregationis decretis, quae prima fronte videntur quidem pro re sua facere. Attamen, pace tanti viri, liceat nobis eiusdem relinquere sententiam, ut contrariam amplectamur, quam S. R. Congregationis decretis nec non et Rubricis conformiorem autumamus, et quam sive Ephemerides nostrae (*Vol. IV pag. 328*) sive cl. Adelelmus Foppiano in suo Enchyridion propugnant.

Momentorum autem potissimum quo sententia nostra affirmans fulcitur, Litterae sunt Apostolicae Pii Papae IX, quas die 7 Iulii anni 1871 dedit, et quae incipiunt " *Inclytum Patriarcham* „. In ipsis namque legitur: " Quoniam aequum reputamus post nostram declarationem S. Patriarchae in Catholicae Ecclesiae patronum, ipsi in publico ecclesiastico cultu, omnes et singulas honoris praerogativas tribuendas esse, quae iuxta generales Breviarii et Missalis Romani Rubricas sanctis patronis praecipuis competunt, ideo nos. . . . . . . mandamus . . . . quod tam in festo natali S. Ioseph, quam in alio ipsius Patrocinii, etiamsi occurrat extra Dominicam diem, addatur semper in Missa symbolum seu Credo „. Ex quibus verbis luce meridiana clarius apparet, Summum Pontificem uti indubium ponere Patronis symbolum competere, etiam in eorum festis secundariis; insuper tradere hanc praerogativam a Rubricis Missalis ac Breviarii Romani ipsis tributam esse. Ideoque si ante evulgationem huius Pontificii documenti, Rubricarum textus, ad negotium nostrum quod attinet, variis liturgicorum in-

terpretationibus subiacere poterat; in praesentiarum postquam supremus Liturgiae Moderator ac Custos loquutus est, dubitationi amplius locum non esse arbitramur. Praesertim vero cum ex tenore ipso verborum pateat, minime voluisse Pontificem novam inducere legem; sed tantum legem iam latam applicare.

Sed en duo decreta S. R. Congregationis, quae nostrum sentiendi modum confirmant. Primum est in una *Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum* (*diei 6 Sept. 1845*): alterum in una *Quebecen.* (*7 Dec. 1844*). In hoc ultimo sciscitantibus: " num in festo Patrocinii S. Ioseph celebrandum sub ritu duplicis secundae classis, utpote primi Canadensis Dioecesis Patroni, recitandum sit Symbolum in Missa, quoties ad aliam diem transferri contigerit „; respondetur: " Affirmative, si vere constat de Patronatu formiter ab hac Sancta Sede confirmato „.

Verum quid dicendum de rationibus quibus adversarii suam muniunt sententiam? En quomodo ratiocinatur De Herdt, in Parte I, n. 90; post doctrinam traditam de symbolo in festis Ecclesiae Doctorum et Apostolorum semper addendo in Missa, dummodo de festo agatur sub ritu duplici celebrato, ait: " Ratio est, quia hisce festis symbolum competit per se et ex causa quae inseparabiliter concomitatur sanctos, de quibus agitur; ad differentiam festorum, quibus quasi per accidens convenit, et ratione celebritatis, quae separabilis est a sanctis, et in uno eo rundem festo reperiri potest, non vero in altero „: in qua ultima cathegoria, sanctorum nempe quibus symbolum competit tantum in eorum festis primariis ratione celebritatis, cl. auctor ponit Patronos.

Sed percontari libeat num revera in festis primariis Patronorum symbolum recitetur ratione celebrita-

tis: valde enim ambigendum putamus, utrum Sancti celebritas ratio sit, ob quam ipse symbolo gaudeat in Missa. Enimvero quis Ioanne Baptista maior et celebrior?; et tamen symbolum eiusdem festo non competit, nisi ratio aliqua extrinseca seu patronatus accedat. Insuper ex Rubricis non apparet Patronorum festa, hoc super negotio, differre a festis Doctorum Ecclesiae, cum de utrisque aeque doceant, symbolum dici. Ideoque ubi Rubrica non distinguit nec nos distinguere debemus.

Et de Decretis S. R. Congregationis a De Herdt citatis, quae prima fronte probare uti diximus videntur, quid iudicandum? Primum est in *Curiacen.* (*19 Iunii 1700*), et in ipso inquiritur: " Utrum in festis translationis patroni principalis *Ecclesiae Cathedralis* sub ritu duplici maiori, in Missa dici possit symbolum non solum in Ecclesia Cathedrali, sed etiam per totam Dioecesim „; respondetur autem: " Negative „.

Verum notandum imprimis, hic de Patrono agi Cathedralis Ecclesiae, et inquiri num, haud quidem in sola Cathedrali symbolum recitare liceret in eiusdem festo secundario, verum per totam Dioecesim. Quaesitum igitur unum est, sicuti ex locutionibus *non solum* et *sed etiam* patet: eapropter haud quidem S. R. Congregatio sciscitatur utrum liceret in Cathedrali Ecclesia symbolum dicere, sed num id liceret in tota Dioecesi. Quod autem revera hic sensus sit petitionis, apparet etiam ex responso S. R. Congregationis. Iuxta stylum enim eiusdem Congregationis, cum petitio duobus constat commatibus, adhibentur formulae: *Negative ad utrumque vel Affirmative ad utrumque.* Hinc cum in decreto, de quo in praesentiarum, simplici dictione *Negative* S. Congregatio usa sit, di-

cendum est ipsam unam tantum quaestionem in quaesito invenisse.

E contra iuxta interpretationem cl. De Herdt duo habet commata petitio in quaestione: num scilicet symbolum recitari queat primum in Cathedrali, deinde in omnibus Dioecesis Ecclesiis.

Sed cum erroneam esse superius demonstraverimus, concludere liceat, hocce decretum ad *rem nostram* non facere, cum extensionem privilegiorum Patronorum potius respiciat.

Non minus abs re est alterum decretum (*Senen. 11 Maii 1743 ad 6*), cum in ipso sciscitantibus: " An ubi S. Ioannes Baptista est patronus seu titularis debeat dici symbolum in Missa in utraque eius festivitate, ut servatur in sacra Lateranensi Ecclesia et in totis ditionibus Ianuae et Melitae „; respondetur: " Ubi eiusdem S. Ioannis Baptistae festum et eiusdem Decollationis memoria gaudent praerogativa patroni vel titularis, in Missis est utique recitandum symbolum, secus vero negative, nisi adesset eiusdem Sancti insignis reliquia „. Etenim decretum istud saltem rem valde dubiam relinquit. Hinc sicuti cl. De Herdt illud pro sua adducit sententia, ita cl. Foppiano in citato Enchyridion contendit ipsum ad rem suam facere. Ideoque saltem pro rata dubii hanc vel illam sententiam magis quam alia probare non valet. Nihilominus si illud, comparatione facta cum aliis documentis superius relatis, consideretur, maxime autem cum Litteris Pii Papae IX, omne dubium certe evanescit, et pro nobis ipsum militare omnes fatebuntur.

Verum ad alteram descendendum est hypothesim; ut videamus an symbolum aeque addi debeat in Missa, quando de festis agitur ritu semiduplici seu simplici ornatis. Viderentur Rubricae pro affirmativo responso

militare; in Titulo enim XI n. 1 dicitur: " Item in festo (symbolum dicitur) Patroni alicuius loci „, et in alio loco: " Item in festis Sanctorum Doctorum „. Quoties igitur festum aliquod horum Sanctorum recolitur, symbolum iuxta Rubricarum praescriptum addendum esset in Missa. Nunc vero quis inficiari potest semiduplicem ritum vel simplicem constituere verum festum? Cum definiatur festum: dies illa ab Ecclesia selecta, ut cultu liturgico aliquod Mysterium vel Sanctus recolatur cuiuscumque sit ritus. Ideoque, ut diximus, videretur symbolum addendum in Missa etiam in festis semiduplicibus et simplicibus, sive Patronorum sive Ecclesiae Doctorum. Insuper animadverti posset, a quibusdam non admitti distinctio haec inter duplicia et semiduplicia festa quoad symbolum in Missa, cum Rubricae neque explicite neque implicite de ipsa loquantur. Nihilominus, hisce haud obstantibus, negativam sententiam tenendam esse nobis videtur. Quamquam enim ritus duplici inferius festum bene, ut dictum est, constituere possit, sicuti de facto constituit; certum tamen est, ipsum rationem solemnitatis attingere in casu non posse, ideoque iure ad symbolum carere. Insuper cum haec sit communissima et universalis praxis, uti certum teneri posse autumamus, symbolum non esset dicendum in Missa in festis sive semiduplicibus sive simplicibus Patronorum et Ecclesiae Doctorum, si haec festa hocce ritu decorata haberentur.

III. Sed ad ultimum iam deveniamus quaesitum, in quo de singulis in casu expositis iudicium expostulatur. Post ea quae loquuti sumus, Ioannis caeremoniarii conclusiones optime Rubricis convenire videntur, quamquam ipsius rationicinationes non semper et ad amussim iuri liturgico respondeant.

Duo festa, de quibus in casu, iure translationis sicuti et Symboli, in Missa gaudent. Agitur enim de festis Doctorum Ecclesiae; neque obstat, uti superius demonstratum est, ratio secundarii festi. Arroges ex alio etiam titulo ambobus Sanctis, de quibus disceptatur, ius ad symbolum in Missa competere: S. Gregorio, nempe, in Vaticana Basilica, in qua insignis eiusdem reliquia asservatur: S. Augustino vero in omnibus relativi Ordinis Ecclesiis, utpote Patrono principali.

Attamen, uti innuimus, Ioannis ratiocinatio aliqua imperfectione laborat; ait enim, Patronatus rationem seu titulum sufficere, ut aliquod festum etiam duplici minori ritu decoratum ius translationibus acquirat. Sed ex nova Rubricarum dispositione, quam ad literam in principio citavimus, manifestum fit, talem sentiendi modum non cohonestari quam ab inducta Dioecesis consuetudine, quae tamen utpote Rubricis contraria eliminanda est.

Leandri primum assertum nimis gratuitum est, ut in illius refutatione immoremur, et Rubricarum verba apertissimam exceptionem in Ecclesiae Doctorum favorem faciunt. Quod asserit demum, symbolum nempe addi in Missa in principalioribus anni festivitatibus, limitationibus et explicationibus non paucis indiget, quae ex Rubricis Generalibus lit. XI Missalis facile deduci queunt. Etenim, uti dictum est, S. Ioannis Baptistae festum, quamquam certo certius ex principalioribus, symbolo caret, et similiter usque ad 1871 etiam S. Iosephi festum ius ad symbolum non habuit.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Pechino in Sinis.* **De solemnitate festorum transferenda.** Privilegio gaudemus nonnulla festa transferendi, quoad solemnitatem, in sequentem Dominicam. Hinc 1. quaeritur: Quid agendum anno sequenti 1895, quo festa Ss. Apost. Petri et Pauli, et S. Ioannis Baptistae in eamden hebdomadam incidunt?

Resp. Privilegium istud, idem est ac Galliarum Ecclesiis concessum; nullum proinde dubium, quin eadem ratione sit intelligendum, et Decreta hac super re a S. R. Congñe emanata sint servanda. Itaque quando duo praefata festa transferenda in eamdem incidant hebdomadam, solemnitas dignior in proximiorem Dominicam transfertur, altera minus digna in aliam sequentem (*Mechlinien. ad Dub. III, q. 4: 7 Dec. 1844*). Dignior esset in casu solemnitas S. Ioannis. Si Dominica, in quam transferri debet illorum solemnitas, sit impedita, eadem solemnitas in aliam sequentem Dominicam transferenda est. Dominica autem in casu nonnisi festo aliquo duplici 1. cl. impediri potest. Hoc in casu videndum quale ex duobus sit dignius: si dignius sit festum solemnitatis translatae, haec more solito celebratur: si dignius sit festum in ea Dominica occurrens, solemnitas iterum in aliam sequentem Dominicam transferenda (*Namurcen. ad 14, 23 Maii 1835*). Verumtamen nota, solemnitatem translatam nonnisi in Missa solemniori consistere, adeo ut festum occurrens integre sit semper recolendum

per officium et Missam, nunquam vero transferendum.

Inferes, si solemnitas S. Ioannis Baptistae transferenda sit in sequentem Dominicam, in qua occurreret festum Ss. Petri et Pauli; hoc festum, utpote occurrens celebrandum est, sed et celebranda solemnitas S. Ioannis Baptistae, qui illis est dignior.

Nota. Episcopo ius nullum est festorum feriationem transferendi, sed Indultum requiritur Sanctae Sedis: id probatione non indiget.

II. *Ex eodem loco.* **De hora Matutini recitandi.** Sacerdotes indigenae possunt sequi Calendarium Congñis Missionis: haec privilegio gaudet recitandi Matutinum diei sequentis, quocumque anni tempore, hora secunda post meridiem. Sacerdotes indigenae eodem ne per consequens privilegio gaudent?

Resp. 1. Quantum videmus, negative. Aliud est posse sequi aliquod Calendarium, et aliud est hora Matutini recitandi: adeo ut inter illud Indultum, et hanc obligationem nullum videamus nexum. Hinc si Sacerdotes indigenae primo gaudent Indulto, altero gaudere nequeunt, nisi illis concedatur.

Resp. 2. Negotio, alio sub respectu perpenso, cum cl. Confratre nostro Morino haec addimus: « An vero, secluso privilegio, incipi possit (*Matutinum*) hora secunda post meridiem, sententia est, ait cl. D'Annibale, quam multi tuentur, multi non reprobant, multi probabilem putant; nec immerito, quia nullo certo iure sive scripto, sive non scripto, explodi potest. Non sunt igitur inquietandi, qui bona fide ab eadem hora recitave-

rint matutinum. Et cl. Lemnkuhl ait: « licet hanc opinionem pro certo probabili habere non possim, nolim tamen, si quis secundum opinionem affirmativam egerit, obligationem iterandi imponere, cum propter externam auctoritatem eorum, qui benignam illam sententiam tuentur, non possim eam certo improbabilem dicere (*Edit. 4. vol. II, De statu cleric.* § *3*, *n. 81*) ». Sequentem arroges animadversionem. Matutinum cum Laudibus primam constituit Officii partem, quae recitabatur antiquitus ad mediam noctem. Ecclesia hanc Horarum Canonicarum partem concedit ex privilegio ut aliqui recitent ab hora secunda post meridiem; quia tali tempore iam dies ecclesiasticus incepit, uti ex primis Vesperis constat, quae de festo sequenti saepe sunt, vel dimidiate vel etiam integre. Quomodo ergo et quo iure dici poterit, eum non satisfacere, qui post inceptum ecclesiasticum diem, eiusdem diei officii recitet primam partem? S. R. C. rogata hoc super negotio, rem definire noluit, respondere contenta « Consulentur probati auctores » (*Petrocoricen. ad III: 13 Iul. 1883*). Eiusmodi vero nonne sunt Sanchez, Diana, Tamburinus, et Salmaticenses: quorum primi sententiam hanc, aut tenent, aut probabilem, postremi autem probabilissimam vocant (*Mor. S. Alph. Lib. IV, cap. II, n. 174*)? His si multos recentiores addas, sententiam affirmantem, Matutinum diei sequentis posse recitari ab hora secunda post Meridiem, esse omnino probabilem fateri cogeris. Tuta proinde conscientia teneri potest, ut quaestio proposita de participatione privilegii evadat inutilis.

III. *E Panormo in Sicilia.* **De Missa lecta a Sacerdote infirmo sedente.** Sacerdos ex privilegio celebrans in Oratorio privato, arthritide laborans, potestne Missam facere sedens, vel requiritur pontificium Indultum?

Resp. Negative ad primum, affirmative ad alterum: adeo res certa est, ut vix alicui S. R. E. Cardinali, vel alii fortasse Episcopali dignitate insignito eiusmodi privilegium concedatur. Negotium enim gravissimum est, sive reverentia erga actum divinum consideretur, sive incommoda gravissima, quae oriri facile possent ex hac facultate, si passim, et cuicumqne concederetur.

IV. *E Lotharingia.* **De luminibus in altaribus, exposito Sacramento.** Dum Sacramentum solemniter est expositum in altari principe, vetitum ne est lumina retinere accensa in aliis ad honorem Deiparae vel Sanctorum, ut quidam putant?

Resp. Negative 1. Nulla lex prohibet eiusmodi lumina in aliis altaribus ab illo, in quo Sacramentum solemniter expositum est. 2. Quare dedecent lumina in aliis altaribus ad honorem Sanctorum? Nonne solemnitatem et ipsa significant, cuius tota ecclesia est particeps in solemni Sacramenti Expositione? Dices fortasse, attentionem divertiri a principali ad aliud obiectum; sed negatur, quia tota attentio in praecipuum vertitur obiectum, quod rationem constituit totius solemnitatis. 3. Romae in observantioribus Ecclesiis, ubi fieri potest, in singulis altaribus, etiam tempore Expositionis pro Oratione quadraginta Horarum, sex et etiam decem continuo ardent lumina ratione solemnitatis. Ergo....

Nota. Commixtio alterius materiae in cera pro luminibus liturgicis nullo pacto prohibita est. Conandum, si fieri possit, ut maior saltem pars sit ex cera apum; sed in praesentibus rerum temporumque adiunctis haud nimis hac super re insistendum.

V. *E Curenna.* **De symbolo in Missa Tituli Oratorii publici.** Quoddam Confraternitatis Oratorium dicatum est S. Laurentio Martyri: festum cum Missa solemni recolitur et lectis, et loci populi concursus habetur. Dici ne potest Credo in Missis, seu solemni seu lectis?

Resp. Aut Oratorium, de quo in casu, severiori sensu dedicatum est, seu consecratum, aut tantum benedictum. Si primum, nulla quaestio; et symbolum dicendum est in omnibus Missis sive cum cantu sive lectis. Si alterum, certum est in Missa solemni symbolum addendum esse (*Tarvisina, 4 Aug. 1657*). Hinc cl. De Herdt notat: « In festo tamen Titularis... publici Oratorii consecrati, vel saltem benedicti, Missa de eodem cantari potest et debet sub ritu dup. 1 cl. cum *Gloria* et *Credo*, et com. occurr. quae in festo 1 cl. admittuntur etc. (*Pars 4, n. 219, 3°*). Aliter vero dicendum, privilegio secluso, de Missis lectis; quia Titulus Oratorii benedicti non recolitur cultu liturgico per officium et Missam, neque proinde gaudet privilegio Titularium Ecclesiarum. Quod si in Missa solemni dicitur, potius ex privilegio symbolum recitatur, quam vi legis; illud autem Missis lectis non favet. Item concursus populi loci favet quidem symbolo si Missa cum cantu saltem fiat, haud vero si Missae sint privatae.

Nota 1. Si S. Leonardo, cuius habetur simulacrum, aliquod habeat altare in sui honorem con-

secratum vel saltem benedictum, illius cum cantu Missa quoque in die festo gaudere potest symbolo, a fortiori si accedat devotio et concursus populi: secus non adest ratio symboli addendi, et dici nequit. De Orationibus idem videtur dicendum quod supra, ratione solemnitatis.

Nota 2. Lectiones 1. Noct. pro S. Leonardo a Portu Mauritio, sunt *Beatus vir*, non vero *Iustus;* eae enim aetati illius respondent, et Breviarii Editionibus recentioribus, seu Romae, seu extra impressis.

VI. *E Belgio*. **De orationibus extraliturgicis in Missis de requie cum cantu.** Usus hic viget canendi post consecrationem in Missis de requie cum cantu sequentes versus: « ℣ Iesu Salvator mundi, exaudi preces supplicum * Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. ℣ Pelli meae consumptis carnibus etc. * Miseremini mei etc. etc. » Quid de huius liceitate?

Resp. Ad rem optime facit articulus septimus regulae a Summo Pontifice Leone XIII traditae *pro musica adhibenda in functionibus ecclesiasticis*, sive nempe liturgicis sive extraliturgicis, modo sacris (*V. Appendic. in fine num. praeter*, *pag. 502*). Hic namque ait: « Idioma adhibendum in canticis, solemnium tempore functionum stricte liturgicarum, sit ritus proprium, et textus *ad libitum* sumantur e Sacra Scriptura, ex officio, ex hymnis et precibus ab Ecclesia approbatis ». Atqui... ergo nihil censura dignum reperimus in praefatis versibus.

VII. *Ex eodem loco*. **De Expositione Sacramenti una cum SS. Cordis Iesu simulacro, et relativis pre-**

cibus. Quadam in Ecclesia, exposito Sacramento in throno, cum sex vel octo candelis, exponitur prope altare et statua SS. Cordis Iesu, vel alterius Sancti; et ante altare vernaculo idiomate quaedam recitantur piae preces. Quid de praefatis simulacris? Quid de precibus vernaculo idiomate?

Resp. Si simulacrum, de quo in casu, est de SS. Iesu Corde, arbitramur non posse eiusmodi usum improbari. Namque honor tribuitur SS. Sacramento, et simulacrum est illius symbolum; nil ergo vetat, quominus simul exponantur. De numero cereorum silemus; quia communiter sex vel octo in similibus expositionibus sufficientes reputantur. Si vero agatur de aliorum Sanctorum simulacris, aut imago vel statua in medio altaris ponitur, aut a latere vel prope, sed extra altare. Si primum, approbandus usus non est, nisi in casu unico, quo statua vel imago pictam tabulam repraesentaret praecipuam altaris. Namque studio simulacrum ponere in medio altari, ubi Sacramentum expositum est, cultum confundit duliae vel iperduliae Sanctis debitum cum cultu latriae debitum soli Deo. Hinc, etiam Reliquias Sanctorum exponere vetitum est, eadem de causa, una cum Reliquis Domini. Si nihilominus simulacrum praecipuam constitueret pictam altaris tabulam; sive ex impossibilitate remotionis illius, sive ex continuato eiusdem in altari usu, credimus illud remanere posse, aut etiam debere, in altari, ubi Sacramentum sit expositum: quamvis idem tegere saltem, si fieri possit magis Liturgiae legibus respondeat. Si alterum cum tale simulacrum hic et nunc non constituat venerationis obie-

ctum principale, censemus non esse eiusmodi reprobandam consuetudinem.

Quod demum spectat preces vernaculo idiomate, haud censura, sed laude potius dignum est; agitur enim de functionibus, quae stricte liturgice non sunt. in quibus idioma vulgare nulla lex prohibet (*Vid. Append. in fine num. prox. praeter. pag. 502*). Notum autem ponimus, preces huiusmodi approbatione indigere Ordinarii, ut incommoda plura vitentur, quae facile suboriuntur, moresque tangere possunt, imo ipsam fidem.

Nota. Decretum *Leavenworthien.* d. d. 27 Februarii 1882, non habet rationem Indulti, sed legis est expositio; ergo omnibus inservire potest.

VIII. *Ex Subalpinis.* **De intorticiis ad elevationem in Missa solenni.** Quid dicendum de consuetudine quibusdam in locis vigente deferendi funalia, haud quidem in omni Missa solemni, sed in quibusdam tantum, ut puta in Missis a Canonicis pontificaliter cantatis?

Resp. Adeo manifesta sunt Rubricae verba, ad negotium nostrum quod attinet, ut nesciamus quomodo usus, seu potius abusus non deferendi funalia in omnibus Missis solemnibus cohonestari valeat. En Rubricae Missalis verba: « In Missa solemni ad finem Praefationis accenduntur duo saltem intorticia ab acolythis, quae extinguuntur post elevationem calicis (*Rub. Miss. P. II, Tit. VIII, n. 8*) ». Concinit huic Rubricae altera Caeremonialis Episcoporum: « Dicto *Sanctus*, vel incoepto Canone, quatuor, sex, aut ad summum octo ministri, cottis induti, afferant totidem funalia cerae albae accensa etc. (*Lib. II, c. VIII, n. 68*) »: nec non et Rubrica Caeremonialis pontificiae Capellae

auctore Patricio: « (Cum dicitur *Sanctus*) Clerici Capellae in tempore accendunt octo intortitia (*Lib. II, Sect. I, c. XIII*) ». Ex quibus abunde patet inter Missam et Missam, in casu, distinctionem aliquam fieri posse in numero funalium, nunquam vero ea penitus omitti.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 7, pag. 394.*)

§ 3.

DE PROCESSIONIBUS IN SPECIE.

Quaeres 1. Quaenam sint praecipuae in specie processiones?

Resp. Praecipuae, quas inter alias Rituale Romanum recenset, sunt: 1. quae fit in festo Purificationis Deiparae, 2. quae in Dominica Palmarum, 3. quae in Litaniis tam maioribus quam minoribus, 4. quae in festo SSmi Corporis Christi locum habet.

Quaeres 2. Quid de origine et institutione processionis in festo Purificationis dicendum?

Resp. Huiusmodi processionem ab antiquissimo aevo consuevisse fieri nemo dubitat, cum quidam Gelasio Pontifici illius institutionem tribuant, quidam vero Sergio huius nominis Pontifici primo; imo hunc Bene-

dictus XIV tenet, eam iam inductam moderatum fuisse (*De festis Domini et Deiparae cap. 11*).

Quaeres 3. Quinam huius processionis finis?

Resp. Satis probabilius cum Benedicto XIV teneri potest, hanc processionem suffectam fuisse profano ritui ludorum amburbalium, in quo gentes faces gestantes manibus, urbem lustrabant. Hinc sacer candelas in hac processione deferendi ritus, in Christi honorem, eiusque matris illum offerentis in templum.

Quaeres 4. Quinam praecipui huiusce processionis ritus?

Resp. 1. Candelae solemniter ante Missam per Celebrantem benedictae distribuuntur clero, vel etiam fidelibus, pro processione: Diaconus versus ad populum canit, *procedamus in pace*, cui chorus respondet: *In nomine Christi amen*, iuxta antiquissimum ritum: praecedit thuriferarius cum thuribulo fumigante, Subdiaconus sequitur Missae cum cruce, medius inter duos acolythos, inde chorales hinc inde dispositi, ex quibus unusquisque accensam ab exteriore sui parte candelam defert, et ultimo Celebrans cum Diacono ac caeremoniarum magistro. Canuntur antiphonae prout in Rituali Romano, ab exitu processionis ad reditum usque ad altare. Cantores, ut in omni processione, locum congruentiorem occupant, iuxta prudentiam Episcopi. Ultima absoluta antiphona, ministri deponunt indumenta violacea, quibus erant induti, assumuntque alba pro Missa. Extinguuntur cerei, qui tamen iterum accenduntur ad Evangelium, et ab Elevatione usque ad peractam communionem.

Quaeres 5. Utrum egredi extra Ecclesias possit vel debeat dicta processio?

Resp. Antiquitus hanc processionem ab Ecclesia fuisse egressam et in alias ingressam, indubia monu-

menta testantur, uti ex Ordine IV Romano constat. Iuxta praesentem disciplinam, cum de egressu processionis tam Missale quam Rituale sileat, nonnisi Ecclesiarum consuetudini standum est.

§ 4.

DE PROCESSIONE IN DOMINICA PALMARUM.

Quaeres 1. Quanam processio in Dominica Palmarum antiquitate gaudeat?

Resp. Benedictionis Palmarum, ac processionis ritum licet Martene ad octavum vel nonum doceat ascendere saeculum; nihilominus Meratus, cui Benedictus XIV adhaeret, longe antiquiorem esse solidioribus momentis probat (*Apud Gavant. pars IV, Tit. VII, n. VII*).

Quaeres 2. Quinam huius processionis institutionis finis?

Resp. Finis praecipuus est memoria Christi Domini, cui Ierosolymam solemniter cum suis discipulis ingredienti populus obviam ivit cum palmarum ramis, clamans *hosanna Filio David*: *benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth. 21, 9*). Nobis autem discipulorum turbarumque fides ac devotio in Christum imitanda proponitur.

Quaeres 3. Quinam huiusmodi processionis principales ritus?

Resp. Palmarum distributione absoluta, Diaconus, uti in processione pro die Purificationis Deiparae, canit *procedamus in pace*. Subdiaconus, post thuriferarium, cum cruce medius inter duos acolythos incedit, quem sequuntur chorales omnes hinc inde ordinati palmam

gestantes, et Celebrans cum Diacono. Cantorum schola, incoepta processione, canit praescriptas antiphonas usque extra ianuam Ecclesiae. Ibi processio sistit, dum aliqui cantores iterum ingrediuntur Ecclesiam, ianuam claudunt, canuntque versum *Gloria, laus et honor etc.*, quem extra ianuam cantores repetunt, atque ita reliquos, ut in Rituali, ex quibus tamen aliqui omitti possunt. Ultimo versu ab extra repetito, Subdiaconus crucis calce ianuam percutit, qua reserata, processio revertitur in chorum (1).

Quaeres 4. Quid de huiusce processionis obligatione censendum?

Resp. Praeceptiva ea est in omnibus Ecclesiis collegialibus, haud vero in parochialibus aliisve Ecclesiis minoribus: in quibus, si fiat, ritus minus solemnes adhibendi, sicut in praesenti ita in superiore, de qua diximus, processione, quos servandos exigit Benedictus XIII in Memoriale Rituum.

(*Continuabitur*). Franciscus Stella P. C. M.

---

(1) Antiquitus, cum processio extra Ecclesiam per vias exibat, mos viguit in pluribus Ecclesiis, ut Episcopus, vel qui praeerat, portas percuteret civitatis, dicens: *Attollite portas etc. et introibit rex gloriae.* Qui intra remanserant, addebant: *Quis est iste rex gloriae?* Cui petitioni qui extra, reponebant: *Dominus virtutum, ipse est rex gloriae.* Hinc patet ritum huiusmodi significare Christi triumphantis ingressum in Ierusalem, quae praefigurabat Ecclesiam.

SUPER ORDINATIONE PRO MUSICA SACRA

COMMENTARIA

1. Roma locuta est, causa finita est. Discutere nobis non licet, sed tantum exponere, declarare, evolvere, explicare, ac legitime, si opus sit, inferre. Fieri quidem potest, ut hactenus, vel bona fides solum, vel eadem cum aliqua etiam cupiditatis umbra, haud quidem per se malae, dominata iis fuerit, qui de sacro cantu disceptarunt. A virtute abstrahentes, quae disputantibus semper ac libenter sociam se praebet, saepe tamen negligitur, institutae hucusque controversiae plus minusve potuerunt esse commendatione dignae. Iure enim nobis arbitrari fas sit, unum omnibus fuisse in illis propositum, sacrum in templo Dei cantum perfectiorem obtinere, ut digniori cum laude, quantum humanae vires suppetunt, haberetur honore Dominus in domo sua. Negotium impraesentia mutatum est: adeo ut aequa iudicanda sit ratio laudandi Deum in templis suis, non illa quae privatorum sentiendi modo, sed quae competentis auctoritatis placitis est conformis. Haec autem placita cum in Ordinatione habeantur et in Gen. Decreto, quae una cum circularibus litteris S. R. C. ad Italiae Episcopos dedit, ea nunc perpendenda nobis sunt, ut finem nostrum attingamus. Aliquid proinde, antea omnia, animadvertemus de circularibus litteris, postea de Ordinatione, ultimo de Decreto.

2. Litterarum summa haec est: *a*) Normae pro cantu sacro moderando, quas S. R. C. Episcopis Italiae misit die 24 Sept. 1884, quod multis de causis, sapientes licet, ad actum redigi in pluribus Dioecesibus non possent, ex voluntate vigilis Pontificis Leonis XIII, post quamplurium Italiae Episcoporum auditas sententias, in S. R. Congne explicandae, vel mutandae, vel aliae iisdem addendae erant, ut ad optatum perducerentur exitum. *b*) Novis subortis, nec gratis, quaestionibus super cantu liturgico, quamvis pluries hac super re mentem suam aperuisset Pontificia auctoritas, necessitas tulit, ut eaedem penitius discuterentur in S. R. C. quo tamen peracto, a iure antiquo recedendum non esse decretum est, eiusque observantia commendata fuit Episcopis, seu pro novis vitandis controversiis, seu pro faciliori cantus usu in ecclesiae functionibus.

3. Super praefatis litteris opportunum credimus animadvertere, cordi fuisse semper Ecclesiae, maiestati decorique ecclesiasticarum, liturgicarum maxime, functionum consulere quod sacrum pertinet cantum, ex quo specialiter earumdem solemnitas. Hinc circulares litterae iam ab anno 1884 die 24 septembris a S. R. C. praesentibus prorsus similes missae fuerunt Italiae Episcopis, quae similem pariter praesentis Ordinationem comitabantur, normas continentem congruasque instructiones, ut sacri locorum Antistites functiones sacras ea qua par est dignitate persolutas cernerent. Verum, uti humanis in rebus accidit, ex eiusmodi Ordinatione vix aliquid fructus perceptum fuit ob non paucas nec leves difficultates, uti in praesentibus habetur litteris, quae illius adversatae fue-

runt observantiae. At quaenam esse hae difficultates potuerunt, quae sapientes providae Ecclesiae conatus fere ad nihilum redegerunt? Unum, ni fallimur, praecipuum, in quo reliqua obstacula comprehenduntur, fuit regularum pro musica coarctatio quaedam (1), efficiens, ut multis in locis nonnisi gravate ad actum deduci possent. Subsidia namque pro illis exequendis in Ecclesiis, locorum temporumque adiunctis maxime in praesentia perpensis, deficiunt in diem. Hinc exquisita ab Ordinariis locorum iudicia, et a musicae peritis auditae sententiae: hinc supremi Pastoris voluntas, ut in plena Congñe Rituum iam dictae proponerentur ab Emis Patribus discutiendae ac resolvendae quaestiones. Iam nunc, praefatis iudiciis sententiisque acceptis, eiusmodi habita est discussio, in qua Emi Patres, praesentibus etiam Rmis Sacri Tribunalis Officialibus, eas quaestiones trutinati fuere, explanarunt enodaruntque. Post haec, per Emum Aloisi-Masella S. R. Congñi Praefectum discussa et acta ad Summum Pontificem delata sunt; et Sanctitas Sua cuncta audire ac perpendere, immutare nonnulla voluit et nonnulla expungere, atque inde supremo suo oraculo probare et confirmare. His omnibus persolutis, tunc tantum, Eadem Sanctitas Sua voluit, ut nomine quoque suo, uti par erat, a S. R. C. litterae circulares ad Italiae darentur Episcopos: quorum labori et zelo committeretur observatio eorum omnium, quae pari studio ac sapientia constituta

(1) Satis hoc videntur ostendere peculiariter quae in § IV numeris fere omnibus, postremis specialiter, antiqua Ordinatio disponit.

fuerant. Locorum itaque Antistitum est, supremae Ecclesiae voluntati respondere, ut illius spes non praecidatur, sacrarum functionum decus augeatur, et unaquaeque pro viribus Ecclesia quasi uno ore, caeli terraeque Dominum digne concelebret.

4. Ordinationis praesentis pars prima normas complectitur pro musica sacra in ecclesiasticis functionibus congrue adhibenda. Antequam de singulis aliquid disseramus, ab re non erit difficultatem nobis ipsis resolvendam, quasi praeiudicialem, sit venia verbo, nobismet opponere. Ut quid enim, obiici posset, tantus rumor, pro duodecim articulorum promulgatione, qui vix aliquid in particulare decernunt, omnibus iam noti erant, ac velut in spatii immensitate consistunt, ut quasi aerem verberare visa fuerit? Sed ante omnia reponimus: unde rumor? Ab iis profecto, qui alienam invadentes provinciam, aliis se praeponebant, et legem ferre, qui eam observare deberent, praesumebant. Hic rumoris causa, cuius sedandi necessitate competens auctoritas compulsa surrexit, ut iure et ex officio ostenderet ac doceret *unicuique suum;* sed de his posthac.

Quod generaliores attinet normas, animadvertendum est, eas fuisse ab ipsa necessitate impositas. Ut quid enim tempus terere in particularioribus dictandis regulis, quae ab Ecclesiis, si paucas principaliores excipias, adimpleri nequeunt? In illud incidisset sane S. R. C. incommodum, quod evitare voluisset. Ut enim paulo superius innuimus, eo minus, quia difficilius, in actum deducuntur praecepta quo maiora numero sunt et minutiora. Imo, dum nimiae ac minutae exhiben-

tur leges, implicatae animoque deiectae in iis exequendis manent Ecclesiae; et, quod peius est, ac de praeterito plorandum, ansa praebetur hostibus, ut contra inobservantiam clamores edant et querimonias.

Ceterum quid anteacta, hoc super negotio Concilia statuerunt? Consule, ex. gr. Concilium Romanum (1725), quid ait? Organistas et cantores esse cohibendos, ab inducendis in Ecclesiam *indecori cantus modulationibus.* Quid Concilium provinciale Quebecense (1851)? Cantum in Ecclesiis ad divinum cultum pietatemque fovendam inservire debere, et eiusmodi musica, ut *nec levis vel indecora theatrumque redolens a divina contemplatione fideles avertat.* Quid Synodus hibernensis (1850)? Exigit ut *Nullus cantus nisi gravis et ecclesiasticus in ecclesiis adhibeatur.* Similiter alia sine numero particularia, sive antiquiora, sive recentiora Concilia, profanam musicam, ludricam, lubricam, mollem etc. quae mentem animumque a divinis avocat, prohibent et damnant. Quid praeter cetera Tridentina Synodus? « Ab Ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo, sive cantu, lascivum aut impurum aliquid miscetur *(locorum Ordinarii)* arceant *(Sess. 22 Decr. de observ. et evitand. in celebr. Miss.)* ».

Ubinam tot peculiares normae, tot praecepta in musica exequenda, tot speciales regulae pro ea componenda, tot minutiora praescripta, apta potius non ad homines in officio continendos, sed potius in eius observantia implicandos? Quid imo censendum, si eadem se ratione gerere solemne ipsi Summi Pontifices habuere? Celebris est, eaque sit satis, Benedicti XIV Constitutio Annus

QUI, d. d. 19 Februarii 1749: quid nihilominus ipsa praecipit? En illius summa: « Ut musicus cantus, qui nunc in Ecclesiis usu receptus est, et qui organi aliorumque instrumentorum harmoniae coniungi solet, ita instituatur, ut nihil profanum, nihil mundanum aut theatrale resonet (§. 2) ». Eiusmodi proinde et S. R. C. vestigia prosequuta in praesenti Ordinatione, a multiplicitate praeceptorum, et a minutioribus exigendis sapienter abstinuit. Non quidem ut effraenata unicuique daretur libertas, sed ut locorum Ordinariis servaretur facultas, seu quae minoris sunt gravitatis in Ecclesiis sibi subiectis statuendi, seu ita moderandi ac temperandi negotium, ut musica indoli moribusque christianorum ubique responderet. Ipsorum est enim quae ad Liturgiam pertinent curare, et ad normam Decretorum, Conciliorumque praescriptum cantum ecclesiasticum, quae Liturgiae solemnitatem comitatur, et quasi dicam, constituit, ordinare, moderari, disponere, tutari. Hinc patet, haud latas pro musica, praesenti Ordinatione, in spatiis imaginariis Sacrum Tribunal Rituum constituisse leges, sed in generalioribus principiis, quorum applicatio ad particulares casus Episcoporum vigilantiae et prudentiae commisit. De re enim disciplinam spectante agitur, quae diversa esse potest imo revera est, pro locorum ac temporum adiunctis, secundum mores, naturam, et consuetudines populorum, ut eadem esse semper et ubique locorum, velut absurdum reputari debeat. Quod si a S. R. C. disposita iam omnibus innotescebant, reponendum primo, haud semper Leges etsi notas actus dirigere humanos, ut principes eas iterum inculcare optime possint ac debeant.

Praeterea hae normae conditae sunt, ut sciant Ecclesiae quid valeant, quid nequeant. Hinc quoque palam fit, non aerem S. R. Congñem verberare visam esse, sed eos potius, ni fallimur, qui vanis stultisque conatibus universos, nedum christianos sed et homines quoscumque, uno eodemque, ut ita loquar, habitu induere contendebant, quanta vi atque iniustitia pari, alii referant.

5. Ea propter: 1. emendandam censuerunt Emi Patres Ordinationem pro musica sacra ab anno 1884 iam evulgatam, eamque per generaliora principia faciliorem reddere. 2. Eam non esse pro omnibus Ecclesiis Orbis universaliter emanandam, sed tantum pro italis; in his enim solum, gravia deplorabantur incommoda, et pro his peculiariter, ii quorum nullo pacto intererat, quibus nullum ius erat, nullaque obligatio, imprudenti, nec secundum scientiam zelo exardescebant. 3. Ecclesiastici cantus, seu liturgici, hoc est *firmi*, seu illius qui a Petraloisio Praenestino nuncupatur, seu musicalis in genere, studium per efficaciora subsidia esse omni ope quidem fovendum. Attamen locorum Ordinarios adhortandos, iisque maxime commendandum, ut in illo serius insistant, omnemque operam ponant, seu per Dioecesanas provincialesve Synodos, seu per alios ecclesiasticos conventus. Sacri enim cantus cura committi laicis nequit, executione excepta, in qua Ecclesiae viris auxilium praestent. 4. Denique laicorum hoc specialiter in negotio subiectionem, ac dependentiam ab ecclesiastica auctoritate omnino imponendam esse atque exigendam: ne iterum novae suboriantur difficultates, novaque obstacula, ex quibus S. R. C. in universa, Metropolitae in provincialibus, Episcopi

in dioecesanis Ecclesiis, a privatis hominibus impediantur, a latis legibus, iuxta voluntatem supremae auctoritatis, adimplendis.

Hae sunt bases, haec fundamenta, quibus Ordinatio prudenter suffulta fuit, ad quam proinde iam deveniendum est.

6. In duas ipsa dispescitur partes, quarum prima generales continet normas, in duodecim articulos distinctas. Ex his docet primus: Omnis compositio musicalis, quam spiritus informet sacrae functionis, cui inservit, cum ritus verborumque significationi devote respondeat, ad pietatem fideles movet, digna proindeque est domo Dei. — Sacra Liturgia, Ecclesiae ipsiusque Dei redolet spiritum, quippe quae partim divinae institutioni, partim ad Ecclesiam pertinet, quae spiritu Dei agitur. Unus ergo est Liturgiae spiritus, sacrarumque proinde functionum ad illam spectantium, spiritus Dei. Hic ritibus dominatur, hic verba informat, hic totos complectitur actus sacros, quibus Liturgia exprimitur. Hoc autem Ecclesia Dei acta, nunc laetatur, nunc moeret, modo plorat, modo oblectatur, hic clamat, illic gemit, continuo orat, laudat, credit, sperat, amat, quandoque supplici se gerit animo, quandoque triumphum agit. Sensus hi sunt piae matris Ecclesiae, quos multitariam multisque modis in suis functionibus exprimit, quosque induant oportet illi, qui vel in sacris elucubrandis modulationibus, vel in iisdem concinendis operam ponunt. Hi Sacrae Liturgiae constituunt spiritum, quo compositores cantoresque repleti apprime salutarem illum gignent effectum, pietatem ac devotionem fidelium audientium. Ex qua indubia veritate gravissimum licet

consectarium inferre, hoc est, nullum generis cuiuscumque cantum esse in templo Dei vetitum, cum nemo inficias eat, illum sacrae Liturgiae spiritui respondere posse, in audientibus proinde devotionis affectus excitare. Sit ergo cantus firmus melodicus, sit harmonicus praenestinianus, sit harmonicus chromaticus, sit altera vel altera tonalitate praeditus, nil interest: rituum verborum sacrorum spiritus illum informet, dignusque erit qui congruum in Ecclesiis locum habeat. Hinc nullum unquam legimus ab Ecclesia vetitum pro divino servitio cantus genus, neque a sua origine vigentem musicam, quam novam dicunt, et sapientibus de causis. Namque ab iis quaerimus, qui ecclesiasticae musices instauratores se iactant: Quaenam illius natura musices, in domo Dei adhibendae, ut ab alterius discriminetur a templis arcendae? Quinam characteres seu quaenam dotes exclusivae, alteri prae altera competunt? Quaenam iudicia, seu criteria, ut altera admittatur in Ecclesiis, excludatur altera? Exploratum est, omni inclamantes nisu, tam voce quam scriptis, ad hoc devenire hucusque non valuisse, ut inter musicam et musicam essentiale assignarent discrimen. Equidem cantus firmi genus a praenestiniani essentialiter differt, et utrumque a tertio genere discriminatur, seu recenti musica. At num solum adhibendum primum genus? Communiter non admittitur, essetque profecto festum a festo, solemnitatem a solemnitate non distinguere, et naturalia negligere vel spernere subsidia, quibus homines eorumque ingenia ditavit Deus, ut vocibus, mentibus, animisque se vibrarent in caelum. Num alterum ita, ut tertium

repudietur? Sed hoc idem esset impossibilia iubere, cum huius generis cantus scholas exigat ac praeceptores, discipulosque plurimos, in illis edocendi, in istis addiscendi studium ardens assiduumque, ut minori quo fieri possit vitio faciliorum compositionum obtineatur executio. At neminem fugit, ad hoc pecuniaria subsidia nec levia requiri, quibus pleraeque destituuntur, maxime iniquis temporibus nostris, Ecclesiae. Quid inde? Solemniora hae cogerentur festa transigere, quin ulla, quod cantum attinet, haberetur solemnitas: quod clero verteret toedio iniuriaeque, fidelibus scandalo. Eapropter mutuent, si placeat, minoribus aptiores voces, felices illae ac principaliores perpaucae tamen orbis Ecclesiae, quae in abundantia peritorum et vocum veluti notantes, id genus cantum exequi maximo cum Dei hominumque honore valent. At quaenam sic optaret Ecclesia negotium componere? Conveniendum profecto, in quamplurimis, immo plerisque Ecclesiis, cantus a Petraloisio dicti usum in votis quidem esse posse, ad actum deduci stultitiam fore: in quibus nihilominus tertium cantus genus perfacile ac laudabiliter exercetur. Ceterum et hoc admittitur, cum moderatione tamen. Sed in quo huiusmodi moderatio constituenda? Ad particularia descendere nullus peritorum audet. Nonnisi ergo generale principium manet, quod sapientissime S. R. C. statuit ac firmat, ut videlicet eiusmodi cantum informet sacrarum functionum seu Liturgiae spiritus, qui Dei spiritus est: sicque divinas laudes digne referat, et in corda hominum ascendat, caelestes producturus affectus.

Ceterum animadvertere fas sit, praeter principium positum, aliud graviori de causa non potuisse prudenter ponere S. R. Tribunal. Idem enim cantus, qui Germanos populos ex. gr. ad devotionem movet, Italis conciliat somnum: idem qui pro Italis devotissimus est, Germanis apparet risu dignus, mentiumque a Deo evagationem gignens(1).

Qui pro Gallis optimus est cantus, ut in Deum assurgant, idem ab Italis iudicatur levis nulliusque gravitatis: e converso qui religiosus est Ita-

(1) Unus ex clarissimis Germaniae viris, musicaeque sacrae peritus modulationi Litaniarum Deiparae pluries in romanis Ecclesiis adstitit; eamque censura notavit, ac si eiusmodi modulatio impar omnino esset fovendae pietati. Similem illam dixit modulationibus illis, quas scoparii publici, vel alii eiusdem furfuris plebei homines per vias cantitant, vulgo *tarantella.* Et tamen cantum alium pro Italis fere universis vix reperies, qui magis sit aptus, seu ad pietatem in caelestem communem Matrem fovendam, seu ad corda in Deum salubriter erigenda. Sed vero alter ex illustrioribus Ecclesiae Romanae viris paulo post censuram ad nauseam usque Romae auditam, Germaniam petitus, Litaniarum earumdem saepe audivit modulationem illic in usu, qua pariter nulla est aptior omnium indigenarum iudicio, ad pios excitandos devotionis sensus. At ei haud dissimilis cantilena eiusmodi visa est ab illa, quam appellant Itali puerorum neniam, eorum praesertim prolixiori aeternove cantu *bitte für uns.* Pro quo ex duobus pugnabat ratio? Pro neutro, inquam: optima enim, seu piissima Litaniarum in Italia modulatio, sed pro Italis: optima pariter ac piissima Litaniarum modulatio in Germania, sed pro Germanis. Italam in Germaniam, Germanicam in Italiam modulationem transfer, et experieris oppositum. Eadem modulatio, sed diversa populorum indoles: hinc contrarii gignuntur effectus. Quomodo igitur diversi populi eodem nutrirentur cibo, si alii ab aliis diversum stomachum possident? Quod aliis sapit cum eoque nutriuntur, aliis stomachum movet, ut sine alimento maneant, et elangueant. Utinam id intelligerent reformatores, et silerent?

lis, idem quoque Gallis interdum admirationem, nisi scandalum, parit. Idem sentiendum, experientia docemur, de diversis etiam eiusdem nationis vel provinciae Ecclesiis: ut fatendum necessario nobis sit, pro diversitate indolis populorum diversos esse posse ac debere cantus. Cantus enim pro hominibus a natura institutus est, non vero pro cantu homines facti: ut eius effectus ex variis diversisque, seu componentium, seu cantantium, seu audientium naturalibus, ut supernaturales sileamus, dispositionibus dependeant. Has vero nonnisi generaliora principia continere in officio possunt, non autem minutiores normae: quae, praeterquam quod Supremi Legislatoris prudentiae non conveniunt, scientiae artisque vires imminuunt, aequam compositorum libertatem coarctant, genii impetum catena constringunt, sacrique ardoris praecidunt alas, ne mentes et corda in superna advolent. Stat ergo sapientissimum principium: quicumque cantus pro Ecclesia Dei aptus est iudicandus, modo Liturgiae spiritus illum informet.

7. Eiusmodi est, alter ex articulis proclamat, Gregorianus Cantus, qui firmus communiter appellatus fuit, nunc quoque liturgicus vel aliis nominibus nuncupatur, quem uti vere suum Ecclesia reputat, ut solus sit quem in codicibus liturgicis a se approbatis illa adhibet. Ecclesiae igitur cantus proprius est liturgicus: sive quia a suis incunabulis alium nullum praeter istum novit: sive quia psalmorum ipse imitatur melodias, quae, uti quamplures peritiores docent, ab eadem hebraica derivavit Ecclesiae Christi, sive quia in ipso se placuerunt Pontifices, quos inter magnus

Gregorius emicat: sive quia Patrum ipse constituit delicias, Ambrosii peculiariter, Augustini, Bernardi abbatis: sive denique, quia clericis Tridentina Synodus ut ipsum addiscerent, praeceptum imposuit, quod hucusque perdurat: licet, proh dolor! multis quasi emortua litera illud evaserit. Hinc Missae partes, quae a sacris ministris sunt concinendae, eadem adhuc ratione leguntur in Missalibus inscriptae et observantur, ac in primitiva Ecclesia: quod et de cleri, antiquitus et de populi, responsionibus comprobatur. Hinc eaedem in solemnibus officiis antiphonarum intonatio, quae etsi accidentaliter ex quadam necessitate mutata in aliquibus Ecclesiis fuerit, eiusdem nihilominus natura cantus immutata permansit. Toto igitur iure veritatis edicitur in praesenti articulo, Ecclesiam liturgicum cantum reputare suum, quem proinde curat et servat in codicibus liturgicis, quos approbavit. Quinam autem hi codices sint, quinam non sint, in fine dicemus, cum Decretum commentabimur. Hic unum animadvertere iuvet, cantum liturgicum in appositis codicibus contentum, esse ab Ecclesia approbatum: ex quo palam sequitur, alios diversi generis cantus non esse approbatos sed permissos, ut modo erit dicendum. Ergo hic cantus approbatus reliquis praevalet, est enim Ecclesiae proprius. Alia ab isto cantus genera, eadem natura saltem, locum inveniunt etiam in theatris, aut in academiis, in aulis: istud vero solummodo in templis Dei. Theatra enim, academiae, conventus instituuntur praecipue ad moralem instructionem et auditus delectionem: functiones sacrae in Dei templis unice ad laudem divinam, spiritalemque utilitatem populorum. Hinc

delectatio auditus, quae in illis quoddam praecipuum constituit, in his vel nulla prorsus, vel omnino spiritalis est, vel tamquam subsidium iudicanda, ut sursum corda erigantur. Augustinus timebat, ne aurium oblectamentum officeret utilitati spiritus: quod si huic aliquantulum illud in ipso praevaluisse sentiret, se deliquisse censebat. Quam perfecta religio, omnibus peramanda? Provida mater Ecclesia maius semper filiis suis bonum exoptans, hoc cantus genus approbat, sibique adoptat, per quod, difficile corporea oblectatione spiritui dominante, facilius in caelum mens ascendit, in Deo solatur et quiescit. Utinam id intelligerent et Ecclesiae viri ac fideles? Verbum Dei auribus corporis simpliciter, sed digne concentum, penetraret cor, fructumque tricesimum non tantum aut sexagesimum, sed et centesimum afferret.

8. Sed iuvanda natura hominis est, aptioribusque subsidiis communienda, ut propositum attingat: quod eo magis verum fateberis, quo debilitata cernitur fides, refrigescit multorum caritas. Hinc articulus tertius Ordinationis docet: Cantus poliphonus, nec non chromaticus, dummodo antedictis dotibus praediti, convenire sacris functionibus possunt. — Praeter Gregorianum cantum, qui, uti ab antiquitate nobis traditus fuit, unius est soni, adsunt et alia duo nota genera, quae multiplicis soni sunt, unde poliphona Ordinatio nuncupat. Quod profecto accidit, non quia unius soni esse nequeat, sicut plurium sonorum Gregorianum; sed quia, sicuti naturaliter harmonia non exornat primum, ita alia duo eadem harmonia decorat. Codices equidem ab Ecclesia approbati liturgicum referentes cantum, eum non harmoni-

cum sed melodicum tantum exhibent. Id significat, pro cantu poliphono hic non intelligi liturgicum, sed vel a Petraloisio Praenestino dictum, vel hodiernum musicum, qui chromaticus quoque hic appellatur, ut ab altero, et iure, discriminetur. Cantus enim praenestinianus chromaticum genus respuit, utpote legitima liturgici proles, quam a patre sola harmonia discriminat. Musices namque chromatica, illa nuncupari solet, quae per hemitonium fere continenter procedit: quod de praenestiniano cantu non comprobatur. Quippe qui vix septimam modi notam, vel quae uti talis reputatur, hemitonio artificiali afficit. Ut consequenter, quamvis aliquantulum chromatici generis fiat particeps, appellari chromaticus nullo pacto queat; parum enim, hic applicari posset adagium, pro nihilo reputatur. Ceterum etiam in cantu liturgico consueverunt aliqui nonnullas in fine distinctionis notas hemitonio afficere; abre autem propter eas cantus Gregorianus appellaretur chromaticus. Perspectum quidem habemus, aliquos ex hodiernis peritis haec hemitonia malo animo ferre; sed nimia vitanda austeritas, ne hic quoque ad Iansenistarum notam offendamus. De harmonia autem liturgici cantus silemus, sive ea ex vocibus pluribus, sive organis, sive alio instrumento artis efformetur. Si enim cantus quicumque poliphonus admittitur ab Ordinatione praesenti, nec harmonicus liturgicus certe respuitur. Hoc unum nihilominus maxime refert: ita vocum et instrumentorum parare concordiam, ut et regularum artis observantia, et decor simul cantusque liturgici maiestas apprime obtineantur. Hinc norma praesens exigit, ut cantus harmonicus praefatis doti-

bus sit praeditus: videlicet, ut Liturgiae spiritus, actuum verborumque proprius, ad ipsum transeat cantum, qui velut illo indutus audientibus appareat, uti satis superque antea dictum est.

(Continuabitur)

D. C.

DE VITA ET OPERIBUS
IOANNIS PETRALOISII
PRAENESTINI
MUSICAE PRINCIPIS

(*Contin. V. num. 7, pag. 418*)

Omnes autem hae summi viri compositiones, antonomastice *alla Palestrina* nuncupatae, voce tantum assa, idest absque organis, ceterisque musicis instrumentis concinendae sunt. Et hoc est quod characterem imprimit Praenestini nostri polyphoniis, quae ingenti omnium cum plausu, audire adhuc datum est in Vaticana Capella Sixtina; in ipsis namque inter omnes alias virtutes talis emicat vocum concentus, ut ex eorum admirabili nexu impossibile sit, quin omnes a sensibus abducantur. In hisce insuper compositionibus numquam concordes initium faciunt voces, sed una tantum duobus vel etiam tribus musicis numeris exoritur, cui statim altera subintrat, et se-

cundae tertia, et sic deinceps, mirum in modum vicissim seipsas alternantes.

Sicque haud solum plena et perfecta habetur verborum intelligentia, sed concentus aures demulcet varius et suavis, qui ad imum descendit pectus. Hinc mirandum non est, si ut saltem aliquando divinas istas degustent harmonias, ex omni caelo ad almam Urbem conveniant exteri: ex algidis Angliae et Moscoviae plagis, sicuti ex Sequanis oris, Rhenanisque littoribus. Cordium regina et domina musica est; sed sacra et divina a Praenestino elucubrata omnem sensum absolute exuperat, omnesque pervadit latebras cordis, ipsumque spe et amore erigit ac immutat in melius.

Sed ad culmen hoc perfectionis Petraloisius pertingere potuit, solum quia divino religionis spiritu afflatus; unica enim tantum religio ad divinarum rerum contemplationem homines extollere valet. Quot enim artis miracula post homines natos humanum produxit ingenium, divinae Religionis inspirationi debentur.

Praeterea animum Praenestinus intendebat, haud quidem ad inanem externamque gloriolam suis musicis compositionibus sibi captandam, sed praecipue animo statutum habebat, divini cultus splendorem maiestatemque ampliare, nec non et animarum consulere saluti. Ipse Petraloisius de se testatur; paucis enim tantum antequam animam exhalaret, Hygino filio mandat, ut ineditas musicas compositiones evulgare curet, ad maiorem domus Dei decorem. Et in nuncupatione hymnorum Sixto V Pontifici ait: « Institutum meum teneo ea complectendi, quae et sano verborum ac sententiarum pondere, ac dignitate exa-

minata, et aliquo etiam musicae artificio adiuta, facile possunt animos ad pietatem excitare».

Praeclarissimo ergo et singulari prorsus modo Petraloisius noster de musicali arte ac de catholica Ecclesia bene meritus est. Praesertim si attendatur omnium primum et absque alio subsidio, praeter admirabile ingenium, musicalem artem ipsum creasse, eamque nobilitatam, atque perfectam reliquisse. Ideoque Petraloisius noster, hic almus harmoniae parens, uti princeps Gallorum poetarum huius saeculi eum appellavit, dux peritissimus in perpetuum erit, eorum qui musicale stadium currere cupiunt.

Sed fulgidissimum hoc Praenestinum sidus, apogaeum assequutum, iam vergit ad occasum. Cum iam inde a tenera aetate omnem navasset operam divinis laudibus elucubrandis, condigna ferenda eidem erant praemia laborum; ast ubinam quam inter beatos spiritus sodales suos, quorum divinos concentus tam perfecte imitatus fuerat, haec invenire poterat?

Desistente Ianuario anni 1584 Petraloisius noster lecto detinetur crudeli pleuritide laborans, in domo vulgo Gymnasii appellata, quae tunc temporis prope basilicam Principis Apostolorum existebat ad laevam eamdem basilicam prospicientis.

Sed S. Philippus Nerius Petraloisii lateri adstabat, supremum eiusdem excipiens spiritum: oh! adsistentia aeternae beatitudinis haud dubium pignus. Nerius ergo, dulcissimus Petraloisii spiritalis pater, aeternitatis iter amantissimo filio suo parat, Ecclesiae sacramentis eumdem reficiendo, Poenitentiae, scilicet, die 27 Ianuarii,

Eucharistiae die 28, et extremae Unctionis die 31 eiusdem mensis; et postea iterum atque iterum ipsum adiens, fervidissimis divinae caritatis sensibus ipsius incendit cor. Et praecipue ei in mentem revocat tenerrimam matrem nostram Mariam, quam singulari obsequio etiam puerulus prosequutus erat, et in cuius laudem quamplures elucubraverat melodias, filialem erga ipsam eiusdem benevolentiam optime significantes. Imo paucis tantum diebus antequam moreretur, pulcherrimum composuerat librum 30 italicis epigrammatibus constantem, extremum, quod exsolvit tributum Virgini Matri, in cuius honorem librum conscripserat, et quem Etruriae magnae ducissae Christinae nuncupaverat.

Sed, illucescente iam die 2 Februarii Beatae Virgini in templo se purificanti sacro, Nerius, occasione nacta a solemnitate ineuntis diei, Petraloisium sciscitatur, num cuperet caelum conscendere ibique beatorum inter agmina Purificationis festum peragere. Cui incomparabilis homo respondit: ardentissime cupio, et, sic beatissima Virgo Mater me adiuvet, impetretque a Filio suo dulcissimo. Haec Petraloisii extrema verba: post quae, oriente sole, placide obdormivit in Domino inter amplexus Sancti ex illustrioribus XVI saeculi. Oh beatissima mors! oh felicissimus transitus! En quomodo summi viri, Ecclesiae filii, moriuntur.

Urbs tota, et praesertim ingenuarum artium professores, simul cum Nerio in dolore atque moerore fuerunt ob magnum damnum factum in morte Petraloisii. Ingens eapropter multitudo et praesertim musicorum eiusdem deduxerunt funus

ad Vaticanam usque Basilicam, in qua sepeliendus ille erat. Quidam Melchior, testis oculatus, quem ex Pontificiis, arbitror, fuisse cantoribus, sic de funebri hac pompa enarrat: « Moritur (Praenestinus) mense Februarii die Purificationis 1594, sedente Clemente VIII, fuit sepultus in dicta Basilica (Vaticana), maxima cum pompa funerali, et magna cantorum comitante caterva: et qui vidit, haec scripsit Melchior Mafor: annis 68 vixit *(Haberl Petraloisii Opera omnia Vol. XVI)* ». Cui consonat Torrigius *(de Cryptis Vaticanis, Part. II c. II)*: « Il suo corpo fu portato intorno a Borgo (Vicus prope Vaticanam Basilicam) da tutti i musici di Roma accompagnato, et a tre cori li fu cantato a cinque voci un Libera me Domine ».

In sepulchro communi, in illo scilicet in quo tunc temporis omnes sub S. Petri parochia degentes indiscriminatim sepeliebantur, Petroloisii corpus humatum fuit. In eodem sepulchro paucis tantum annis eum praegressa erat amatissima uxor Lucretia, et subsequuti postea sunt nonnulli alii de stirpe sua, uti Gregorius ac Septimius Hygini liberi, nec non Angelus et Aurelia ex Angelo Petraloisio nati. Unicum observantiae signum, quod erga tantum virum ostensere coaevi, titulus fuit Musicae Principis, quem super loculum ex zynco insculptum apposuerunt. Titulus revera insignis, quem nullus etiam in posterum eidem denegavit neque denegabit, quique summam Petraloisii laudem efficit, atque eumdem immortalitate donat. En titulus:

IOANNES PETRUS ALOYSIUS
PRAENESTINUS
MUSICAE PRINCEPS.

Cum vero pristina Basilica iam vetustate fatiscens demoliri incoeptum est, cadavera et ossa ibidem reperta, inter quae et illa Petraloisii, translata in novam Capellam Ss. Simonis et Iudae fuere, ibique decenter collocata.

Neque valde mirandum est de tanta contemporaneorum incuria, erga Principem Musicae. Idem enim sorte obtigit illustrioribus illius saeculi viris: imo quorundam ex ipsis, uti celeberrimae poetriae Victoriae Columna, nec sepulturae locus amplius inveniri potest: et quorumdam serius tantum, cum nempe praeclara ipsorum merita condigne aestimari coepta sunt, sepulchra illustrata fuere.

Occasione nacta ex centenariis festis hoc anno redeuntibus felicissimi transitus Petraloisii nostri, permulti, sive in publicis Ephemeridibus sive in privatis comitiis, Praenestini laudes evulgarunt, eiusdemque praeclarissima merita ad sidera extulerunt. Inter quos et ego; qui pro tenuitate mea veris laudibus magnum hunc concivem (cum et ego civis sim Praenestinus) exornare volui, opellam evulgans italico idiomate exaratam de illius vita et operibus, testimonia hauriens ex fontibus adhuc inexploratis.

Cantorum Collegium Sixtinae Capellae in Petraloisii honorem, qui quondam unus eorum fuit, die 26 Aprilis decurrentis anni, in Clementina aula ad Vaticanum, adstantibus Pontifice et illu-

strioribus quibusdam viris, magnum egerunt coetum musica et carmine. Inter Praenestinianas melodias quae ibidem audire datum fuit, perplacuerunt celebris *Stabat Mater*, *Peccavimus*, ac *Credo* Missae Papae Marcelli.

Sed solemniora festa parantur Praenestae; ibi enim in mense Augusti evolventis anni statua aenea Petraloisio erigenda erit prope Cathedralem Ecclesiam, in loco praecise ubi olim urbis forum ac aerarium positum erat.

Sicque unicus Petraloisius merito coaequabit res praeclare gestas sive Manicii strenui oppugnatoris ad Casilinum Hannibalis copiarum, sive Verrii Flacci, sive C. Valerii Dolutii, sive Anicii Anchenii Bassi, sive M. Aurelii Agilii, sive ceterorum omnium Praenestinorum civium, qui olim statuam habuere in foro. Imo omnes vincit arte et ingenio, etenim, ut verbis utar praelaudati Melchior: « Habuit vir ille omnes omnium modulationum et cantuum ideas in animo impressas atque insculptas. Nulla tarda, nulla sonorum convenientia gravis, nulla acuta, nulla subtilis et limata, nulla popularis et vulgi auribus accomodata, nulla celer, nulla exilis et nuda, nulla plena et numerosa excogitari potest, quae non sit ab eo tentata, confecta et absoluta. Cum igitur haec omnia musicae munera nemo his temporibus melius Praenestino nostro praestiterit, iure optimo musicae parentem, ut Homerum poeticae, possumus nominare ».

Dictioni nostrae tandem finem imponimus stultitiam improbitatemque illorum exprobrantes, qui catholicam Ecclesiam veluti obscurantismi patronam traducunt, atque scientiae progressus retar-

dantem: cum e contra plane notum sit, ipsam esse ex qua bonum et pulchrum hausere quotquot praeclari fuerunt ingenii; insuper Ecclesiae filios fuisse omnes bonarum artium litterarumque cultores illustriores, a Giotto ad Raphaelem, ab Aligherio ad Tassum, a Praenestino ad Rossinium.

APPENDIX

ELENCHUS PRAECIPUORUM PETRALOISII OPERUM.

Innumera, ut diximus, extant Petraloisii opera per Europam dispersa. In Urbe tamen numerosiora magis inveniuntur quam alibi. En quae Barberiniana possidet bibliotheca *(Ms. Cod. N. XLVII. 55)*:

Missae vocib. 8: Laudate Dominum omnes gentes — Hodie Christus natus est — Fratres, ego enim accepi a Domino — Confitebor tibi Domine.

Litaniae vocib. 8: Sanctissimi Sacramenti — Nominis Iesu — B. Mariae V.

Pater noster — Ave Maria, vocibus 8.

Motetta vocibus 8: Fratres ego enim accepi a Domino — Expurgate vetus fermentum — Apparuit gratia Dei — Sub tuum praesidium — Caro mea — Dies sanctificatus — Disciplinam et sapientiam docuit — Congratulamini mihi — Magnus Sanctus Paulus — O quam suavis est Domine — Salve Regina — Paulus Apost. praedicator veritatis — Surge, illuminare Ierusalem — Hodie Christus natus est.

Motetta 2 choris, vocib. 4: Alma Redemptoris mater — Ave Regina caelorum — Regina caeli.

Rhythmi vocib. 8: Ave mundi spes Maria — Lauda Sion Salvatorem — Veni, Sancte Spiritus — Victimae Paschali choris 2.

Psalmi vocib. 8: Nunc dimittis — Omnes gentes plaudite manibus — Iubilate Deo omnis terra — Laudate pueri Dominum — Domine in virtute tua laetabitur rex — Laudate Dominum omnes gentes.

Canticum vocib. 8: Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi.

En etiam quae in Casanatensi bibliotheca reperiuntur *(Ms. O. IV. 174 Cod. 2770)*:

Stabat Mater, vocibus 8: Veni pater pauperum, 4 vocibus — Magnus Sanctus Paulus, 4 vocib. — Gaudent in caelis 4 vocib. — Valde honorandus est 4 vocib. — Nos autem gloriari oportet 4 vocib. — Rex virtutum 3 vocib. — Iesu rex admirabilis 3 vocib. — Improperia 4 vocib. — Magnificat primi toni 4 vocib. — Asperges me, Domine.

Praeterea *(O. III. 48 Cod. 2748)* haec aliae Missae inveniuntur: De Beata Virgine — Sit nomen Domini — Ad fugam — Ad caenam agni providi — Papae Marcelli 6 vocibus — Alia multa insuper ibidem habentur etiam sub signo *(O. I. 24. 26. O. II. 184. 196. O. III. 22. 23)*.

(*Finis*). IOSEPH CASCIOLI.

APPENDIX

DECRETA
NUPERRIME EDITA
PRO RECTA PROCESSUUM BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS
CONFECTIONE

I.

Plerumque accidit ut in constructione Processuum, qui in Causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei tam Ordinaria quam Apostolica Auctoritate extra Urbem conduntur, haud leves irregularitates reperiantur. Hinc Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII volens ut in re tanti momenti praescriptiones Decretorum s. m. Urbani Papae VIII religiosissime serventur, audito R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei promotore, R̃mis locorum Ordinariis, quae sequuntur in mentem revocari iussit: quibus ipsi in posterum plane inhaerere curent.

I. Iuxta Decreta a s. m. Urbano Papa VIII edita, Traductores ac Revisores Processuum, qui in lingua vernacula fuerunt exarati, eligendi ac deputandi sunt ab Em̃o Cardinale respectivae

Causae Ponente; minime autem a Iudicibus Processus ipsius.

II. Praeter Autographum Processus, quod clausum ac sigillis munitum in Archivo Episcopali custodiendum est, unum tantummodo illius exemplum, seu *transumptum* fieri licebit, et hoc ipsum manuscriptum, non vero impressum, vel *polygraphatum,* uti audit. Idem porro transumptum pari modo obsignatum Romam mittendum est, neque aperiendum absque Summi Pontificis venia.

III. Ne ob diuturnum temporis decursum folia Processuum detrimentum patiantur, prohibetur in eorum Actis inscribendis adhiberi charta, quae vulgo vocatur *a macchina;* sed singula Acta scribantur in foliis ex charta *a tino* noncupata.

Die 8 Aprilis 1889.

CAROLUS Card. LAURENZI, *S. R. C. Praef.*

Vincentius Nussi *Secretarius.*

Loco ✠ Sigilli.

II.

In Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanom habitis, inter cetera disquisitum fuit: utrum in Processibus, qui Ordinaria Auctoritate conficiuntur super Fama Sanctitatis, aut super Cultu Dei Servorum, Promotori Fiscali Curiae, cui tantum competit

hoc officio ac nomine, eisdem interesse, appellatio etiam S. Fidei Promotoris tribui possit, et ipse in Actis ita etiam sese subscribere. Sacra Congregatio, inhaerens traditae hac de re a Benedicto XIV doctrinae, et constanti praxi Curiae Vicariatus Urbis, decrevit: « *Significandum esse locorum Ordinariis, ut in quibusvis Processibus qui sua auctoritate fiant, Promotores Fiscales ab hoc titulo in posterum sese omnino abstineant, utpote S. Fidei Promotori de Urbe unice reservato* ». Die 14 Ianuarii 1893.

CAI. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praef.*

VINCENTIUS NUSSI *Secret.*

Loco ✠ Sigilli.

III.

Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanas Aedes subsignata die habito, audito R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, decernere rata est: *In Causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Postulator principalis unicus esse debet, et in Urbe fixam habere sedem. Vicepostulatores autem nonnisi a principali Postulatore in posterum eligendi erunt, sub poena nullitatis actorum omnium, quae per eosdem aliter deputatos fieri contigerit.* Atque ita decrevit die 22 Augusti 1893.

Facta vero de praemissis relatione Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per me subscriptum Cardinalem Praefectum, idem Sanctissimus Dominus noster decretum Sacrae Congregationis ratum habuit, et confirmavit die 21 Decembris anni eiusdem.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praef.*

Vincentius Nussi *Secret.*

Loco ✣ Sigilli.

IV.

Non semel, occasione propositionis dubii pro signanda Commissione Introductionis Causae Servorum Dei, Sacra Rituum Congregatio animadvertit, iam delatis Romam et in eadem S. Congregatione apertis Processibus ab Ordinariis ea super re confectis, Postulatores, inaudita Apostolica Sede, novas ab iisdem Inquisitiones fieri curasse, ut difficultatibus occurrerent, quas in prioribus Actis deprehendissent. Mos iste, quamvis sub sanctione Decreti Alexandri PP. VII *de non coadiuvandis probationibus,* utpote directe lati pro Apostolicis Processibus, non cadat; haud tamen iuri communi congruit, et pluribus abusibus viam sternere potest. Quapropter eadem Sacra Congregatio, audito R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, censuit: *Consulendum Sanctissimo, ut*

deinceps, postquam primi Ordinariorum Processus Sacrorum Rituum Congregationi exhibiti fuerint, novae super iisdem Articulis informationes ab Ordinariis excipi nequeant, inconsulta Sacra Rituum Congregatione, sub eadem nullitatis poena, quae ab Alexandro Papa VII pro Apostolicis processibus constituta fuit.

Super quibus facta Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII relatione per me infrascriptum Cardinalem Praefectum, idem Sanctissimus Dominus Sacrae Congregationis sententiam approbavit, et in posterum districte servari praecepit, sub poena nullitatis. Die 11 Februarii 1894.

CAI. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praef.*

VINCENTIUS NUSSI *Secret.*

Loco ✠ Sigilli.

V.

Quum saepe contingat, ut Rm̃i Ordinarii ad Processus conficiendos in Causis Servorum Dei clericos aut presbyteros saeculares in Notarios assumant, ac postremis hisce temporibus nonnunquam etiam sacerdotes aliquem Regularem Ordinem professos; factum est hac de re verbum in Peculiari Sacrorum Rituum Congregatione, habita die 10 Aprilis 1894 in Causa Rothomagen. Canonizationis Beati Ioannis Baptistae de la Salle. Porro

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, quo constitutio haec in Notarios rite ordinateque fiat, referente R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, omnino decrevit: ut in quibuscumque Processibus tam Apostolicis quam Ordinariis pro Causis Servorum Dei conficiendis, non possint Clerici assumi in Notarios, nisi a suis Ordinariis Notariatus privilegio in scriptis antea insigniti fuerint; Regulares autem viri nonnisi ex Apostolico privilegio, ac de venia suorum Praesulum: firmo simul remanente quoad eosdem Regulares Decreto sa. me. Clementis Papae XII, diei 18 Augusti 1731, quo prohibetur ne sub quovis praetextu assumantur in Notarios Processuum Religiosi viri eiusdem Ordinis, quem Servi Dei, dum vixerunt, professi sunt, sub poena nullitatis. Die 16 Iulii, anno eodem.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praef.*

Aloisius Tripepi *Secret.*

Loco ✠ Sigilli.

CONGREGATIONIS MISSIONIS

Rm̃us D. Antonius Fiat, Superior Generalis Congregationis Missionariorum a S. Vincentio a Paulo Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII. supplex exoravit, ut benigne reputans mirabilem inter Christifideles propagationem Sacri Numismatis, quod ab Immaculata Deiparae Conceptione nuncupatur, nec non filialis pietatis augmenta et uberrimos sive temporalis, sive spiritualis salutis fructus omnibus perspectissimos, qui in Christianam Rempublicam exinde dimanarunt, dignaretur rem totam Sacrae Rituum Congregationis examini concredere, ut, legitimis, quae supernaturalem tanti eventus originem apprime conprobant, documentis data opera perspectis, solemne festum cum Officio et Missa propriis sub ritu duplici secundae classis in honorem Beatae Mariae Virginis Immaculatae *a Sacro Numismate* ab universa Congregatione sibi commissa, de ipsius cultu et propagatione praecipue merita, celebrari posset. Quum vero eiusmodi preces, cum schemate Officii et Missae, a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto et Causae Ponente in Ordinariis Sacrae ipsius Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis relatae fuerint, Em̃i et Rm̃i Patres Sacris tuendis Ritibus Praepositi, omnibus maturo examine perpensis, atque audito R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Pro gratia, et, quoad Officium et Missam,*

ad Emum Ponentem cum Promotore Fidei. Die 10 Iulii 1894.

Quare eiusmodi Officii et Missae a me ipso subscripto Cardinali una cum eodem Promotore Fidei novo schemate confecto, prouti heic praeiacet Decreto, Sanctitas Sua, ad relationem mei ipsius Cardinalis Praefecti, illud approbavit, simulque Festum sub titulo Manifestationis Immaculatae Virginis Mariae *a Sacro Numismate* quotannis, die 27 Novembris, ab Alumnis Congregationis Missionis sub ritu duplici secundae classis, et ab expetentibus locorum Ordinariis Religiosorumque Familiis sub ritu duplici maiori celebrandum indulsit. Die 23 iisdem mense et anno.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus.*

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1894.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 9, pag. 544.*)

§ 5.

DE PROCESSIONE LITANIARUM.

Quaeres 1. Quotuplex Litaniarum processio, et quaenam eius origo ac finis?

Resp. 1. Duplex est Litaniarum processio, altera namque maiorum, altera minorum Litaniarum liturgice nuncupatur. Prima consuevit fieri in die festo S. Marci, secunda iteratur in triduo ante Ascensionem Domini, et processio quoque rogationum dicitur. Discrimen inter maiores minoresque Litanias in maiori minorive solemnitate situm fuit; et adhuc denominatio permanet, quamvis vix extet in praesenti eiusdem discriminis ratio.

Resp. 2. Primam processionem antiquissimam esse dubitari non potest, post ea quae referunt Durantus (*De ritib. Eccl. Lib. II, cap. 10*), Amalarius (*De offic. Eccles. Lib. I, cap. 37*), Alcuinus (*De divin. offic. cap. 33*), aliique vetusti scriptores. Quamvis autem nesciamus tam piae institutionis auctorem, indubium nihilominus est, processionis huiusce consuetudinem longe ante S. Gregorium Magnum, qui illius auxit solemnitatem, extitisse, uti auctoritate Augustini, Basilii, aliorumque antiquorum comprobatur (*V. Quarti, De process. in particul. punct. IX*). Alteram vero instituit S. Ma-

mertus (saec. V) Episcopus Viennensis in Gallia, a qua in universam Ecclesiam invecta (1).

Resp. 3. Finis, nonnisi spiritale Ecclesiae bonum est, et fidelium quoque temporalis utilitas. Tunc enim temporis peragitur, cum segetes omnes, ait cl. Quarti, (*loco cit.*) in via sunt ad profectum, messes pullulant, arbores florescunt, vineae et olivae prorumpunt. Ut ergo impetrent Christiani a Deo messium et fructuum conservationem, maturitatem, felicemque exitum, hanc processionem instituit Sancta Mater Ecclesia.

Quaeres 2. Quinam huiusce duplicis processionis praecipui ritus?

Resp. Clerus et populus, postquam breviter in Ecclesia devote oraverint, pro processione disponuntur. Ad altare canitur Antiphona *Exurge Domine*, inde Litaniis initium datur, quarum integre deberet versus repeti a clero et populo. Quae in Rituali sunt, Litaniae uti iacent canendae, non aliae. Post primam Deiparae invocationem omnes surgunt, et canentes procedunt Subdiacono, vel clerico superpelliceo induto, praeeunte cum acolythis more consueto, ultimo loco Celebrans, quem populus sequitur, uti de aliis processionibus dictum est. Alii cantus, si longius sit iter faciendum, et nisi repeti velint Litaniae, addi possunt, haud tamen laetitiae, sed poenitentiae. Potest

---

(1) Cum anno 452 malis gravissimis divexarentur Viennenses cives, quorum tristissimos iam experiebantur effectus, uti incendia, terremotus, terrores nocturni, belluarum ferocitas etc. etc. S. Mamertus Antistes ad hanc impediendam ac removendam flagellorum colluviem concepit animo Rogationes seu psalmos, litanias, aliasque preces, quibus impraesenti ante Ascensionem Domini tota Ecclesia Deum placare studet, propitiumque populo christiano reddere.

processio in alias ingredi Ecclesias; et tunc Litaniae possunt abrumpi, et canere licet antiphonam loci Titularis propriam. Pluries ex consuetudine potest per viam processio consistere congruentiori loco, ex. gr. ubi agri, vineae etc. conspiciuntur, ibique versus licet iterare Litaniarum, quibus aeris salubritas, fructuum etc. conservatio imploratur, campos aspergere etc. cum cruce hastili benedicere. Processioni, cum in Ecclesiam reversa est, unde discesserat, cum praescriptis in Rituali precibus finis imponitur.

Quaeres 3. Quid de obligatione dicendum huiusce processionis?

Resp. Eam in praecepto esse pro Ecclesiis collegialibus, non est dubitandum, ita praescribente Rubrica Missalis Romani. In aliis autem Ecclesiis parochialibus locorum, in quibus collegiales non extant, Episcopi tenentur et Rectores, ait Quarti, omnino curare ut celebrentur processiones ordinariae, ab Ecclesia praescriptae in die Purificationis, Palmarum, in diebus Rogationum etc. et quidem sub gravi obligatione. Quia iis obligatio incumbit regendi suas Ecclesias, et consequenter curandi, ne omittantur functiones sacrae magni momenti, praesertim publicae: ne subtrahatur Deo cultus debitus, minuatur devotio fidelium, utilitas inde illis proveniens, et ne tali omissione detur populo occasio offensionis et scandali (*De procession. Sect. III, punct. II*).

Quaeres 4. Utrum Regulares compelli ad hanc processionem valeant ab Episcopo?

Resp. Affirmative, sicuti ad alias quae ordinariae sunt; imo compelli etiam possunt ad extraordinarias, gravioribus de causis, puta ob publicam calamitatem, ab Episcopo indictas: quod communiter docemur, et S. R. C. decretis pluribus confirmat.

§ 6.

DE PROCESSIONE IN FESTO SS. CORPORIS CHRISTI.

Quaeres 1. Quis et quando processionem instituit in festo Corporis Christi?

Resp. Processionem hanc statuit agendam primo Urbanus Pontifex IV circa dimidium saeculi 13 (circa an. 1261), eamque confirmavit Clemens V in Concilio Viennensi anno Domini 1301, denique sancivit et roboravit Concilium Tridentinum (*Sessio 13, cap. V*).

Quaeres 2. Quibus de causis huiusmodi instituta Processio fuerit?

Resp. 1. Huiusce processionis causae praecipuae sunt: 1. Institutionis tanti Sacramenti memoria, ut grates Christo debitas quantum vires suppetunt referamus, tamquam liberalissimo benefactori, novaque eum honorando beneficia nobis promereamur. 2. Fidei nostrae protestatio contra haereticos, qui realem Christi Domini praesentiam in Eucharistia denegant, hinc SS. Christi Corpus veluti triumphaliter per urbes pagosque in hac processione defertur. 3. Digna nostra aemulatio, ut cl. Quarti se exprimit, Ecclesiae triumphantis; sicut enim Christus vivus et verus in caelo ab angelis honoratur, ita et nos eumdem in Eucharistia solemniori qua possumus externa pompa veneramur. Hinc templorum, hoc in festo, splendor et ornatus, cantica triumphalia, quae per compita modulamur, campanarum festivus sonus, elegantiores vestes in ministris sacris, virentia folia, amoenique flores in viis etc. etc.

Quaeres 3. Cui Sacramentum solemniter deferre in hac processione competat?

Resp. Si processio post Missam fiat, iuxta Caeremoniale Episcoporum, vel ante illam, uti iustis de causis fieri quandoque solet, Sacramenti solemniter in Ostensorio deferendi honor illi uni competit Sacerdoti, qui Missam decantavit, vel concenturus est; cum hoc in casu processio veluti Missae appendicem S. R. C. consideret, uti ex pluribus Decretis constat. Excipe, si adfuerit Episcopus Ordinarius, cui ius inest Sacramentum deferendi, quamvis per alium Missarum solemnia celebraverit, uti Caeremoniale Episcoporum docet.

Quaeres 4. Utrum a pluribus Sacerdotibus possit in processione Sacramentum successive deferri?

Resp. Negative; una enim functio, ab uno quoque integre persolvenda. Hinc iure positivo id vetitum est, et ubi eiusmodi vigeat consuetudo, tamquam abusus eliminanda.

Quaeres 5. Utrum possit Sacramentum super currum triumphaliter deferri?

Resp. Negative, sed manibus Ostensorium tenendum est, ut dignitas Sacramenti exigit, et universalis Ecclesiae praxis confirmat. Hinc S. R. C. per plura Decreta currus prohibuit: ut si alicubi haec consuetudo vigeat, vel esse eam reprobandam, vel ex indulto fieri, indubie tenendum est.

Quaeres 6. Utrum plura erigi liceat altaria in viis, ibique in laudem Sacramenti aliquid canere, et populo benedicere, uti etiam in aliis Ecclesiis?

Resp. Affirmative, cum Caeremoniale Episcoporum id permittat, et consuetudo fere universaliter invecta exigat. Moderatione nihilominus opus est, neque in singulis id faciendum Ecclesiis, aut identidem in altaribus per vias erectis, *sed semel tantum vel iterum et ar-*

bitrio Episcopi, uti praefatum Caeremoniale docet (*Lib. II, cap. XXXIII, n. 22*). Cantus autem esse debet, uti per se patet, Sacramenti proprius, et in fine Oratio consueta dicenda est, post quam populus solemniter benedicitur.

Quaeres 7. Quinam speciales huiusce processionis ritus?

Resp. 1. Celebrans Sacramentum in Ostensorio sub baldachino defert, quod Beneficiati digniores usque ad portas Ecclesiae gestant, inde laicis etiam dignioribus tradunt: vel sodales deficiente clero, de more habitu proprio induti deferunt. 2. Duo thuribula deferuntur a clericis qui ante Sacramentum hinc inde incedunt, illa leviter moventes atque ita thus adhibentes. 3. Subdiaconi, ac Diaconi dalmatica, Presbyteri vero planeta induuntur supra superpelliceum, digniores autem pluviali. 4. Singuli ex clero intorticia deferunt accensa, sicuti sodalitatum, si adfuerint, confratres. 5. Hymni, cantica etc. modulandi sunt laetitiae et gloriae, uti *Pange lingua, Magnificat, Benedictus, Lauda Sion etc.* quibus Christi amori triumphanti laudes inteximus. 6. Cum processio aliquo in altari consistit, omnes genua flectunt. 7. Cum processio in Ecclesiam, a qua exiit, reversa fuerit, canitur *Tantum ergo,* et populus ultimo benedicitur.

Quaeres 8. Quid de puerorum usu hac in processione, quos angelos dicunt, iudicandum?

Resp. Innocentes pueri optime possunt in processione Sacramenti habere per se locum, angelico ornatu induti, florum cistulam gestantes manibus, eosque spargentes in almi Sacramenti honorem. *Per se* diximus; ratio enim aetatis, sexus, modestiae etc. vel maxima est consideratione digna: adeo ut, si potiusquam in honorem, in dedecus res vergeret Sacramenti, et in

scandalum potiusquam in fidelium aedificationem, grave incumberet onus Episcopo, corruptelam eiusmodi eliminandi.

(*Continuabitur*) FRANCISCUS STELLA P. C. M.

DE OCCURRENTIA

INTER

FESTA SEPTEM DOLORUM DEIPARAE VIRGINIS

ET SS. MM. MAURITII ET SOC.

RESUMPTIO QUAESTIONIS

Haec quaestio agitata et resoluta fuit a nobis in num. *Ephemeridum* mensis Aprilis (*pag. 237 et seq.*). At nonnullis de rationibus per epistolam ad nos patefactis, solutio non placuit cuidam, qui proinde eandem conquestus est. Cum veritati semper potiusquam personis propositum sit nobis satis facere, opportunum iudicamus quaestionem resumere, eamque penitius considerare, novissimis allegatis momentis uberius perpendendis ac discutiendis.

Summa controversiae est: Festum Dolorum mobile, translatum in Dominicam IV Sept. occurrit cum festo Ss. Mauritii et Sociorum Mm. fixo in die 22 eiusdem mensis; et cum utrumque festum sit eiusdem ritus in aliquibus Ecclesiis, nempe

dup. maius, quaeritur, de quo ex duobus festis agendum, et quodnam proinde transferendum.

Solutio iam data, sequens est compendifacta: Festum Dolorum translatum, licet duplici minori occurrente non impediatur, nisi sit aliqua dies octava, impeditur tamen dup. maiori et alio quocumque potiori; at festum Ss. Mauritii et Soc. est dup. maius, ergo de hoc agendum est, et festum Septem Dolorum iterum transferendum. Argumentum maiorem diximus vim accipere ex Decreto super primariis et secundariis festis; et de particulari Indulto silendum credidimus, quippe quod per superius Decretum censendum iudicavimus revocatum.

Contra exposita obiicitur primo particulare Indultum, quod *Ephemerides* neglexerunt, et sequentis est tenoris: « Iuxta Decretum Generale diei 19 Aug. 1817, ac iuxta recentem Rubricam positam in Missali Romano sub Dom. III Sept., quotiescumque haec Dom. impedita occurrat cum festo ritus dup. 1 vel 2 classis, vel die octava Patroni, Titularis etc. festum Septem Dolorum B. Mariae V. transferri debet in proximiorem sequentem Dominicam, etiamsi coincidat cum festo ritus dupl. minoris. Quaeritur quid agendum, si coincideret cum festo ritus dup. maioris? Casus identidem occurrit in hac aliisque Pedemontanis dioecesibus, in quibus die 22 Sept. agitur sub ritu duplicis mai. de festo secundario S. Mauritii Mart., quum eius festum primarium celebretur die decimaquinta Ianuarii sub ritu dup. 1. cl. cum octava, utpote Patroni principalis totius ditionis. Casu adveniente, nempe incidente die octava Nativitatis B. Mariae V. in Dom. tertia, Sept. in qua

tunc fieri debet de festo SS. Nominis Mariae, in Dom. subsequenti eritne agendum de occurrenti festo Ss. Mauritii et Soc. Mm. vel de festo translato Septem Dolorum, quod pariter gaudet ritu duplicis maioris? R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam: scilicet, translato festo S. Mauritii, celebrandum festum, utpote occurrens et maius in casu, de Septem Doloribus B. Mariae Virg. Atque ita rescripsit et servari mandavit die 9 Iulii 1884 ».

Secundo obiicitur, festum Ss. Mauritii et Soc. Mm. non esse primarium, quod Brevi comprobatur dato a Pio Pp. VI die 27 Maii 1786, cuius sequentia sunt verba: « Quo vero ad S. Mauritium, principaliorem totius ditionis Patronum pertinet, cum eiusdem festus dies in id incidat tempus, in quo plurima praestari debent in agris opera, ne amplius ab eo celebrando agricolae per dispensationem eximantur, eiusdem S. Patroni festum in posterum sanctificandum per hasce nostras Litteras transferimus in decimamquintam Ianuarii diem, qui dies est Translationis in istam regiam Urbem Reliquiarum eiusdem S. Martyris anno 1591 peractae ». Ex quibus infertur festum S. Mauritii primarium celebrari die 15 Ianuarii, proindeque aliud, quod die 22 Sept. recolitur, esse secundarium. At in huius occurrentia cum festo Deiparae, huic prae illo tribuenda est praelatio.

Tertio opponitur Rubrica specialis Missalis typici, aliarumque editionum, quae est uti sequitur: « Si in Dom. III Sept. occurrat aliud festum, sive B. Mariae V. sive altioris ritus, vel dies octava festi, quod alicubi solemne sit, festum Septem Dolorum amandatur ad Dom. IV Septembris; *et hac*

etiam, ut supra impedita, ad proximiorem Dominicam a praedictis festis liberam ». Ergo cum festum Septem Dolorum, sive in propria sive in translata die, iisdem obnoxia sit impedimentis, saltem si eiusmodi Rubrica adhuc vigeat; palam sequitur, illud festum non posse a dup. maiori impediri. Ita, inquam, salvo meliori iudicio.

Quarto demum opponitur, Decreto 19 Aug. 1817 in prima solutione citato, aliquanto diversum tribuendum esse sensum ab illo, quem ei tribuunt *Ephemerides*. Namque, etsi abstrahamus, quaesitum respexisse tantum praelationem dandam, vel non, festo Dolorum occurrenti cum octava Patroni aut Titularis, quae semper ritu dup. minori gaudet; locus non erat pro Sacro Tribunali declarandi utri praelatio competeret in occurrentia cum duplici maiori. Hinc S. C. statuit *per modum regulae generalis*, tertia Dominica Septembris ob occursum duplicis 1 vel 2 cl. vel diei octavae impedita, festum Septem Dolorum in sequentem Dominicam esse transferendum, quamvis in duplex minus incideret. Utque privilegium non extenderetur cuicumque indiscriminatim duplici minori, subiungit: dummodo non agatur de die octava etc. quae, licet sit dup. minus, transferri nihilominus cum nequeat, in hac regula generali non includitur ».

Haec quidem adm. Rev. Consociatus peritia pari ac modestia nobis opponit, ut iudicet se, si aliter atque *Ephemeridibus* in prima responsione visum est Calendarium ordinaverit, non esse de errore redarguendum. Quin negotium praesens componere velimus ex tripode, a personis abstrahimus, illudque malumus in se perperdere, ut ip-

semet oppositor pro sua scientia ac sagacia, quibus pollet, ex seipso iudicet.

Sit ergo primum de Decreto, quod stare videtur contra datam solutionem. Diximus *videtur*, quia res nobis haud ita clarescit, ut illius responsionem applicare omni cum certitudine valeamus. Namque ante omnia, *a*) in Dubii expositione legitur festum S. Mauritii *secundarium* die 22 Sept. in loco celebrari, dum *primarium* eiusdem Sancti festum die 25 Ianuarii recolitur. Quaeri potest: Verum ne quod asseritur? Festum primarium Sancti Mauritii die 25 Ian. recoli concedimus; sed secundarium illius festum die 22 Sept. recoli, aut graviter dubitandum est, aut, si verum, nihil ex eo contra nos concludi potest. En primi asserti ratio. Die 22 Sept. non celebratur festum S. Mauritii tantum, sed Ss. Mauritii et Soc. Mm., videlicet, ni fallimur, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, Vitalis, aliorumque, qui eadem die martyrium fecerunt, uti in Martyrologio Adonis videre est (*sub hac die*). Porro, cum festum aliorum Sociorum sit indubie primarium, sequitur primarium esse quoque S. Mauritii festum ratione concomitantiae. Sed pone etiam festum S. Mauritii, ob primarium eius die 15 Ian. celebratum, esse secundarium; efficere ne id poterit, ut festum quoque Sociorum in secundarium transmutetur? Hoc profecto nemo sanae mentis admittet. Ergo festum quod recolitur die 22 Sept. non est secundarium, sed primarium, nisi pro S. Mauritio, certe pro Ss. Sociis, qui tali die recoluntur. Consequenter in Dubii expositione veritas non elucescit, nisi falsum aperte contineat.

Nunc b) perpendamus responsi Sacri Tribunalis Rituum rationem allatam. Ait, translato festo S. Mauritii, celebrandum esse festum Septem Dolorum, quod est occurrens *et maius in casu.* Quare *maius est in casu?* Citra controversiam, non ratione ritus, in quo utrumque festum par est, sed ratione dignitatis qua Deiparae festum, Ss. Mauritii et Sociorum festo praevalet. Nunc autem animadvertas velim, festum Deiparae, etsi secundarium, potuisse etiam praevalere festo Sanctorum Mauritii et Sociorum, quamvis uti primarium a S. R. Congñe iudicatum fuisset. Ratio est, quia praestantia primarii festi prae secundario nondum firmiter sancita fuerat, cum praesentem responsionem dedit. Ea propter, pendente adhuc solutione quaestionis super primariis et secundariis festis, optime S. R. C. potuit festum Ss. Mauritii et Sociorum minus dignum iudicare festo Septem Dolorum Deiparae, quin illud seu primarium seu secundarium iudicaret, istud praeferre contenta ratione dignitatis. Neque obiiciendum, Sacrum Tribunal petitioni respondisse, in qua festum S. Mauritii, quod die 22 Sept. recolitur, secundarium supponitur; ergo uti tale supposuit et ipsa S. C. in sua responsione. Reponi enim potest, ex responso S. Congñis nil posse inferri, quia de primario aut secundario festo plane silet, et praelationem festi Deiparae soli dignitati personali posse tribui.

Iam vero controversia de primariis et secundariis festis nunc resoluta est, ex qua indiscutibile oritur principium, festa ratione personae digniora, si secundaria, cedere festis ratione personae minus dignis, si primaria fuerint. Atqui

gravissima superius exposita ratio demonstrat, festum Ss. Mauritii et Sociorum die 22 Sept. recolendum esse primarium, dum festum Dolorum est indubie secundarium. Ergo dicta die festum Ss. Martyrum celebrandum est, et festum Dolorum ulterius transferendum est. Hoc autem est contra Decretum; sed nil mirum, cum Leo Papa XIII per Decretum Generale *Iamdudum* d. d· 27 Iunii 1893 anteriora cuncta Decreta revocet, *Rescripta seu Decreta tum generalia tum particularia, in contrarium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando.*

Ad Breve quod attinet Pii Pp. VI hoc unum animadvertimus. Ex eo hoc tantum resultat, festum patronale primarium, seu principale S. Mauritii in loco celebrandum esse non amplius die 22 Sept. sed 15 Ianuarii, et quidem ritu dup. 1. cl. cum octava, ut par est. Sed ex concessione non sequitur, festum Ss. Mauritii et Soc. die 22 Sept. evadere secundarium; eo quod non agitur de S. Mauritio tantum, qui die 15 Ian. a Ss. Sociis separatus reolitur, sed de his etiam, qui, nisi hoc haberent festum primarium, haberent nullum. Ut proinde concludi nequeat, hoc esse festum secundarium, quia illud primarium est; sed ad summum secundarium tantum esse festum S. Mauritii a quo tamen abstrahi potest ratione Sociorum, quorum die 22 Sept. festum primarium recolitur.

Nunc ad Rubricam faciamus gradum. Iuxta praefatam Rubricam aequaliter impeditur festum Septem Dolorum, sive in die propria sive in die translata. Sed advertendum, Rubricam praesentem, etiam iuxta editionem typicam, eamdem non

esse *(Ratisbonae 1894)*. In hac enim dicitur: « Festum Dolorum *(impeditum in die sua)* transfertur in proximiorem Dominicam, etiamsi incidat cum festo ritus duplicis minoris ». Discrimen oritur ex duobus Decretis Generalibus; ex quibus primum *(18 Sept. 1814)* docet hoc festum Dolorum solo dup. 1, aut 2 cl. impediri: alterum vero *(19 Aug. 1817)* primum mitigans, declarat impediri etiam a die octava. Hinc quaeri adhuc potest, utrum impediatur a dup. maiori saltem in die translata, de quo Decretum silet. Ratio autem id quaerendi gravissima est, quia hoc festum translatum, ait Rubrica, secundo ex Decretis inhaerens, non impeditur etsi incidat in festum dup. minus. Quid igitur? Si in dup. maius incidat, impeditur ne? Nos affirmative respondimus et adhuc respondere cogimur; eo quod ponens Rubrica dup. minus, exclusit manifeste dup. maius, maxime quia exprimere facillime potuisset, aut generaliter festum duplex, aut explicite festum sive minus sive maius. Quod cum Rubrica non fecerit, concludendum censemus, festum Dolorum translatum non impediri a dup. minori, bene tamen a maiori.

Ceterum recordemur oportet, non solum Decreta antiqua, quae opponuntur Decreto Gen. super primariis et secundariis festis, esse impraesenti abrogata, sed et *ipsa Rubricarum praescripta ita et non aliter esse hac in re interpretanda*, ut idem Gen. Decretum exigit. Ergo quousque S.R.C. non declaret, Decretum Gen. secundum super festo Dolorum exceptionem constituere, aequior, quam altera, iudicanda est interpretatio nostra,

quae festum hoc secundarium Deiparae minus extenso privilegio praeditum dicit.

Ad ultimam nunc procedimus difficultatem. Obiicitur, in Decreto 17 Aug. 1817 non agi de praelatione tribuenda festo Dolorum super dup. maiori, sed de illius praelatione in conflictu cum die octava. Sed reponimus distinguendo inter solutionem Dubiorum quam Decretum exhibet, et regulam generalem, quae solutionem Dubiorum sequitur. Prima quidem de sola agit octava die, ac de aliis Deiparae festis, sub ritu dup. maiori recolendis; sed altera pars dat normam generalem tenendam in occurrentia cum aliis quibuscumque festis. Quae cum esse possint ritus duplicis, seu minoris seu maioris, optimus erat locus pro Sacro Tribunali declarandi, an dies libera pro translato festo Dolorum esset tantum duplex minus, an etiam duplex maius. Haec enim generalis norma data est ad *amputandas* eo super negotio *difficultates.* Quomodo ergo Sacrum Tribunal potuisset omittere dup. maius, si intendisset, huiusmodi ritum impedimentum non constituere pro festo Dolorum, cum nihilominus explicite dixerit, festum Dolorum vere non impediri a duplici minori? Hoc profecto non fuisset difficultates amputare, sed augere.

At, instabis, duplex minus aperte nominavit S. R. C. tamquam non impediens festum Dolorum, ut significaret, diem octavam revera illud impedire, licet etiam duplex minus sit: secus iudicari poterat, quodcumque duplex minus, etsi diei octavae, festum Dolorum impedire. Optime quidem; sed adhuc difficultas manet: Qua de causa S. R. C. simul cum dup. minori, ut praefato oc-

curreret incommodo, non etiam dup. maius posuit *ad amputandas difficultates?* Duplex enim minus non est duplex maius; et quando hoc tantum lex dicit, festum scilicet aliquod non impediri a duplici minori, nemo inficias ibit, certam esse illationem, illud ergo impediri a duplici maiori. Si enim hic ritus non est inclusus, manet exclusus; ergo sicut ritus dup. minus non impedit, ita duplex maius impedit festum Dolorum translatum in Dominicam.

Hisce perpensis, veniam quidem petimus ab adm. Rev. ex Consociatis nostris; sed haud obstantibus expositis discussisque difficultatibus, recedere adhuc non possumus a prima sententia, quam prae altera magis probatam autumamus.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

X.

DE TALARI VIOLACEI COLORIS HABITU IN CAEREMONIARUM MAGISTRIS.

Magistri caeremoniarum cuiusdam insignis Basilicae iam multis ab annis ad tramitem Caeremonialis Episcoporum veste violacei coloris, quam ad lumbos fascia serica cum floccis eiusdem coloris more praelatorum constringunt, in suis respective functionibus uti solent. Ex hoc autem successu temporis evenit,

ut quoties, iuxta prebendarum distinctionem, alter ex iisdem officio Acolythi, vel Thuriferarii, vel Cruciferi fungi teneatur, eadem veste violacea uti praetendit: quinimo quoties extra Basilicam sive in aliqua eiusdem filiali Ecclesia vel totaliter aliena, sive summa dignitas Basilicae sive alter ex Canonicis aliquam explet functionem solemnem, iidem magistri si vocentur, eisdem assistunt veste violacea induti ac in Basilica. Nec defuere qui aliquando etiam extra Urbem insigniis iisdem sive in Missis aut Vesperis, vel Benedictionibus ac Processionibus solemnibus contenderint licite se cohonestare posse. Huiusmodi agendi rationem haudquaquam tolerandam secum reputat Benedictus Canonicus eiusdem Basilicae: sed ut prudenter se gerat, antequam quaestionem in Capitulari Consessu discutiendam proponat, secum serio inquirit:

1. *Quonam sensu intelligenda veniant quae circa vestem violacei coloris pro Caeremoniarum magistris a Caeremoniali Episcopor. Lib. 1, Cap. V, num. 4, dicuntur? Et quandonam magistri Caeremon. Cathedralium hoc privilegio cohonestati fuerint: et num eo uti valeant Caeremoniarii Ecclesiarum communium?*

2. *Num eadem honorificentia magistri Caeremoniarum uti valeant in functionibus extra Basilicam sive in Ecclesiis eidem filialibus, sive alienis, etiamsi advocentur ad dirigendas functiones etiam pontificales, quae a dignitatibus vel Canonicis ipsius Basilicae vel etiam S. R. E. purpuratis Patribus forte celebrantur?*

3. *Utrum si iidem aliud officium a Caeremonario etiam in iisdem Basilicis in quacumque functione exercuerint, licitum sit eadem veste uti; quid vero dicendum si extra Urbem quamcumque functionem persolverint?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Caesaris Magliozzi ex Alumnis Pont. Seminarii Pii, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 7 Iunii 1893: acta Epitoma per Rmum D. D. Nicolaum D'Amico ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris.

I. Iugis Romanorum Pontificum cura ac sollicitudo in eo etiam fuit, ut divini cultus maiestas splendorque magis in dies augesceret, ad plebium fovendam aestimationem erga Religionem. Hinc inter innumera sapientissime instituta, reperitur etiam illud referendi in Basilicarum Cleri numerum quosdam viros, scientia ac Sacrarum Caeremoniarum disciplina praeditos, qui alios doceant; dictos propterea Caeremoniarium Magistros.

Nonnullis insuper privilegiis ac praerogativis eos ditarunt Pontifices, ad hunc divini cultus splendorem amplificandum aptissimis. Inter quae emicat absque dubio privilegium circumgestandi talarem vestem violacei coloris, serica fascia pariter violacea ad lumbos perstrictam, more praelatorum. En Caeremonialis verba, quibus hocce privilegio ipsi donantur, et de quorum intelligentia in primo quaesito quaeritur: " Eorum habitus sit honestus, et Clericalis, ipsaque vestis inferior, ubi commode fieri possit, coloris violacei, super quam, dum divina Officia celebrantur, Cottam mundam induent (*Lib. I, cap. V, n. 4*) ". Ideoque ad primae petitioni faciendum satis, et ne circa eorumdem verborum intelligentiam abusus subrepant, videamus quibus limitibus, iuxta probatos auctores receptamque Ecclesiae praxim, ipsa coarctentur.

Dicitur imprimis horum Magistrorum vestem honestam ac Clericalem esse debere, sicut decet Dei

viventis Ministros; deinde, quasi ad horum verborum explicationem, color statuitur huiusmodi vestis, ac Cotta praescribitur quam super vestem induere debent. Neque praetereunda denique dictio, *si commode fieri possit*, quae ad colorem vestis refertur. Cum enim honorifica haec distinctio per modum privilegii concessa sit, ipsius usus sub praecepto non cadit; ideoque Caeremoniarum magistrorum vestis, dummodo talaris, optime nigri potest esse coloris, sicuti passim videre est in nonnullis Basilicis ac Cathedralibus Ecclesiis.

Violacea tantum eapropter haec vestis per integrum esse potest; et nullo pacto sive in globulis, sive in foraminibus, sive etiam in suturis rubeus color videri debet: sicuti etiam lanea tantummodo, haud vero serica, eius materies esse debet; et fascia tantum cum suis flocculis serica esse potest. Haec omnia S. R. Congregatio declaravit; inquirentibus enim: " An Magistris Caeremoniarum Cathedralis competat usus vestis violacei coloris „? respondit: " *Affirmative*, nempe iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum cap. 4 Lib. I, non tamen sericae materiae, neque cum globulis, aliisque ornamentis rubei coloris (*Forosempronien. 3 Septembris 1661)* „. Quamquam vero nulla de fascia hic mentio fiat, supponitur tamen veluti habitus perfectio, seu sicuti accessorium, quod sequitur principale. Ceterum in aliis responsis haud paucis eiusdem S. Congregationis, expressis verbis privilegio de violacea veste coniungitur indultum de fascia: ita ex: gr: in una *Bergomen.* (*21 Mart. 1744*). Similiter haec Caeremoniariorum vestis caudata esse non debet, sive quia ne verbum quidem de cauda in Caeremoniali ad negotium nostrum quod attinet, fiat, sive etiam quia incommodum haud parvum ipsis afferret in facili et expedito

exercitio Sacrarum Caeremoniarum. Et quamquam hac super re nullum reperiatur S. R. Congregationis decretum; universalis tamem praxis sufficienter assertum nostrum confirmat. Imo ex verbis ipsis Caeremonialis erui potest, caudatum habitum Caeremoniariis non licere; Caeremoniale namque ait: " Eorum habitus sit clericalis „. Sed clericalis habitus privilegio caudae absque dubio non gaudet, cum Praelatorum tantum sit proprium, sicuti eadem declaravit S. R. Congregatio (*Ravennaten. 17 Iunii 1673*). Hisce ergo breviter delibatis de colore ac forma huiusmodi habitus, videamus quandonam licitum fiat Caeremoniariis hunc habitum circumgestare.

Certum est, hanc violaceam vestem Caeremoniarios induere non posse, nisi in actu Sacrarum functionum, extra quas nigra, sicut ceteris, ipsis competit. Quamquam enim primo intuitu, ex ipsis Caeremonialis verbis videatur ordinarium Caeremoniariorum habitum violaceum esse debere: " ipsaque vestis inferior... (sit) coloris violacei, super quam, dum divina Officia celebrant, cottam mundam induent „; nihilominus attentius ea consideranti statim palam fiet, ibidem sermo fieri de tempore tantum Sacrarum functionum, extra quas eapropter Caeremoniariis non licebit iis uti privilegiis, quae pro determinato illo tempore eisdem indulgentur. Insuper nonne isto decorantur honorifico privilegio ratione tantum officii? Extra ergo exercitium officii ipso gaudere non debent. Arroges ex ipso Caeremonialis dicendi modo sponte profluere, vestem violaceam separandam non esse a cotta munda: ita ut quoties violacea vestis induitur, cotta pariter induenda sit; sed cotta, omnibus compertum est, indumentum significat in sacris tantum functionibus gestandum. Ergo etc...

Descendamus nunc ad secundam quaesiti partem, in qua de tempore inquiritur, quo hoc privilegio Caeremoniarum Magistri cohonestati fuerint. Caeremoniarii munus ad remotissimam ascendere antiquitatem seu in Graeca seu in Latina Ecclesia ambigendum non est. Sed non ita perantiquum est mos sive privilegium violacei habitus. Antiquius enim S. Congregationis responsum, quod hoc super negotio invenire nobis datum fuit, secundam decimi sexti saeculi medietatem non supergreditur, estque citatum decretum *Forosempronien. 3 Septemb. 1661.* Ideoque, certis authenticisque documentis deficientibus, arbitramur non multo ante praedictum aevum hocce privilegium exordium sumpsisse; et, ni fallimur, praecise sub Clemente Papa VIII, qui circa annum 1600 Caeremonialis mandavit diffusionem atque observantiam. In casu vero, quo privilegium hoc vestis violacei coloris Caeremoniariis Cathedralium indultae, suam existentiam Caeremoniali anteriorem probare posset, pro certo tamen ante Pium IV protrahi nequiret, cum primus omnium hic Pontifex privilegiis ditare coeperit Caeremoniarios Pontificios, qui certe si non ante, eodem tempore saltem ac ceteri Cathedralium Caeremoniarii privilegio violaceae vestis frui coeperunt.

Attamen cum quodlibet Capitulum ius habeat Caeremoniarii sibi deligendi, tertia exoritur quaestio in prima petitione proposita, num scilicet privilegium violacei habitus aeque competat Caeremoniariis ceterarum Ecclesiarum, sicuti Caeremoniariis Cathedralium demonstratum est convenire. Sed cum ius sibi eligendi Caeremoniarium toto caelo distet a iure privilegii indulgendi vestem violacei coloris, sustinemus hocce privilegium Caeremoniariis tantum Cathedralium Ecclesiarum competere, cum de ipsis tantum in Cae-

remoniali, ubi tale privilegium indulgetur, mentio fiat. Nihilominus satis convenienter Basilicae ac Patriarchales Ecclesiae Urbis, quae, si Lateranensem excipias basilicam, cathedrales non sunt, huic generalissimae regulae non subiacent; ex Apostolico enim Indulto Caeremoniarii ipsarum violaceum habitum induere possunt.

Ceterum haec nostra sententia abunde confirmatur ab innumeris S. R. Congregationis decretis; inter quae sequentia seligimus. Primum *(Bergomen. 21 Mart. 1744)* inquirit: " Cum in quamplurimis nostrae solius Dioecesis Ecclesiis inoleverit et quotidie usus excrescat vestem violaceam cum ferula in sacris functionibus deferendi, per Caeremoniale Episcoporum Cathedralium caeremoniarum magistro concessam; quaeritur an sit usus tolerandus? S. Congregantio respondit: " Serventur praescripta a Caeremoniali Episcoporum circa vestem violaceam et ferulam gestandam, prout legitur cap. 5, et huiusmodi color, et ferulae gestatio convenit solummodo caeremoniariis Ecclesiae Cathedralis ". Alterum (*Placentina 3 Iul. 1728 ad 1*) postulat: " An magister caeremoniarum Capituli Ecclesiae S. Antonini Placentiae associare valeat dictum Capitulum cum habitu violaceo et cum gestatione ferulae in illis processionibus publicis, caeterisque functionibus generalibus, in quibus intervenit Capitulum Ecclesiae Cathedralis "; et respondetur: " Sacra eadem Congregatio, visis iuribus hinc inde deductis, et tam in scriptis, quam in voce, utraque parte informante audita, rescribendum censuit: *Negative et amplius* ". Tertium denique *(Casalen. 15 Iul. 1752)* sic sonat: " An magister caeremoniarum dictae Collegiatae gestare possit habitum violacei coloris cum ferula, et associare Canonicos eiusdem Collegiatae in Processio-

nibus, in quibus non interveniunt Canonici Cathedralis? „ Respondetur pariter: “ *Negative et amplius* „. Certum est eapropter, quod in principio asseruimus, Caeremoniariis tantum Cathedralium Ecclesiarum privilegium habitus violacei convenire.

II. Secundae petitioni generaliter reponimus imprimis, Caeremoniarios hocce privilegio violacei habitus uti non posse nisi in exercitio sacrae functionis et in Ecclesiis tantum sibi propriis; id est pro Urbanis caeremoniariis in Basilicis ac Patriarchalibus, pro caeteris vero in Cathedralibus tantum Ecclesiis. Istud nihilominus generalissimum principium nonnullas patitur exceptiones, quae ceterum ipsum confirmant. Ita ex. gr. si integrum sive Cathedralis sive Basilicae Capitulum alicui sacrae interesset functioni in aliena Ecclesia celebrandae; Caeremoniarius tunc merito uti posset iure suo, violaceam induendi vestem cum fascia. Neminem namque fugit, privilegio isto Caeremoniarios haud quidem decorari ratione loci, Basilicae scilicet vel Cathedralis, sed ratione Capituli in iisdem constituti, cui decorem splendoremque confert. Ad rem nostram cl. Martinuccius: “ Tunica Caeremoniario vel Caeremoniariis ad Cathedrales addictis propria, est coloris violacei, ac super ipsam superpelliceum. Hac veste violacea uti solummodo poterunt in Cathedralibus, *aut in Ecclesiis, in quibus adsit Capitulum universum* ipsius Cathedralis. In aliis Ecclesiis Caeremoniarius vestem talarem nigram cum superpelliceo induet sibi (*Lib. I, cap. XV, n. 7*) „. Similiter S. R. Congregatio interrogata: “ An Magistri caeremoniarum Cathedralium, qui ex dispositione Caeremonialis, nec non Patriarchalium Urbis, qui ex Apostolico indulto veste violacea in sacris functionibus utuntur, eadem uti possint *extra servitium Episcopi et*

respectivi Capituli? „ respondit: “ *Negative ad utrumque;* et quoad caeremoniarum Magistros Ecclesiarum Patriarchalium Urbis servandam esse stricte formam privilegii (*Dubiorum 17 Sept. 1822 ad 14*) „. Quae verba, uti quisque probe intelligit, sicuti luculenter confirmant primam nostram conclusionem, Caeremoniarios nempe privilegio violacei habitus nonnisi in servitio relativarum Ecclesiarum uti licere, corroborant etiam, quamvis indirecte, secundam conclusionem, ipsis nempe licitum esse etiam extra propriam Ecclesiam tali privilegio frui, dummodo in servitio sint Ordinarii seu relativi Capituli.

Sed ut negotium nostrum clarius pateat manifestiusque fiat, arbitramur, sedulo distinguendum esse Caeremoniarios inter et Caeremoniarios; neminem namque latere potest, Caeremoniarios alios esse Episcopales, alios Capitulares, alios autem Basilicarum Urbis, alios vero Pontificios. Quae quidem Caeremoniariorum species, ad duas praecipue reduci queunt: ad Caeremoniarios scilicet Episcopales et Capitulares. Cum Pontificii Caeremoniarum Magistri nihil aliud sint, quam Romanae Urbis Episcopi, Summi Pontificis nempe, caeremoniarii; et Caeremoniarii Romanarum Basilicarum cum ex apostolico indulto iisdem privilegiis ac Capitulorum Cathedralium Caeremoniarii fruantur, optime ipsis adnumerari queunt. Insuper facultatem factam fuisse Capitulis Caeremoniarios sibi eligendi alios ab Episcopalibus, ambigendum non est, cum ex S. R. Congregationis pateat decreto (*Aquilana 22 Ianuari 1736*). In ipso namque expostulatur: “ An liceat Capitulo eligere pro functionibus canonicalibus, et eius servitio Magistrum caeremoniarum distinctum ab altero Episcopi? „, respondetur autem: “*Affirmative* „.

Hisce ergo positis, quodnam discrimem inter Caeremoniarium Episcopi intercedere potest ac Capituli, ad violaceam vestem quod attinet? Praecipuum, ni fallimur, in hoc situm est: Episcopalem Caeremoniarium semper et ubique (intra tamen Dioeceseos limites) privilegio violacei habitus frui cum proprio assistit Episcopo, de honorifica enim distinctione agitur, ad decorem Episcopi potius quam Caeremoniarii donata. Capituli e contra Caeremoniarios eodem privilegio minime gaudere posse in qualibet sacra functione in qua Episcopus interest; sed relativum etiam Capitulum ibidem assistere debet. Ut ergo Episcopi Caeremoniarius violaceam vestem induere possit, unum tantum requiritur; ut suo nempe Ordinario assistat: duo e contra pro Caeremoniario Capituli, ut proprio scilicet Capitulo assistat, et ut sacra functio Episcopalis sit, sive tamen in Cathedrali vel etiam extra ipsam celebretur. Ita S. R. Congregatio Aquilano Clero declaravit; post petitionem enim superius relatam, ulterius petierunt: " An idem (scil. Caeremoniarius) ex permissione Capituli uti valeat in dictis functionibus (scil. canonicalibus) veste violacea tam praesente, quam absente Episcopo? „ responsum autem fuit: " Affirmative tantum *in functionibus episcopalibus* ex dispositione Caeremonialis, non vero ex dispositione Capituli „.

Sedulo tamen advertendum est, praedicta verba " *tantum in functionibus episcopalibus* „ latae interpretationi subiacere: ita ut per episcopales functiones intelligantur illae, quas de more Episcopus peragere deberet, quamquam de facto, ex rationabili causa easdem non peragat; ideoque et in istis fas est Caeremoniariis veste violacea se induere. Et en ratio ob quam saepe in Romanis Basilicis Caeremoniarii videntur violaceo habitu induti, quamvis simplex Canonicus

Episcopus celebret: de iure enim praedictae functiones Episcopales sive Papales essent, quamvis de facto non sint. Quid ergo dicendum de Caeremoniariis Basilicarum, qui ad functiones moderandas vocantur extra propriam Basilicam, etsi Celebrans ipsius Basilicae sit Canonicus? Nobis videretur in eiusmodi functionibus ipsos minime interesse posse habitu violaceo, post ea quae superius locuti sumus. Imo haec ultima conclusio valet etiam in casu in quo Celebrans Cardinalis esset; etenim S. R. Congregationis verba "extra servitium Episcopi et respectivi Capituli" tam explicita sunt et manifesta ut non videamus quomodo exceptionem ullam admittere valeant. Ceterum animadvertendum est, ordinario Patres purpuratos non celebrare, nisi coram aliquo Capitulo; sed tunc Capituli Caeremoniarius optime eisdem assistere potest violaceo habitu indutus. In casu vero quo nullo adstante Capitulo celebrarent, Caeremoniarii Pontificii praesto sunt, qui in habitu violaceo Eminentissimis Cardinalibus assistere queunt et debent, sive uti Summi Pontificis in huiusmodi functionibus vices sacras facientibus, sive etiam uti Pontificalis aulae principibus.

III. Sed ad tertium descendamus quaesitum, cui tamen haud difficilis responsio post superius relata. Patet enim Caeremoniariis non competere circumgestatio violacei habitus in quibuscumque sacris functionibus, in eorum quidem Ecclesiis celebrandis, in quibus officio suo non funguntur. Ad amussim namque privilegii verbis standum est, cum apertissime ex ipsis profluat, tale privilegium eisdem indulgeri solummodo ad hoc, et quando munere funguntur suo. Hoc titulo eapropter deficiente, deficit privilegium, ruitque cum Caeremoniarius amovetur ab officio suo. Insuper istud privilegium minime est personale, sed

haeret, ut ita dicam, dignitati seu officio. At cum de huiusmodi agitur privilegiis, omnibus plane compertum est, eisdem frui non posse, nisi in actu officii: et sic Caeremoniarius violacea veste se induere nequit, nisi cum uti Caeremoniarius ecclesiasticas moderatur functiones; in ceteris enim casibus haud quidem uti talis altari inservit, sed uti Diaconus vel Subdiaconus vel etiam uti Acholithus etc. Arroges, violaceum habitum in Caeremoniariis disiungi haud posse a superpelliceo; sed quomodo istud induere posset cum diaconali vel presbyterali officio ipsi fungendum esset?

Arbitramur nihilominus gestationem violacei habitus Caeremoniariis licere, in decursu alicuius officii, quod immediate sequitur Missa, quam moderari debeant; tunc enim non parum, imo valde eisdem incommodum esset nigram exuere vestem et violaceam assumere.

Demum si Caeremoniarii prohibentur privilegio frui violacei habitus extra relativas Basilicas, quamquam in Ecclesiis vocentur, functiones moderandi causa, intra Urbis ambitum positis; a fortiori dicendum est eumdem ipsis illicitum evadere, cum extra Urbem quamcumque functionem explent. Excipiendi nihilominus sunt Apostolicarum Caeremoniarum Magistri, si extra Urbem mittantur ad functionem aliquam moderandam, qui violaceam vestem bene induere possunt. Equidem sicuti Episcopales Caeremoniarii eadem illa veste uti queunt non in sola Episcopali civitate, sed in quibusvis Dioecesis Ecclesiis in quibus Episcopus sacra peragit, eodem prorsus modo Pontificii Caeremoniarum Magistri, quoties Romanus Pontifex vel ipsius vices gerentes ubique gentium sacras functiones agerent, violacea veste uti valerent. Haud tamen huiusmodi privilegio frui possent, uti quisque per se-

ipsum intelligit, quando extra Urbem degentes, a Capitulo quodam invitarentur ad dirigendam specialem functionem.

Patet eapropter Caeremoniarios, de quibus in casu, legitime fruitos fuisse privilegio violacei habitus cum fascia, in functionibus in eorum basilicis peractis. Illegitime e contra eodem privilegio usos fuisse in iis functionibus, in quibus non uti Caeremoniarii aderant, sicuti etiam in functionibus celebratis extra relativam basilicam, absque Capituli interventu. Multoque peius tandem praefato privilegio abusi sunt in functionibus extra Urbem celebratis.

De vi consuetudinis in rebus liturgicis

DISSERTATIO

Quemadmodum apud omnes nota est omnimoda legis divinae stabilitas, ita neminem latet legem humanam per se variationibus esse obnoxiam; adeo ut non tantum extra eius ambitum vincula diversa plerumque suboriantur, verum etiam per frequentiam actuum uniformium communitatis ius legi contrarium quandoque exurgat, totaque vis legis pessumdetur. Huius disparitatis inter legem divinam et humanam ratio in eo sita est, quod intellectus divinus, utpote infinitus, omnia attingit fortiter a fine usque ad finem; intellectus vero humanus non omnes semper am-

plectitur temporum locorum et personarum circumstantias, a quibus fortasse boni communis ratio summopere pendet. Unde non raro fit ut modus agendi communitatis, etsi legi contrarius, bonum commune attingat potius quam lex ipsa. Hoc, ut patet, est praecipuum fundamentum, cui in utroque iure tum civili tum canonico vis consuetudinis innititur.

Iam vero non de consuetudine in genere hic tractare intendo, sed de vi consuetudinis relate ad ius liturgicum. Quaestio certe magni momenti, quae non recte intellecta plurimis abusibus ansam praebet.

Expeditum quidem est dicere: « Haec est consuetudo, sic fecere maiores. » Ast non adeo frequenter invocaretur consuetudo, si negotium sedulo perpenderetur; nam quandoque pro vera et legitima consuetudine sumuntur praxes quaedam, quae aliam originem non agnoscunt, quam Rubricarum ignorantiam ac negligentiam in divini cultus decore promovendo.

Quapropter opere pretium erit conditiones expendere, quibus consuetudo in rebus liturgicis praedita esse debet.

Oportet ergo ut consuetudo sit: 1° rationabilis; 2° non aperte repugnans legibus in codicibus liturgicis contentis, neque Sacrorum Rituum Congregationis decretis; 3° immemorabilis ac laudabilis.

Atque in primis consuetudo esse debet rationabilis, alioquin non in bonum et aedificationem cederet, sed potius in destructionem et malum verteretur. « Licet etiam longaevae consuetudi-
» nis non sit vilis auctoritas; non tamen est usque

» adeo valitura, ut vel Iuri positivo debeat prae-
» iudicium generare, nisi fuerit rationabilis et le-
» gitime praescripta. ». Est communis, Greg. IX in cap. *Cum tanto,* 11.

Quamvis supervacaneum videatur auctorum doctrinam in medium afferre, cum omnes consentiant in praefata conditione consuetudini adsignanda; nihilominus unius vel alterius testimonium proferemus. « Ut consuetudo vim habeat (ait Bouix, *Tract. de Principiis Juris Canon.,* Part. 2, sec. VI, cap. 2, §. 2) id est, « ut faciat legem, vel
» eximat a lege aliqua communi, certum est in pri-
» mis et ab omnibus admissum, illam debere esse
» bonam seu rationabilem. Nec de hoc generali
» principio ulla est apud auctores controversia;
» et patet ratio: consuetudo enim quae mala est
» et irrationabilis, nedum vim legis habeat, vel
» ab ipso naturalis rationis dictamine prohibetur,
» ita ut teneantur omnes eam, utpote corrupte-
» lam et abusum illicitum, deserere. »

En etiam quae tradit Icart in suis *Praeelection. Jur. Canon.* §. 3, n. 13: « Ex parte obiecti, inquit,
» consuetudo debet esse rationabilis. Rationabi-
» lem reputamus consuetudinem quae non adver-
» satur iuri divino, non reprobatur iuri humano,
» et aliunde conducit ad bonum communitatis.
» Haec est conditio legis, quam omnis consuetudo
» habere necessario debet, ut et ipsa vim legis
» obtineat. »

Hoc idem docet De Angelis, *Praeelection. Jur. Can.,* lib. 1, tit. IV, n. 5: « Rationabilis debet esse
» consuetudo ut vim legis habeat, quia et lex ta-
» le nomen non meretur, nisi sit ordinatio ra-
» tionis. »

2° Consuetudo non debet aperte opponi seu repugnare legibus liturgicis neque Sacrorum Rit. Congregationis decretis. Nam si his aperte repugnaret, ipso facto consuetudo rationabilitatis nota destitueretur, ac proinde nullatenus admitti posset, prout ex dicendis patebit.

Certo certius est omnem consuetudinis vim et efficaciam a legislatoris consensu omnino pendere, adeo ut consuetudo contra legem quidem praevalere possit, nequaquam vero contra legislatoris expressam voluntatem. Quapropter consuetudo a Superiore seu a iure reprobata, tamquam irrationabilis ac nullius roboris habenda est. « Quando » enim ius canonicum (seu liturgicum) non tan» tum abrogat et prohibet sibi contrariam consue» tudinem, sed insuper reprobat, illam declarat » malam et irrationabilem seu abusum; hoc enim » sonat in iurisprudentia canonica vox *reprobare.* » Porro huic iudicio seu declarationi standum est, » nec licet cuiquam rationabilem dicere et reputare » usum, quem supremus Ecclesiae doctor, pastor » et iudex pronuntiavit esse abusum et corru» ptelam. » Ita Bouix, loc. supra cit. Prop. 3.ª His consonant quae scribit De Angelis loc. cit., n. 12: « Dixi *per se,* nam si praeexistens consue» tudo abolita est ut *corruptela,* vel in futurum » enascens consuetudo abusibus det locum vel » iisdem vel aliis, propter quos abolita fuit; tum » profecto inolescere nequit, equidem propter de» fectum rationabilitatis, quae prima est et essen» tialis praerogativa consuetudinis. » — Atqui hoc evenit in casu de quo agimus. — Ergo...

Prob. min. per partes. Ante omnia perspiciendae sunt Constitutiones Pontificiae, quae initio

Missalis nec non Breviarii Romani prostant, in quarum prima a S. Pio V Pontifice Maximo data anno 1570 pridie Idus Iulii severissime statuitur: « Ne in posterum perpetuis futuris temporibus in » omnibus christiani orbis Provinciarum.... Ec- » clesiis vel Capellis.... alias quam iuxta Missalis » a Nobis editi formulam decantetur, aut recite- » tur,... nisi ab ipsa prima institutione a Sede » apostolica approbata vel consuetudine, quae vel » ipsa institutio super ducentos annos Missarum » celebrandarum in eisdem Ecclesiis assidue ob- » servata sit..... ex aliis vero omnibus Ecclesiis » praefatis eorumdem Missalium usum tollendo, » illaque penitus et omnino reiiciendo, ac huic » Missali nostro nuper edito, nihil umquam ad- » dendum, detrahendum, aut immutandum esse » decernendo, sub indignationis nostrae poena ac » nostra perpetuo valitura constitutione statuimus » et ordinamus. Mandantes ac districte omnibus » et singulis Ecclesiarum praedictarum Patriar- » chis, administratoribus, aliisque personis qua- » cumque ecclesiastica dignitate fulgentibus, e- » tiamsi S. R. E. Cardinalis aut cuiusvis alterius » gradus et praeeminentiae fuerint; illis in vir- » tute sanctae obedientiae praecipientes, ut cete- » ris omnibus rationibus et ritibus ex aliis Mis- » salibus quantumvis vetustis hactenus observari » consuetis in posterum penitus omissis, ac plane » reiectis, Missam iuxta ritum, modum ac nor- » mam quae per Missale hoc a nobis nunc tra- » ditur, decantent ac legant, neque in Missae ce- » lebratione alias caeremonias vel preces quam » quae hoc Missali continentur addere vel reci- » tare praesumant...; neque ad Missale hoc im-

» mutandum a quolibet cogi et compelli, praesen-
» tesve litterae ullo umquam tempore revocari
» aut moderari possint; sed firmae semper et va-
» lidae in suo existant robore, similiter statuimus
» et declaramus. »

Quae quidem confirmata manent sequenti S. R. C. decreto, initio Missalis posito, nempe: « De-
» mum renovando decreta alias facta, mandat Sa-
» cra Congregatio in omnibus et per omnia ser-
» vari Rubricas Missalis Romani, non obstante
» quocumque praetextu, et contraria consuetudine
» quam abusum esse declarat. »

Ad Breviarium Romanum quod attinet consulere item oportet verba S. Pii V, quae in Bulla *Quod a Nobis* leguntur: « Abolemus, *ait*, quae-
» cumque alia Breviaria, vel antiquiora, vel quo-
» vis privilegio munita vel ab Episcopis in suis
» Dioecesibus pervulgata, omnemque illorum usum
» de omnibus Orbis Ecclesiis.... Omni itaque alio
» usu quibuslibet, ut dictum est, interdicto, hoc
» Nostrum Breviarium, ac precandi psallendique
» formulam in omnibus universi orbis Ecclesiis,
» Monasteriis, Ordinibus, et locis etiam exemptis,
» in quibus Officium ex more et ritu dictae Ro-
» manae Ecclesiae dici debet, aut consuevit, salva
» praedicta institutione, vel consuetudine prae-
» dictos ducentos annos superante, praecipimus
» observari. Statuentes Breviarium ipsum nullo
» umquam tempore vel totum, vel ex parte im-
» mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino
» detrahendum esse. »

Videantur insuper Sacrorum Rit. Congregationis decreta in *Veronen.* 17 Novembris 1674, in *Compostellana* 28 Septembris 1675, ad 4.^{m} et 5.^{m},

et praesertim in *Iaren.* 16 Mart. 1658, in quo declarari supplicabatur: « An, attenta immemo-» rabili *(consuetudine)* contra dispositionem Ru-» bricarum (Breviarii), possint recitari secundae » Vesperae de Titulari, et non primae de Nati-» vitate S. Joannis Baptistae? » Et S. Congr. respondit: « Servandas esse Rubricas et contrariam » immemorabilem *(consuetudinem)* esse abusum. » Igitur tamquam reprobatae censendae sunt consuetudines, quae tum Missali tum Breviario directe opponuntur.

Hactenus dicta de Missali ac Breviario, affirmari pariter debent de Rituali Romano, in quo, prout constat ex Constitutione Pauli V *Apostolicae Sedi,* comprehenduntur « sacri et sinceri » Catholicae Ecclesiae Ritus, qui in Sacramento-» rium administratione, aliisque ecclesiasticis fun-» ctionibus servari debent ab iis qui curam ani-» marum gerunt », *adhortans seu praecipiens* idem Pontifex Maximus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, et eorum Vicariis, nec non Abbatibus Parochis universis, ubique locorum existentibus, et aliis ad quos spectat, « ut in posterum tam-» quam Ecclesiae Romanae filii eiusdem Ecclesiae » omnium Matris et Magistrae auctoritate con-» stituto Rituali in sacris functionibus utantur, et » ab ea probatos usus antiquitatis inviolate ob-» servent. » Diximus *adhortans seu praecipiens,* nam, ut scribit cl. Scavini *Theologia Moralis,* tom. 1, n. 331, Paulus V Constitutione *Apostolicae Sedi* « hortatur in Domino Ecclesiasticos, ut in sacris » functionibus Rituali Romano semper utantur, » tamquam Ecclesiae Romanae filii; quae verba » tum ex natura rei, tum ex contextu, de vero

» praecepto sunt accipienda, ut commune et rece- » ptum est contra Catalani. Et firmatur ex S. R. » Congregatione, quae die 7 Septembris 1850 de- » claravit: Rituale Romanum, cuius leges « uni- » versalem afficiunt Ecclesiam, integre servetur. » Quod etiam solide ac erudite probat Bouix, *Tract. De Iure Liturgico*, part 4, cap. 3, § 5, punct. 4, ubi de authenticitate decreti ab Scavini citati, quod in Collectione Gardelliniana minime invenitur, fidem facit.

Sed iuvat hic alia adducere authentica S. R. C. decreta, ut res maiori in lumine collocetur. Petiit Episcopus Fossanen. « an servanda esset quae- » dam circa funera immemorabilis consuetudo om- » nino contraria Rituali Romano »; et S. R. C. « negative respondit, consuetudine etiam immemo- » rabili in contrarium non obstante ». Die 21 Iulii 1645. Alter ex Canonicis Ecclesiae Cathedralis Cenomanen. sequens dubium pro opportuna solutione proposuit, nimirum: « Etiamsi Ecclesia Ce- » nomanensis sibi de Breviario et Missali iterum » atque iterum ut libuerit providere queat, an istius- » modi facultas extendenda sit ad Pontificale, Cae- » remoniale Episcoporum, Martyrologium et **Rituale** » **Romanum**, ita videlicet ut praeceptivas praedi- » ctorum librorum regulas, tolerante nempe aut per- » mittente aut etiam aliter quidpiam statuente Re- » verendissimo Episcopo, Canonici, aliive Sacer- » dotes possint illaesa conscientia infringere aut » omittere; sicque Reverendissimi Episcopi volun- » tas his in casibus sit pro ipsis sufficiens dispen- satio. » Sacra vero Congregatio die 10 Ianuarii 1852 rescribendum censuit: « Negative et am- » plius. »

Proposita item fuit a Vicario Generali Toletano sequens quaestio: « Tenebiturne Praelatus » Dioecesanus obligare omnes et singulos Parochos » et Sacerdotes ad servanda omnia super his prae» scripta in Rituali Romano, *(agebatur enim de » consuetudinibus huic codici oppositis)* quando nul» la interveniat urgens necessitas aliter agendi, » non obstante quacumque contraria etiam imme» morabili consuetudine? » Et Congregatio respondit: « Affirmative. » Die 31 Augusti 1872.

De mandato R̃mi Episcopi Aretini quaesitum fuit: « Ubi vigeat immemorabilis consuetudo mi» nistrandi Ssm̃um Eucharistiae Sacramentum ex» tra Missam cum stola semper albi coloris, tole» rari ne potest eiusmodi consuetudo? » Et S. R. C. rescribendum censuit: « Servetur Rituale Romanum. » Die 18 Iunii 1885, *Aretina*, ad XI. — Nihil ergo habent roboris consuetudines Rituali Romano repugnantes.

Gradum nunc faciamus ad Caeremoniale Episcoporum, de quo Clemens VIII in Bulla *Cum novissime,* postquam mandaverit huiusmodi Caeremoniale « in universali Ecclesia ab omnibus et » singulis personis ad quas spectat, et in futurum » spectabit perpetuo observandum esse, *decrevit:* » Caeremoniale huiusmodi nullo umquam tempore » in toto vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, » aut omnino detrahi posse... Non obstantibus Con» stitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac » etiam in provincialibus et synodalibus Conciliis » editis, generalibus, vel specialibus, necnon qua» rumvis Ecclesiarum etiam iuramento, confirma» tione Apostolica vel quavis firmitate alia robo-

» ratis statutis et consuetudinibus, caeterisque » contrariis quibuscumque. »

Hinc est quod S. R. C. dubio proposito a Canonicis et Archiepiscopo Metropolitanae Ecclesiae *Ravennaten:* « an possit sustineri quaedam con- » suetudo Caeremoniali Episcoporum contraria, » cuius tamen vigentis consuetudinis ignorabatur » prorsus origo, respondendum censuerit: Nega- » tive, ac servetur omnino Caeremoniale Episco- » porum, et amplius. Die 12 Aprilis 1823. »

Item Archiepiscopo Ecclesiae Metropolitanae Pisanae exponenti nonnullas consuetudines dispositionibus Caeremonialis Episcoporum adversantes, respondit praefata S. R. C.: « Legem a Sum- » mis Pontificibus Clemente VIII, Innocentio X » et Benedicto XIV, latam et confirmatam, huius- » modi indolis esse, ut a nulla contraria consuetudine abrogari valeat.» *In Concordien.* 14 Aprilis 1885, nam ad dubium tertium, in quo proponebatur consuetudo Caeremoniali opposita, S. C. rescripsit: « Servandam Caeremonialis dispositio- » nem. » Alia decreta quae afferri possent, brevitatis gratia praetermittimus, cum allata sufficiant.

Pauca denique loquamur de decretis Sacrorum Rituum Congregationis, quae ex instituto Summi Pontificis Sisti V., hoc praecipue curare debet: « ut veteres ritus sacri, ubivis locorum, in omnibus » Urbis Orbisque Ecclesiis, etiam in Capella nostra » Pontificia.... a quibusvis personis diligenter ob- » serventur, caeremoniae si exoleverint, restituan- » tur, si depravatae fuerint, reformentur, libros de » sacris ritibus et caeremoniis, prout opus fuerit, » reforment, ut ait praefatus Pontifex in Consti-

» tutione *Immensa Aeterni Dei* » Huius Sacri Tri-
» bunalis talis est auctoritas ut decreta ab ipso
» emanata, et responsiones quaecumque ab ipso
» propositis dubiis scripto formaliter editae, eam-
» dem habeant auctoritatem ac si immediate ab
» ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nul-
» la facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae », prout eadem S. C. declaravit die 23 Maii 1846, *Ordinis Praedicatorum*, ad 7, approbante Pio IX Pontifice Maximo.

Sed dices huiusmodine sunt S. R. C. decreta, ut vim habeant derogandi omnes consuetudines quae ipsis adversantur ? Indubitanter. Luce enim clariora sunt decreta, quae ad assertum probandum subiungimus: « An inveterata quaecumque
» in contrarium consuetudo derogare possit Legi
» a Decretis S. Congregationis praescriptae ? Resp.
» Negative, iuxta eadem decreta. S. R. C. 3 Augusti
» 1839, *Tridentina*, ad 2. — An decreta S. R. C.
» Congregationis dum eduntur derogent cuicum-
» que consuetudini etiam immemorabili, et in casu
» affirmativo obligent quoad conscientiam ? Resp.
» Affirmative ; sed recurrendum in particulari. S.
» R. C. 11 Septembris 1847, *Angelopolitana*, ad
» 16. »

His itaque omnibus praelibatis ac mature perpensis, tuto concludere possumus, consuetudines legibus liturgicis in Missali, Breviario, Rituali Romano nec non Caeremoniali Episcoporum contentis et S. Rit. Congregationis decretis repugnantes, utpote a Supremo legislatore reprobatas, irrationabiles esse, ac proinde omnino reiiciendas.

Restat nunc ut aliquid dicamus de alia praerogativa qua pollere debet consuetudo, nempe ut

sit *immemorabilis et laudabilis*. Quod quidem liquido eruitur ex quamplurimis S. R. C. decretis, quae tantummodo immemorabiles ac laudabiles consuetudines admittunt et approbant. Videantur data 10 Ianuarii 1604 *Salamantina;* 11 Iunii 1605, *Hispaniarum;* 17 Iunii 1606, *Elboren;* 7 Iulii 1612, *Viterbien.;* 10 Maii 1642, *Urbanien.;* 25 Septembris 1852, *Ianuen.;* et permulta alia quae longum esset enumerare. Quod si consuetudines laudabiles minime sint, eas tolli praecipit S. R. C.; nam Archiepiscopo Calaritano exponenti, Capitulum et Canonicos eius Metropolitanae Ecclesiae permultos antiquos haud laudabiles ritus obfirmate retinere contra praescriptiones Caeremonialis Episcoporum; « S. R. C., inhaerendo de-» cretis alias in similibus emanatis, Caeremonia-» lem librum integre servandum fore, declaravit, » Archiepiscopo Oratori, ut abusus et antiquatos » ritus ad formam Constitutionum Clementis VIII » removere possit, nedum libenter indulget, sed » ut sedulo curet simul iniungit. Die 14 Novem-» bris 1654. »

En etiam quae statuit Innocentius XIII, Constitutione *Apostolici Ministerii*, §. 22, 23 Maii 1723: « Episcopi insuper abusus omnes qui in Ecclesiis, » aut saecularibus, aut regularibus contra prae-» scriptum Caeremonialis Episcoporum et Ritualis » Romani, vel Rubricas Missalis et Breviarii ir-» repserint, studeant omnino removere. Et si ad-» versus ea, quae in dicto Caeremoniali statuta » sunt, consuetudinem etiam immemorabilem al-» legari contingat: postquam recognoverint, aut » eam non satis probari, aut etiam probatam suf-» fragari, utpote irrationabilem, de iure non posse;

» executioni eorum quae in dicto Caeremoniali » constituta sunt, diligenter incumbant, nec ulla » suspensiva appellatio admittatur. » Inde clarissime patet consuetudines, quamvis immemorabiles, reprobari, si laudabilitatis nota careant. E contra plurimae inveniuntur consuetudines a S. S. C. approbatae tamquam laudabiles, licet de illis nulla fiat mentio, fuerint necne immemorabiles.

Sed fortassis quaeres: Quaenam consuetudines tamquam laudabiles habendae sunt, quaenam vero non? Audiatur ad rem praeclarissimus Aloysius Gardellini in nota ad decreta sub nn. 4594, 4597, 4603: « Laudabiles sunt consuetudines illae quae » non aperte repugnant regulis in Caeremoniali » *(idem dic de Missali etc.)* praeceptive praescri- » ptis, nec minuunt sed augent divinum cultum » atque sacris actionibus decus addunt et orna- » mentum. Si vero consuetudines contrariae sunt » Pontificii iuris dispositionibus et aperte repu- » gnant regulis in Caeremoniali traditis, seu pu- » gnent cum lege Ecclesiae universalis, nequa- » quam veluti laudabiles et rationabiles haberi » possunt. »

Hic tamen animadvertere licet cum praelaudato Gardellini ad n. 4620, « id privatorum iudi- » cio non esse relinquendum. Multae quippe con- » suetudines, quae laudabiles privato aliquorum » iudicio videri possunt, tales revera non sunt: » idcirco vel ad debitam formam ab locorum Or- » dinariis reducendae sunt, vel in dubio Sac. Con- » gregationi exponendae, ut eadem definiat, utrum » necne queant retineri. — Sacra enim Rit. Congr. » dum servandum iubet Caeremoniale Episcopo- » rum, haud intendit approbare vel reprobare pecu-

» liares Ecclesiarum consuetudines, sed sibi reser-
» vat earumdem examen in casibus particularibus,
» ut cognoscere possit num rationabiles et lau-
» dabiles sint, vel potius habendae ut corruptelae
» et abusus, ac tales propterea sint, ut reprobari
» et eliminari omnino debeant. »

Fatemur equidem in quibusdam circumstantiis magna opus esse prudentia ad tollendas inveteratas consuetudines, maxime si ad populum transcendant: ne id accidat quod imperitis caementariis, qui, ut pulchre ait S. Franciscus Salesius, plures his quas ponunt tegulas rumpunt. Quapropter, si ex immutatione prudenter timeatur nedum admirationem, sed scandalum in populo oriri, tunc caute procedendum est, et *satius quandoque est aliquid tolerare, quam ciere turbas quae non sine magno Religionis detrimento quandoque etiam ex bona causa excitantur,* prout inquit idem Gardellini *Instructione Clementina,* §. 12, n. 6.

Verumtamen zelo ardeant Clerici pro accurata Rubricarum observantia, ac decore domus Dei, et numquam eis deerunt opportuna media et occasiones propitiae, tum ad abusus eliminandos, cum ad sacrosanctas Ecclesiae leges adamussim observandas, quin populus id aegre ferat, imo gaudeat et inde spiritualem profectum percipiat.

A. M. D. G.

JOACHIM SOLANS
Caerem. Magist.
Eccl. Cathedr. Urgell.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Civitate N.* **De « Alleluia » post antiphonam « Exurge Domine** etc. » **in processione Litaniarum.** Multis in locis, diebus Litaniarum, tam Maiorum quam Minorum, cantatur antiphona « Exurge, Domine, etc. » cui additur « Alleluia », quia, aiunt, est tempus paschale, et si canendum est Alleluia in Missa Rogationum, nisi a fortiori, saltem a pari cani debet etiam ad « Exurge ». Rectene?

Resp. Nullo pacto. Vide Liturgicos auctores, qui omnes uno ore docent, in initio Litaniarum cantores, omnibus stantibus, antiphonam canere « Exurge, Domine, etc. », *sine Alleluia:* et ratio est, quia sic Rituale praescribit. Et sapienti quidem de ratione; Rituale enim probe sciebat, Litanias infra tempus paschale necessario agendas, ideoque si post antiphonam « Exurge » omisit Alleluia, evidens est, ex eiusdem Ritualis praescripto, ibidem esse omittendum, quanquam in Missa ex Rubricarum voluntate locum habeat.

Nota. Nihil dicimus, de loco thuriferarii in recessu cum acolythis ab altari ad sacristiam, post elevationem in Missa solemni; nam, uti alias innuimus, de rebus agitur quae a consuetudinibus locorum unice vel maxime pendent.

II. *Ex eodem loco.* **De usu gremialis in Missa solemni non Pontificali.** In quadam Dioecesi, cum Celebrans in Missa solemni ad *Gloria* et *Credo* sedet cum ministris, ad eos accedit secundus caeremoniarius; et supra illius genua extendit velum

quoddam, eodem prorsus modo, quo in Missa pontificali gremiale extenditur super Episcopi genua. Quid dicendum?

Resp. Gremiale uti ex ipsa definitione patet, solius Episcopi est; definitur enim apud Eminentissimum Bona: « Pannus, qui *in gremio Episcopi celebrantis ponitur,* cum sedet, et cum Ordines confert (*Rer. Liturg. Lib. I, c. XXIV, n. XV*) ». Ideoque ornamentum peculiare Episcopi est, eo prorsus modo quo succinctorium, seu pannus ad instar parvi manipuli e sinistro latere pendens, et figuram agni habens in medio acu pictam, peculiare ornamentum est solius Pontificis, quo utitur, quando solemniter celebrat. Eapropter simplici presbytero gremiale non convenit.

III. *E Dioecesi labacensi.* **De Missa tamquam solemni.** Missae, parochialis, Neopresbyteri, Sacerdotis Iubilaris, possuntne, licet sine cantu, haberi ut solemnes, quatenus omitti in iis possint preces imperatae a Pontifice post Missam lectam?

Resp. Negative. Missam Conventualem licet lectam, considerandam uti solemnem, S. R. Congregatio declaravit in una *Ord. Capuccinorum* ad VII (*V. Eph. 1892, pag. 325 et seq.*). Sed Missa parochialis, quamvis ut conventualis saepe haberi possit, eiusmodi vere non est: ut consequenter declaratio pro Missa Conventuali data a S. R. Congñe extendi non posse videatur ad parochialem. Id autem maxime suadet relatio, quae est inter Conventualem Missam et officium recitatum aut recitandum: quae relatio nulla est inter officium et Missam parochialem. Hoc autem a fortiori dicendum de aliis duabus Missis, de quibus supra. Ceterum solemnitas non constituitur

ex circumstantiis, quae Celebrantem respiciunt, sed ex illis quae respiciunt ipsam Missam et ritum; quod profecto vix in parochiali, nullo autem pacto comprobatur in aliis, seu de Neopresbytero, seu de Sacerdote qui annum quinquagesimum a prima Missa explevit.

IV. *E regione belgica.* **De Oratione Sacramenti in Missa privata loco solemnis.** Quando post Missam facienda sit Expositio solemnis Eucharistiae, addenda ne est Oratio de Sacramento, quamvis dicta Missa legatur?

Resp. Affirmativam damus responsionem; quia eiusmodi Missa pro solemni dicitur. Sicut ergo Missa conventualis, quamvis privata, uti solemnis habetur, seu funalia quod spectat, seu preces post eam recitandas a Leone Papa XIII praescriptas; ita a pari Missa quae cum cantu aut solemnis esse deberet, licet talis non sit, uti talis censenda est, proindeque quemadmodum solemnis admitteret, ita et haec admittit commemorationem de Sacramento: quae ceterum eadem de ratione additur ac in solemni Missa, nempe ratione Expositionis.

V. *Ex eodem loco.* **De Doxologia hymnorum propria in festo SS. Cordis Iesu.** Religiosi N. Breviario Romano utentes peculiares tamen rubricas a Sancta Sede approbatas habent. Olim apud illos recitabatur Officium SS. Cordis cui correspondet Missa *Miserebitur*, et in illo officio Hymni uti de more concluduntur. In Rubricis illorum peculiaribus specialis mentio facta est de non immutandis Conclusionibus Hymnorum in festo praedicto. Per decursum temporis illis religiosis officium SS. Cordis cum Missa que incipit « Egredimini » fuit concessum; et per decreta S. R. C. fuit sta-

tutum, ut Hymni Completorii caeterarumque minorum Horarum uti in festis B. M. V. concluderentur. Iam Vero Calendarista provinciae N. rubrica peculiari innixus quotannis ad festum SS. Cordis Iesu in Calendario inscribit: Hymni concluduntur ut per annum. Quid de hoc censendum?

Resp. Quaestio nullius videtur momenti. Namque Rubricae peculiares Religiosorum N. supponunt, uti patet, officium et Missam fieri, quae doxologiae mutationem non exigunt; iure ergo docent, in festo SS. Cordis conclusiones hymnorum non esse mutandas. At decursu temporis accidit, ut officium cum Missa SS. Cordis iidem Religiosi mutaverint in aliud, quod ex Decretis S. R. Congregationis doxologiae postulat mutationem. Ergo, si fieri potuisset, ipsae Rubricae emendandae erant, quippe quae ad Decretorum normam esse debent. Quod nihilominus licet factum non fuerit, indubium tamen est, Rubricas eiusmodi amplius observari nec posse nec debere, applicari enim non valent praesenti officio, quod praefati Religiosi celebrant. Ergo, quidquid Rubricae in casu dicant, cum impraesenti a Religiosis N. officium cum Missa recitetur, quod mutationem exigit Doxologiae, haec citra controversiam mutanda est, consequenter Calendarium relativum emendandum.

VI. *E Curenna.* **De Oratione in anniversariis extra diem propriam.** Translato anniversario vel anticipato iuxta liturgicas leges, mutari ne debet oratio *Deus indulgentiarum* in aliam *Inclina* aut *Quaesumus?*

Resp. Negative; et anniversario translato ob impedimentum Rubricarum, variari non debet Ora-

tio; sed *recitandam Orationem prout in Missali* S. R. C. decrevit in una *Canonic. Regul. Lateranensium* sub die 4 Maii 1686 ad 3: quod Decretum ab alio invocatur firmaturque, nempe *Wilmen.* d. d. 22 Dec. 1753 ad 4.

Nota 1. Celebrantem ad *Lavabo* in quacumque Missa se vertere ad popolum, hunc adhortandi causa ut pro defunctis oret, abusus est non tollerandus, quippe aperte contra Bullam *Quo primum* S. Pii V Missali praemissam, quae ab omnibus sub gravi est Sacerdotibus observanda. Psalmus *De profundis* cum sua antiphona ac relativa Oratione tunc temporis, iuxta novissimam Ordinationem pro Musica sacra (*artic. 7*), in octavo Ephemeridum numero huius anni relatam, recitari vel cani potest, modo nil de orationibus liturgicis praescriptis omittatur. Id tamen potest chorus, sed Celebrans adamussim Rubricas servare tenetur, et nihil addens aut demens Missam dicet aut cantabit iuxta consuetas leges, nullumque ei licebit novum ritum inducere.

Nota 2. Calendarium die 17 Augusti notare Vesperas a cap. de seq. cum tamen eo die fiat festum secundarium (Impres. Stigm. S. Franc.), et sequenti die primarium (S. Ioseph a Cupert.). mirum esse non debet, uti patet; quia eiusmodi distinctionis lex nuperrime uti certa vulgata est, et Calendarium praecedenti anno redactum fuit. Nihilominus Decretum Gen. super hac distinctione eiusque applicatione servandum est, etiam contra Calendarii, imo ipsius Rubricae specialis Breviarii dispositionem. Quod autem de duplicibus, et de semiduplicibus intelligendum esse, nemo non videt. Item ubi festum SS. Rosarii cum octava recolitur

et secundarium est, concurrente vel occurrente intra illam S. Eduardo huius festum praevalet: ita ut si occurrat, officium sibi vindicet, et si concurrat, integras sibi vindicet Vesperas, cum commemoratione alterius. Quid autem dicendum de die octava, occurrente cum festo dup. min. primario? Quod occurrentiam spectat, Dies octava, utpote communi privilegio fruens iuxta Rubricas, indubie praevalet, quia translationem suapte natura non patitur: quod vero spectat concurrentiam haeremus ancipites. Namque ex una parte diem octavam cum duplici min. concurrentem Rubricae generali privilegio non donant praelationis: ut proinde Vesperae dividendae videantur; imo iuxta novissimum Decretum, si dies octava ad festum pertineat secundarium, cum et ipsa evadat secundaria, Vesperae esse deberent integrae de duplici min. concurrente, quando hoc festum est primarium. Verumtamen ex alia parte stant Decreta, quae, uti diebus octavis festorum Domini integras tribuunt Vesperas licet in concurrentia cum duplici minori, et quandoque maiori; ita octavis diebus festorum Deiparae concurrentibus saltem cum duplici minori integras Vesperas tribuunt. Cum autem hic agatur de privilegio, nescimus utrum mens fuerit S. R. Congregationi eiusmodi privilegium certo abrogandi; et consequenter quid in casu proposito sit agendum omni cum certitudine definire, nequimus. Cl. Doct. Piacenza docet, die octava cuiuscumque festi concurrente cum dup. min. primario, faciendas esse Vesperas de digniori, dignitate personali, cum com. de minus digno. (*V. n. 1 Ephem. vert. an. pag. 28, tab. concurr.*) Sed dubitari potest, utrum

iure abstrahatur a festo primario aut secundario, cum de die octava verba fiunt. Hinc pro nunc non possumus, quin quaestionem insolutam relinquamus.

Nota 3. Omnia communiter Breviaria, typica haud excepta editione, ponunt pro S. Emidio Ep. et Mart. lectiones 1. noct. De libr. Eccl. *Ne sequaris;* neque explicare possumus quomodo Calendarium in casu ponat *A Mileto.* Fortasse in loco iam celebrabatur festum S. Emidii cum lectionibus *a Mileto*, quando speciale pro aliquibus locis inscriptum fuit officium in Breviariis.

VII. *E Palma in Insula Maiorica.* **De apparatu altaris, qui festo non respondet.** Anno praesenti in festo S. Ioseph (19 Mart.) quod transferendum erat, quia occurrit feria II maioris hebdomadae, poterat ne altare cum multis cereis et eleganti apparatu, absque tamen Sanctorum Reliquiis, exornari, non obstante praescriptione Caeremonialis Episcoporum (*Lib. II, cap. XIII. n. 2*)?

Resp. Si de altari agatur, quod chorale non est, nullum videmus in illo exornando inconveniens, non enim eiusmodi apparatus ad Liturgiam diei pertinet; et unice inservit devotioni fovendae populi. Si vero de altari chorali verba fiant, quantum intelligimus, non est probandum. Ratio est, quia eiusmodi apparatus nimis Liturgiae diei contradicit, ut veluti musica in luctu nobis appareat, quae satis dedecet, saltem cum laetitiam exprimit. Et revera, non paramentis ministrorum, non cantui moestitiae, non organorum silentio, non ulli diei Liturgiae parti talis altaris pompa convenit. Eapropter Caeremoniale exigit, ut Ecclesia, altare et chorus simpliciori apparatu ornentur.

Hinc consultius credimus Liturgiam diei etiam in altaris ornatu, iuxta legem, esse sequendam. Eodem sensu ad alterum reponimus dubium super Completorii solemniori cantu in vigilia eiusdem Sancti. Cum enim eius festum per officium et Missam nequeat liturgice recoli, absonum nobis videtur, officii partem, esto minorem, eiusdem solemniori cultu in vigilia celebrari. Sicut enim in solemnioribus diebus festis publicum defunctorum officium agere vetamur, ita e converso in feriis maioris hebdomadae solemnitatum laetitiam non censemus approbandam. Nimis enim inter se pugnant festorum gaudia et relativa horum dierum tristitia. Haec nostra sentiendi ratio, quam Liturgiae spiritui, nisi et litterae, conformem credimus.

VIII. *E Pictavis in Gallia.* **De doxologia propria non substituenda alteri.** Utrum Doxologia hymni Quadragesimae: *Praesta, Beata Trinitas,* adeo propria sit, ut substitui debeat Doxologiae hymnorum Domini aut B. M. Virginis in secundis Vesperis Officii votivi Immaculate Conceptionis Sabbato ante quadragesimam?

Resp. Iuxta Guyetum, quem ut plurimum sequuntur alii Liturgiae doctores, illa doxologia dicitur propria, «in qua sit connexio aliqua ultimi illius versus cum praecedentibus, seu allusio ad id, quod in serie hymni tractatum fuit (*Lib. III, cap. VI, quaest. 6*)». Ex quo patet, doxologiam *Praesta Beata Trinitas* esse vere propriam hymnorum Vesperarum et Matutini tempore Quadragesimae. At num ideo eiusmodi doxologia sufficienda alteri hymnorum Domini vel Deiparae, si illud officium vel officii pars praevaleat? Negative reponimus cum eodem Guyeto, qui hanc tra-

ctans quaestionem docet, consuetudinem non vigere, ut talis doxologia extra suum hymnum usurpetur. Addit autem: « Crediderim itaque, privilegium esse istud Mysteriorum Christi Domini, et B. Virginis proprium, ad alios minime extendendum (*Loc. cit. quaest. 7*) ». Quod si in aliquibus Galliarum Ecclesiis contrarius viguit usus, uti in Ecclesia S. Martini Turonensis, in Ecclesia Rhemensi, Senonensi etc. uti ipsemet Guyetus advertit, cum ipsomet quoque concludimus, nil hoc ad romanum attinere. Eapropter, licet praedicta doxologia sit propria, nihilominus pro aliis hymnis adhibenda non est, maxime si hi et propriam habeant, ut in casu.

IX. *Ex eodem loco.* **De doxologia** *Iesu tibi etc.* **in Vesp. votiv. Sacram, et Completorio feriae V, sequente festo Passionis sine doxolog. propria.** Utrum Doxologia. *Iesu, tibi sit gloria,* dicenda sit ad Vesperas et Completorium Feriae V, in qua Officium votivum SS. Sacramenti factum est, quando sequitur in Feria VI Festum alicuius Instrumenti Passionis Dominicae non habens Doxologiam propriam?

Resp. Ita credimus. Namque statutum per Decreta est, Doxologiam *Iesu tibi etc.* dicendam esse in Vesperis de sequenti, uti et in Completorio, si de praecedenti festo Deiparae (idem e converso) facta saltem com. fuerit. Hoc autem, uti patet, veluti generalem constituit legem ex identitate rationis: ut quandocumque festum habens commemorationem in Vesperis doxologia propria gaudeat, non vero alterum, de quo fiunt Vesperae, eadem semper dicenda sit doxologia in hymnis seu Vesperarum seu Completorii.

X. *Ex eodem loco.* **De lectionibus I noct. in festo S. Bernardi Abb. extra diem propriam.** Quaenam legendae lectiones I noct. in festo S. Bernardi Abb. quando celebratur, uti apud nos, in hebdomada, cui non assignatur liber Sapientiae?

Resp. Nota Rubrica specialis est, tam quae indicat lectiones I noct. pro hoc Sancto, nempe de Script. occurr. quam quae ibidem citatur, et ponitur ante Dom. III Augusti. Ex his resultat, lectiones I noct. S. Bernardi Abb. esse ut plurimam de Sapientia, si die sua 20 Aug. recolatur.

Hinc dubium prudens, utrum si celebretur extra hebdomadam, cui Liber Sapientiae assignatur in Breviario, dicendae sint lectiones I noct. de Communi Doctorum an aliae. Sed animadvertimus: quandoque iuxta dictas Rubricas S. Bernardus non habet lectiones I noct. de libro Sapientiae, sed de libro Ecclesiastici, uti videre est ex. gr. in tabula XVIII Calendarii perpetui, incidit enim in hebdomadam IV Augusti. Cum ergo Rubrica doceat eiusmodi lectiones esse debere de Scriptura occurrente, videtur concludendum, ipsi non competere lectiones Doctorum proprias, licet sit Doctor, quando etiam perpetuo celebretur extra hebdomadam, quae fert Librum Sapientiae.

Simile Dubium resolvimus in num. Ephem. vertentis anni (*pag. 429 in nota*), non tamen cum omni certitudine: uti nunc facere cogimur. Non enim satis nobis constat principium generale, cui S. R. C. innititur in assignandis lectionibns I noct. officiis plurium Doctorum. Ita ex. gr. praeter quatuor Ss. Doctores latinos, Gregorium, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, habent de *Sapientia*

ctans quaestionem docet, consuetudinem non vigere, ut talis doxologia extra suum hymnum usurpetur. Addit autem: « Crediderim itaque, privilegium esse istud Mysteriorum Christi Domini, et B. Virginis proprium, ad alios minime extendendum (*Loc. cit. quaest. 7*) ». Quod si in aliquibus Galliarum Ecclesiis contrarius viguit usus, uti in Ecclesia S. Martini Turonensis, in Ecclesia Rhemensi, Senonensi etc. uti ipsemet Guyetus advertit, cum ipsomet quoque concludimus, nil hoc ad romanum attinere. Eapropter, licet praedicta doxologia sit propria, nihilominus pro aliis hymnis adhibenda non est, maxime si hi et propriam habeant, ut in casu.

IX. *Ex eodem loco.* **De doxologia** *Iesu tibi etc.* **in Vesp. votiv. Sacram, et Completorio feriae V, sequente festo Passionis sine doxolog. propria.** Utrum Doxologia. *Iesu, tibi sit gloria,* dicenda sit ad Vesperas et Completorium Feriae V, in qua Officium votivum SS. Sacramenti factum est, quando sequitur in Feria VI Festum alicuius Instrumenti Passionis Dominicae non habens Doxologiam propriam?

Resp. Ita credimus. Namque statutum per Decreta est, Doxologiam *Iesu tibi etc.* dicendam esse in Vesperis de sequenti, uti et in Completorio, si de praecedenti festo Deiparae (idem e converso) facta saltem com. fuerit. Hoc autem, uti patet, veluti generalem constituit legem ex identitate rationis: ut quandocumque festum habens commemorationem in Vesperis doxologia propria gaudeat, non vero alterum, de quo fiunt Vesperae, eadem semper dicenda sit doxologia in hymnis seu Vesperarum seu Completorii.

X. *Ex eodem loco.* **De lectionibus I noct. in festo S. Bernardi Abb. extra diem propriam.** Quaenam legendae lectiones I noct. in festo S. Bernardi Abb. quando celebratur, uti apud nos, in hebdomada, cui non assignatur liber Sapientiae?

Resp. Nota Rubrica specialis est, tam quae indicat lectiones I noct. pro hoc Sancto, nempe de Script. occurr. quam quae ibidem citatur, et ponitur ante Dom. III Augusti. Ex his resultat, lectiones I noct. S. Bernardi Abb. esse ut plurimam de Sapientia, si die sua 20 Aug. recolatur.

Hinc dubium prudens, utrum si celebretur extra hebdomadam, cui Liber Sapientiae assignatur in Breviario, dicendae sint lectiones I noct. de Communi Doctorum an aliae. Sed animadvertimus: quandoque iuxta dictas Rubricas S. Bernardus non habet lectiones I noct. de libro Sapientiae, sed de libro Ecclesiastici, uti videre est ex. gr. in tabula XVIII Calendarii perpetui, incidit enim in hebdomadam IV Augusti. Cum ergo Rubrica doceat eiusmodi lectiones esse debere de Scriptura occurrente, videtur concludendum, ipsi non competere lectiones Doctorum proprias, licet sit Doctor, quando etiam perpetuo celebretur extra hebdomadam, quae fert Librum Sapientiae.

Simile Dubium resolvimus in num. Ephem. vertentis anni (*pag. 429 in nota*), non tamen cum omni certitudine: uti nunc facere cogimur. Non enim satis nobis constat principium generale, cui S. R. C. innititur in assignandis lectionibns I noct. officiis plurium Doctorum. Ita ex. gr. praeter quatuor Ss. Doctores latinos, Gregorium, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, habent de *Sapientia*

Ss. Franciscus Salesius, Thomas Aquinas, Isidorus, Bonaventura, Alphonsus de Liguori: habent de Scriptura occ. Ss. Hilarius, Basilius, et Greg. Nazianzenus: Ss. Petrus Chrysologus et Petrus Damiani habent *Fidelis Sermo:* S. Ioan. Chrysostomus habet de Scriptura occurrente, sed si in Quadragesimam incidat, iuxta Decretum *Einsidlen.* de Sapientia assumit: item Athanasius legit de Script. occurrente; sed habet de Sapientia si occurrat in feria II et IV Rogationum. S. Cyrillus Alex. habet de Scriptura, sed in Quadragesima habet de Sapientia: S. Cyrillus Ieros. legit *Fidelis Sermo;* sed extra Quadragesimam habet de Scriptura. Ex quibus patet, positivo potius standum esse iuri, quam ratiocinio, cum certam non habeamus, cui innitamur, basim. Eapropter lectiones I noct. pro S. Bernardo, cum de Scriptura occ. esse debeant, eaedem esse videntur, etsi infra hebdomadam celebretur, cui lectiones de Sapientia non assignantur. Non tamen auderemus eum censura notare, qui *Sapientiam* in casu legeret, cum haec visa sit S. R. Coñgnis mens, ut de Sapientia legerentur.

SUPER ORDINATIONE PRO MUSICA SACRA

COMMENTARIA

(*Continuatio V. n. 9. pag. 560*).

9. At gravius quod sequitur: polyphono cantu a S. R. Congñe admisso, quinam magis sit probandus edocemur, utpote domo Dei dignissimus. Hinc prosequitur in quarto articulo declarans: Ad genus quod attinet cantus polyphoni, uti dignissima domo Dei admittitur Praenestiniana musice, eiusque habilium imitatorum: quemadmodum, quod chromaticum genus spectat, cultu divino digna reputatur illa, quae ad aetatem usque praesentem transmissa nobis fuit a celebrioribus diversarum scholarum magistris, sive italae illae fuerint sive exterae; praecipueque a Romanis, quorum compositiones uti vere sacras competens auctoritas multoties laudibus celebravit. — Aliquid, ni fallimur, hic latet, quod opportune detegendum credimus. In musicalem cantum, quem Urbis Ecclesiae multae de more adhibent, pluries irruit Ephemeris quaedam e Gallia Cispadana, iniuriis illum afficiens epithetis, uti *triviali*, *plateali*, *lutulento*, aliisque similibus aut contemptibilioribus. Mirum sane! Ecquis Ephemeridem illam hoc in negotio iudicem constituit? Nemo. Audaces illarum scriptores ita ne periti, ut aequum de musica, quam impetebant, iudicium ferrent?

Constat oppositum. Caritas, prudentia, a cupiditate libertas, iustitia etc. aggressores ne exornabant? Nullo modo, uti illas Ephemeridis legenti paginas perspicuum fit. Quanti ergo eiusmodi iudicium faciendum? Alia Ephemeris, sed Romana, quae illi fortiter, scite invicteque restitit, satis abunde ostendit. Nunc fatur romana Auctoritas apprime competens, romanorum specialiter compositiones approbans doctorum, ad quos pertinebant illae quas antedicta Ephemeris impetierat. Aequa compensatio. Pumilionum non est profligare gigantes, eoque minus verborum inaniis aut fallaciis: odio autem apud omnes est, perpaucos quosdam exteros ad sidera extollere, ut indigenae deprimantur. In Mozart, ex. gr., Haydn (1), Beethoven musica (2) artis non inficiamur merita, licet plures ex eorum compositionibus eiusmodi sint, ut Italos saepe saepius toedio afficiant, ac veluti ad somnum invitent. Sed io dicimus Itali divinae musicae Marcello, Pergolesi, Gulielmi, Zingarelli, Cherubini, Terziani P., Mercadante, Aldega, Battaglia (ipsorumque, quasi velimus addere, Donizetti, Rossini ac Verdi quod aliquas spectat sacras compositiones, quamvis academico potiusquam ecclesiastico stilo exaratas), uti summorum, quos Deus servet incolumes, praesentium Musta-

(1) Illustris huius periti musica, ad partes quod attinet chorales, maiestate ac vivacitate simul plena est; sed quas unus, duo, vel tres etiam explere partes cantores debent, eiusmodi sunt ut nobis saltem Italis haud parum fastidii afferre non desinant.

(2) Re in se perpensa, cl. istius magistri modulationes plures vivacitate non carent; sed plures etiam ob tenoris similitudinem in evolutione materiae languescunt toediumque pariunt.

fà, Meluzzi, Capocci, Moriconi. Aliorum quoque non dicimus spernendam, sed laudandam musicam, quam Ecclesiae Urbis libenter admittunt, quidquid hodierni Catones censoria virgula in contrarium notare audeant: inter illos peculiariter PP. Di Pietro e Societate Iesu, ac Petri Baptistae e Falconara Ordinis Minorum Reformatorum. Minus enim nihilo facienda sunt, quae contra horum, uti et aliorum compositiones peritorum, fanatici homines verbo et scriptis effutierunt. Sed iam optandum, ut cupiditati et procacitati imponatur finis, postquam causa musicalis ex Ecclesiae iudicio auctoritate pleno absoluta censenda est (1).

---

(1) Ephemeris *Caecilia*, quae Argentorati vulgatur (*num. 8 vertentis an.*) clamat adhuc, scribens: « Credendum interim non est, reformationem (*musicae sacrae*) multum progressam Romae fuisse, vel apud Seminaria et Collegia ecclesiastica Urbis invenisse gratiam. Nobis enim accidit, ut compositiones audierimus longe alias a religiosis in publicis Ecclesiis ex. gr. S. Ignatii, in qua nos accepimus super quadam musicae parte sequens proferri iudicium: Excellens musica! ipsa est adamussim *le trio de Lucrezia Borgia!!!* Sed idem accidit in Collegiis ecclesiasticis. Anno 1890 praesentes quadam die fuimus solemni cuidam officio in interiori perpulchra Ecclesia unius ex his Collegiis, cuius alumni ad centenum circiter ascendebant numerum, virorum et adolescentium. Sperabamus alumnos audire canentes... sed e contra evenit. Non alios quam ordinarios cantores laicos audivimus, quorum vulgaris ac trita musica centies ab Ecclesiis nos expulerat. Inde zelo percitus concludit: « C'est tout dire ». Ita praefata Ephemeris. Sed imprimis, bona cum venia egregii Redactoris *Caeciliae*, quem de facie novimus, et pluries, cum Romae esset, compellavimus, quis ille fuit, inquirere licet, e cuius ore praedictum dilapsum sit iudicium. Idem enim nos ipsi audivimus, imo et legimus in Ephemeride quadam, cuius nomen silere malumus. Pertinet, dubio procul,

Ceterum, cum quinam esse debeat sacer pro musica ecclesiastica stilus adhuc non sit perspicuum, quaenam peculiares dotes, quibus ea exornari debeat declaratum non sit, sed tantum hoc unum sit exploratum, eam ex Liturgiae spiritu esse debere informatam; toto iure nobis concludere licet, magistrorum maxime, qui Romani sunt, catholicoque spiritu pleni, quem ad fontem hauriunt Romanae Ecclesiae, musicam eiusmodi esse, quae exigitur, utpote saepe saepius a competenti auctoritate laudibus exornatam. Atque ita, si aliter non posset, os obstruendum saltem esset iniusta loquentium. Itaque post cantum liturgicum Ecclesiae proprium, primas in templis tenet sacra musica diatonici generis Petraloisii Praenestini, alterum vero locum Musica chromatica, quam composuerunt Romani magistri anteactae aetatis, nec non eam, quam praesentes elucubrant, qui illis

---

ad alterum ex nostris reformatoribus, pro quibus una tantum musica digna erat ut probaretur, quae scilicet illis arridebat: reliqua profana est, aut inepta, aut vulgaris, aut ridicula, aut scandalum pariens. Sed talia effutienti, ut alia certe similia, iam responsum fuit; et propositio per legum musicalium rudimenta, quae reformatores aut ignorabant, aut ignorare simulabant, et per citatum ab iisdem exemplum allatum et enucleatum confutati satis abunde fuerunt, mendaciique redarguti. Secundo, nulla lex vetat, quominus laici viri sacram decantent in templis Dei musicam, modo eam sacrarum functionum spiritus informet, quod in casu evenisse, quidquid reformatores dicant, iure credimus. Quod si cl. *Caeciliae* Moderatori accidit, ut pluries a romana musica expulsus e templo fuerit, nobis vehementer displicet; sed mirum esse non debet, cum idem Italis etiam acciderit, qui in Germanicis Ecclesiis germanicam musicam audierunt. Ceterum per unum exemplum vel alterum, defectum aequi progressus in sacra musica probare, logicae regulis contradicit, nec hyrundo una ver faceret.

morem habiliter gerunt: exteri sequuntur, quorum opera in Basilicarum Urbis archivis, una cum illorum, tamquam thesaurus fideliter servantur, et laudabiliter, omniumque fidelium, reformatoribus exceptis, plausu concinuntur.

10. Expositis haud obstantibus, quae per se musica decet, dedecere per accidens potest, vitio nempe cantorum; hinc sapiens articulus Ordinationis quintus: Cum apprime innotescat, optimam quamque compositionem musicae polyphonae, vitiosae executionis causa evadere indecentem posse, hoc in casu in functionibus severiori sensu liturgicis cantus Gregorianus adhibeatur. — Satis vix dici potest, quantae articulus praesens sit gravitatis. Musica, quae in templis est adhibenda, fini respondere debet, ob quem canitur. Finis autem est, Deum laudare, Liturgiam solemniori ratione consociare, fideles audientes aedificare. At, si ex defectu vel imperitia cantantium gravitas et maiestas deficere debeant, adeo ut risu, vel commiseratione digna fieret musica, ut quid tempus terere, Deo insultare, Liturgiae decori iniuriam inferre, christianos molestia, et admiratione afficère? Id nimis est sacris templis indignum, proindeque intolerabile. Prudentiori igitur dispositione in eiusmodi rerum adiunctis musica polyphona interdicitur, et nonnisi Liturgicus imponitur cantus. Id tamen pro solis functionibus statuitur, quae ad Liturgiam severius pertinent, consequenter in aliis polyphona musica permittitur: non profecto, quod in aliis functionibus ecclesiasticis vitiosa cantus cuiuscumque executio liceat, cum semper evitanda sit; sed quia liturgici actus magis quam alii, cordi sunt Ecclesiae. Nemo autem ne-

scit, functiones liturgicas esse illas, quae in codicibus liturgicis inscribuntur, maxime autem in casu Missa et Vesperae quae solemniter decantantur. In his ergo praecipue, si polyphonus convenienter haberi non possit, liturgicum seu gregorianum adhibendum cantum S. R. C. mandat. Longe enim melius est hoc simplici cantu uti, quam difficili musica, quando haec adhiberi cum decore nequeat. Quod si non deerint pretio ducti cantores, qui pecuniae cupiditate illecti, omnia se convenienter exequi posse contendant, quamvis actu postea Dei laudem Ecclesiaeque maiestatem pessumdent, ac fidelium aures mentesque crucient; onus incumbit primo Ordinariis locorum, inde Parochis, rectoribusve aut Cappellanis Ecclesiarum, ut prae ceteris Dei honorem, christiadumque utilitatem intendentes, inordinationem huiusmodi a sacris templis arceant, curentque ut cantus sit, quam melius fieri possit, Domo Dei dignus.

11. Cum autem ex antiquiori iam usu organa crebro pulsentur in Ecclesiis, vel sola, vel ut vocibus iungantur, S. R. C. eorum quoque sonum moderari optimum iudicavit. Hinc articulus sextus dicens: Musicus pro organo concentus indoli huiusce instrumenti respondere debet, quae continua est, harmonica et gravis. Instrumentorum consociatio cantum cum decore sustineat oportet, non vero opprimat. In praeludiis et interludiis, cum organum tum alia instrumenta sacram semper indolem servent, quae functionis cuiusque significationi respondeat. — Super hac norma, tria nobis potissimum animadvertenda sunt. Primum organi respicit naturam, quae longe alia ab harpichordi

vel clavicymbali, aut alterius similis instrumenti, sonos exhibet continuos haud abruptos et seiunctos alios ab aliis, ut vocibus consociandis optime respondere queat, longeque proinde maiorem gravitatem quam alia, quae sonos abrumpunt, facile servat. Praesens itaque dispositio iubet, ut musica per organum exequenda indoli respondeat instrumenti, ut sonitus nempe sint continui, ne gravitas deficiat, minuaturque harmonia, uti in aliorum sonis instrumentorum, de quibus superius, accidit.

Hac de ratione S. R. C. censuit obviam ire gravissimo incommodo, quod ab iis derivat imperitis organicis, qui templi sanctitatem obliti, vel ignorantes, hoc tangunt instrumentum more harpichordi vel crotali aut alterius similis, ut ad choreas potius quam ad orationem invitare videantur. Id autem aeque servandum in harmonicis ac melodicis concentibus: adeo ut harmonia quae melodiam consociat, continua sit pariter oporteat. Quod tamen de abruptionis excessu est intelligendum, ita ut organum in aliud dissimile instrumentum non transformetur: haud vero de quibusdam abruptionis casibus, quos vel ars imponit, vel rerum natura postulat. Similiter eiusmodi in concitatis flexionibus lex tenenda, ut semper harmonia organi indolem servet. Vel solum itaque organum pulsetur, vel cantantibus iungatur, vel moestitiam exprimere vel sanctam laetitiam debeat, illius sequenda natura est, haud corrumpenda: ut fideles intelligant, non in profanis aulis, sed in Dei templis versari, ut Altissimo laudes referant. Atque ita dum Deo gratissimum, nobis quoque utilitatis apprime officium implebimus,

cum mente animoque angelicis choris iungimur, vere, uti Sacra se exprimit Liturgia, almae Sionis aemuli.

Alterum animadvertendum respicit huiusce instrumenti pulsandi rationem, ut cantum cui iungitur, cum decore sustineat, non autem opprimat. Esset id enim ordinem invertere, cantum videlicet, qui in sacris actibus primas habet, ad nihilum redigere, et sono qui cantui inservire natus est, primas tribuere. Omni hinc ope vitandus inconditus ille vocum clamor, qui utpote sono oppressus nullam valet exhibere audientibus significationem, ut prorsus ad finem ineptus fiat. Inter voces proinde et sonos aequa debet servari proportio: adeo ut audiri illae possint et isti, ut sibi quodammodo desponsata illam praeseferant iucundam gratamque unionem, quae auribus loquatur et cordibus. Secus barbarus habebitur loquendi modus, incomprehensibilis et vanus, qui cum audiri nequeat, eo ipso decere nec potest templum Dei.

Tertio denique animadvertendum, nullum per praesentem articulum prohiberi instrumentorum, cuiuscumque sit generis, sive a chorda, sive a manu, sive spiratale fuerit, dum antiquior Ordinatio quae magis erant fragosa interdicebat, uti crotala, tympana, et similia, sicut et clavicymbala: quid inde? Hoc unum profecto: quaecumque vel in organis instrumenta, vel quae coniungi iisdem organis valent, dummodo ea qua par est peritia, moderatione ac religione adhibeatur, influere in animum posse, ut ad caelestia sublevent. Clamabunt quidem et hic reformatores, sed frustra: lex antea severior, impraesentiarum

evadit mitior, et qui ei non adversantur, notari censura non possunt. Non enim privata auctoritas, sed publica ius habet ferendi leges, et tulit; illa ergo sileat, et quae hucusque nullo iure velut universalis iudex facta, contra tot organa stolide inclamitavit, hanc modo dent nobis veniam, obmutescant.

Qui tamen organa, vel alia instrumenta tangunt aut pulsant, serio considerent semper oportet, sacram, quae functionum significationi respondeat, indolem, semper quoque servandam. Hinc sequitur, hodiernos reformatores nullo posse iure praesentem, uti nimis benignam, legem criminari, ac si inordinationes ex ea derivare queant; hae namque non legis relaxationi, quam necessariam S. R. C. sapienter iudicavit, tribuendae, sed hominibus, qui legibus etiam sanctioribus abutuntur. Ceterum, licet omnium instrumentorum generum usum nonnulli damnaverint in Ecclesiis, satis plures, omnique aestimatione dignissimi eumdem probarunt. Nec mirum: idem quidem finis, Dei laus, et spiritualis utilitas, sed diversa esse subsidia possunt pro eo consequendo. Benedictus XIV in supercitata Constitutione varias scriptorum sententias refert, et quaestionem relinquit insolutam. Sat erit innuere, saeculo XIII Aelredum divi Bernardi discipulum cum musicis instrumentis ipsa in Ecclesiis organa condemnatione digna iudicasse. Sed eodem vertente saeculo collaudabat Episcopus Carnutensis *concentum hominum et instrumentorum modos.* Idem sensit S. Antoninus, post eum cl. Suaresius, aliique plures. Item admiserunt quidam in templis sola spiritalia instrumenta, quidam vero respuerunt (*Loc. cit.* §§ *4*

et 5). Nunc competens auctoritas implicite declarat, dicta in templis instrumenta permitti; quaestio ergo soluta est, et hoc unum superest, iis videlicet ea uti ratione, ut sicuti per se, ita et per accidens finem attingere valeant, propter quem adhibentur.

(*Continuabitur*) D. C.

S. RITUUM CONGREGATIO

I.

Die VIII Martii.

In festo Sancti Joannis de Deo Confessoris

ADDITIO AD CALCEM VI. LECTIONIS.

Post verba « in sanctorum numerum retulit » : addatur : « et Leo decimus tertius, ex sacrorum catholici orbis Antistitum voto ac Rituum Congregationis consulto, caelestem omnium hospitalium et infirmorum ubique degentium Patronum declaravit, ipsiusque nomen in agonizantium Litaniis invocari praecepit. »

ADDITIO MARTYROLOGIO ROMANO INSERENDA.

(8 Martii) Octavo Idus Martii.......

Granatae in Hispania Sancti Ioannis de Deo, Ordinis Fratrum Hospitalitatis Infirmorum Institutoris, misericordia in pauperes et sui despicientia celebris: *quem Leo decimus tertius Pontifex Maximus omnium hospitalium et infirmorum caelestem Patronum renuntiavit.*.

Apud Antinoum etc.

ORBIS.

Quo subsidia caelitus multiplicentur, dum ab infensissimis christianae religionis hostibus bellum quoque instauratur in nosocomia, ecclesiasticae auctoritati iam subducta, omnique spirituali solamine fere orbata; Rmus P. Ioannes Maria Alfieri, Prior Generalis Ordinis S. Ioannis de Deo, praeeuntibus non paucis quum Emis Patribus tum Rmis Sacrorum Antistitibus, consecutus est, ut, per Litteras Apostolicas in forma Brevis diei 22 Iunii 1886, Sanctus Ioannes de Deo, misericordia erga pauperes

aegrotos vere insignis, omnium Hospitalium et Infirmorum una cum S. Camillo de Lellis, caelestis Patronus declaratus et constitutus fuerit. Nuper autem piis Fratrum ipsius Ordinis votis satisfacturus, Parentis sui honorem et gloriam in orbe adaugeri cupientium, Rm̃us Pater Cassianus Maria Gasser hodiernus Prior Generalis Ordinis memorati Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII iteratis precibus rogavit, ut tantum caritatis heroem praeclaro eiusmodi Patroni titulo tam in Officio quam in Martyrologio cohonestandum decernere dignaretur. Cum igitur respectivae additiones tum sextae Lectioni, tum Martyrologio Romano inserendae, ab Em̃o Cardinali Lucido Maria Parocchi Episcopo Albanensi, Relatore, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunatis, ut approbarentur, propositae fuerint; Em̃i ac Rm̃i Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audito R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, ita rescribere censuerunt: *Pro gratia et ad Em̃um Ponentem cum Promotore Fidei.* Die x Iulii MDCCCXCIV.

Harum itaque additionum revisione per eundem Em̃um ac Rm̃um Dñum Cardinalem una cum eodem Promotore S. Fidei rite peracta, atque a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII de hisce omnibus relatione, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacrae Congregationis ratam habens, eiusmodi additamenta, prouti huic praeiacent Decreto, tum Breviario tum Martyrologio Romano inseri iussit. Die XXIII iisdem mense et anno.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *Praefectus.*

L. ✠ S.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

II.

Die XVIII Iulii.

In festo Sancti Camilli de Lellis Confessoris

ADDITIO AD CALCEM VI. LECTIONIS.

Post verba: « Sanctorum fastis adscripsit » addatur: « et Leo » Decimus tertius, ex sacrorum catholici orbis Antistitum voto ac » Rituum Congregationis consulto, caelestem omnium hospitalium » et infirmorum ubique degentium Patronum declaravit, ipsiusque » nomen in agonizantium Litaniis invocari praecepit ».

ADDITIO MARTYROLOGIO ROMANO INSERENDA.

(18 Iulii) Quinto decimo Kalendas Augusti... « Sancti Camilli » De Lellis Confessoris, Clericorum Regularium infirmis ministran-

» tium Institutoris, cuius natalis dies pridie Idus Iulii recensetur:
» Quem Leo Decimus tertius Pontifex Maximus hospitalium et in-
» firmorum caelestem Patronum renuntiavit ».

ORBIS.

Per Apostolicas Litteras in forma Brevis diei 22 Iunii 1886 Sanctus Confessor Camillus De Lellis inclitus christianae caritatis heros, pluribus instantibus Patribus Cardinalibus et sacrorum Antistitibus, caelestis hospitalium omnium et infirmorum ubique degentium Patronus una cum Sancto Ioanne de Deo declaratus et constitutus est. Quo tamen novus honor accedat Parenti, ac Fundatori suo, eiusque nomen et gloria magis propagetur; Rm̃us P. Ioannes Mattis Praefectus Generalis Congregationi Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium, communia eorumdem vota depromens, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII iteratis precibus exoravit, ut idem Sanctus Camillus ubique terrarum suavissimo titulo Patroni omnium Hospitalium atque Infirmorum tum in divini Officii tum in Martyrologii recitatione die decima octava Iulii celebrari valeret. Quum igitur respectivae additiones tum sextae Lectioni, tum Martyrologio Romano inserendae, ab Em̃o Cardinali Lucido Maria Parocchi Episcopo Albanensi Relatore, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunatis, ut approbarentur, propositae fuerint; Em̃i ac Rm̃i Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audito R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, ita rescribere rati sunt: *pro gratia et ad Em̃um Ponentem cum Promotore Fidei*. Die 10 Iulii 1894.

Itaque earumdem additionum revisione per eumdem Em̃um ac Rm̃um Dominum Cardinalem una cum eodem Promotore S. Fidei rite peracta, atque a me infrascripto Cardinali S. Rituum Congregationi Praefecto SSm̃o Domino Nostro Leoni Papae XIII facta de hisce omnibus relatione, Sanctitas Sua Sententiam eiusdem Sacrae Congregationis ratam habens, eiusmodi additamenta, prout huic praeiacent Decreto, tum Breviario tum Martyrologio Romano inseri iussit.

Die 23 iisdem mense et anno.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus*

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1894.

EXPOSITIO NOVISSIMA

RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*V. N. 5. praes. an. pag. 299*)

(*Contin. Tit. VII. n. 3*).

(187) *Infra Octavam Corporis Christi fit tantum de duplicibus, non tamen translatis.* Octava Corporis Christi, minori quidem Octava Epiphaniae, privilegio gaudet tamen; infra eam, nempe fit de duplicibus sive maioribus, sive etiam minoribus occurrentibus.

Si vero duplicia maiora aut minora doctorum Ecclesiae, paulo ante Festum Corporis Christi in propria die impedita fuerint, infra hanc octavam transferri nequeunt; sed ulterius transferenda sunt; alia vero duplicia minora aut commemoranda sunt, aut penitus omittenda iuxta aliam Rubricam.

Interim nota, festa occurrentia non ea tantum dici, quae die propria, seu natalitia, seu quasi-natalitia recoluntur, sed illa etiam, quae ob impedimentum perpetuum a die propria amota, alia die reponuntur. Hinc infra hanc octavam de his quoque festis, vere occurrentibus, iure celebratur officium. Proinde si duplex officium quoddam, ob novum festum, perpetuo in aliquo Calendario impediatur, in fixa die libera ab of-

ficio novem lectionum infra Octavam Corporis Christi eo anno occurrens optime pro semper reponi potest. Sicut enim in una *Veneta* (19 Apr. 1749) statutum est, ut *festum semiduplex a die sua perpetuo amotum, celebrari possit infra octavam non privilegiatam in die ipsi assignanda tamquam in sede illius fixa;* ita concludendum est, festum duplex perpetuo impeditum posse infra Octavam, quae duplicia occurrentia admittit, perpetuo reponi. Quod si quaeras, utrum reponi possit etiam in die, qua de semiduplici agendum esset, utpote de quo infra hanc Octavam fieri non potest, respondendum negative; primo quidem quia dies illa *libera* non est in Calendario perpetuo, secundo autem quia festum Corporis Christi ad mobilia pertinet, et festum semiduplex in casu est fixum. Proinde, si fieri hoc semiduplex non poterit eo anno, fieri in aliis poterit; at si in eo repones festum duplex, illius officium fieri amplius non posset. Ea propter verba *non tamen translatis* stricto sensu accipienda sunt, adeo ut pro iis vere *translata* (nempe eo anno) sint intelligenda, non autem festa perpetuo *reposita.*

(188)... *nisi fuerint primae vel secundae classis.* Duplicia vero classica, haec Rubrica permittit, ut licet eo anno impedita, infra hanc Octavam transferantur: quod fit in gratiam solemnitatis horum officiorum, ne nimis remote a die eorum propria celebrentur. Notum est autem, S. R. Coñgnem commune concessisse privilegium transferendi huiusmodi festa, ob defectum dierum liberorum, etiam in dies semiduplici festo impeditos: qui si deficiant, etiam in dies impeditos festo duplici, ab hac fortasse Rubrica sumpto exemplo, ob ritus solemnitatem potiorem, qua gaudent festa duplicia primae et secundae classis. Advertas autem, haec duplicia transferri posse in diem quemcumque infra Octavam

Corporis Christi, in quo non sit duplex occurrens, hoc est etiam in diem quem semiduplex occupat; quia, cum de eo infra hanc Octavam fieri non possit, iam patet, eiusmodi diem evadere liberam pro transferendis praefatis duplicibus ut sequenti N. 189 dicetur.

Haec pro universali Ecclesia: innuere autem sufficiat, in pluribus Ecclesiis particularibus ampliori hanc Octavam privilegio frui. Ex. gr. alicubi est privilegiata ad instar Octavae Epiphaniae; et tunc, sicut infra illam, ita et infra Octavam Corporis Christi fieri tantum potest de duplicibus primae classis occurrentibus: quae tamen etiam in die octava admittuntur iuxta Decretum *Venetiarum* d. d. 25 sept. 1852 ad 9.

... *cum commemoratione Octavae.* Peculiare hoc privilegium est, quo Octava Corporis Christi decoratur, sicuti aliae, de quibus superius dictum est, ut de ea numquam omittatur commemoratio, etiamsi infra illam duplex I, vel II classis celebretur. Licet enim huiusmodi festa commemorationes Octavarum excludant; haec tamen commemoratio semper addenda, seu in primis et secundis Vesperis, seu in Laudibus, intuitu excellentiae Augustissimi Mysterii quod recolitur in dicta Octava.

(189) *De semiduplicibus vero, cum nòn transferantur, infra eam fit commemoratio.* Semiduplicia quae occurrunt infra hanc Octavam, ad instar simplicium eo anno rediguntur, ut de iis proinde facienda sit trina commemoratio ut supra. Quae nihilominus commemoratio omittenda erit cum infra hanc Octavam duplex primae classis recolitur.

Hoc dicendum est, quia si in die infra Octavam Corporis Christi occurrat aliquod festum semiduplex, quod commemorari debeat, et non amplius transferri, ut in antiquis Rubricis, dies illa licet non *per se libera,*

libera *per accidens* evadit, ut in ea transferri possit duplex I vel II classis.

Primo obtutu videtur in tali die *per accidens* libera id fieri neque debere, neque posse.

Etenim secundum Rubricas earumque commentatores, officium sua die impeditum transfertur *in primam diem liberam,* nempe vacuam ab officio novem lectionum. Atqui in casu nostro habemus semiduplex fixum, quod est novem lectionum; ergo libera illa dies nullatenus dici potest.

Hoc autem evidentius fit ex sequenti ratiocinio. Si semiduplex, in casu nostro, non occurreret infra Octavam Corporis Christi, procul dubio praepediret quominus tali die reponeretur officium quodcumque translatum, etiam primae classis; cur ergo idem semiduplex occurrens infra Octavam suum ius amittere debet? Si cedit diei infra Octavam Corporis Christi, hoc repetendum est e maiori dignitate dierum huius Octavae privilegiatae, non ex alia ratione, proindeque etiam in hoc casu suo iure non est privandum; ergo.

Sed contra. Illud impedimentum dicitur non amplius habere locum, quod ad nihilum redactum est; atqui semiduplex occurrens infra Octavam Corporis Christi, ante Rubricarum reformationem ad nihilum redigebatur per translationem, et hodie per solam commemorationem; ergo nullum amplius ponere impedimentum potest.

Probatur minor. Cum semiduplex occurrit infra Octavam Corporis Christi, Rubricae iubent, ut *redigatur ad instar simplicis;* atqui simplex pro nihilo computatur in subiecta materia translationis, ita ut nullum valeat impedimentum ponere, quominus in eo transferatur festum classicum; ergo semiduplex ad instar simplicis redactum, *ad nihilum* redactum reputandum est.

Obiicies. Cum in Rubricis dicitur officium aliquod duplex vel semiduplex *ad instar* aut *ad modum simplicis* redigi, proprie non intelligitur quod per omnia simplex evadat; in multis enim discrepant officium *simplex*, et officium *ad instar simplicis redactum*. Primum enim occurrens in duplici secundae classis commemoratur tantum ad Laudes et in Missis privatis, secundum commemoratur etiam in Vesperis et in Missa solemni: primum habet commemorationem in primis tantum, alterum vero etiam in secundis Vesperis. Item primum in concurrentia cum antecedenti duplici primae classis non commemoratur, secundum autem commemoratur; ergo, officium *ad instar simplicis* redactum vere *simplex* dici nequit, nec proinde ut omnino simplex considerandum est.

Resp. Officium *ad instar simplicis redactum* proprie *simplex* non evadit, habita ratione ad Rubricas de commemorationibus (*Tit. IX, n. 7*), concedo; habita autem ratione ad Rubricas de Translatione festorum *(Tit. X, n. 1 et 5)*, nego.

Etenim lex translationis nullum discrimen facit inter officium *simplex* proprie dictum, et officium *ad instar simplicis redactum;* utrumque enim vel commemoratur, vel *eo anno penitus omittitur*, ait SS. D. N. Leo Pp. XIII in suo Brevi *Nullo unquam*, et tenet nova Rubrica *de Translatione*. Cum autem in casu nostro non fiat quaestio nisi de translatione, evidenter sequitur, iuxta leges ipsius translationis, officium per se simplex et officium *ad instar simplicis redactum*, omnino aequiparari. Ergo si illud nullum impedimentum ponit in casu nostro, aeque istud pariter nullum impedimentum ponere posse tenendum est.

Praeterea, quando Rubricae officium aliquod transferri praecipiunt, hisce passim utuntur locutionibus:

transfertur in primam diem liberam seu *non impeditam;* neque distinguunt infra diem *per se* vel *per accidens* liberam; hinc, quacumque de causa dies aliqua evadat libera, eo ipso admittit celebrationem officii translati: ergo.

Confirmatur auctoritate. Audiatur Pater Aloisius A Carpo *(Bibliot. part. 3, n. 211, fol. 437)*, qui explicite docet: *Translata haec* (duplicia primae vel secundae classis) *licet reponere etiam in die infra eius* (Corporis Christi) *octavam, non perpetuo libera, sed libera per accidens, quia nempe occurrens in ea Officium inferioris ritus* (rectius dixisset *inferioris dignitatis*) *amovetur inde, ac post octavam transfertur: vel si locus desit. ad ritum simplicem redigitur.* Lector advertat Patrem A Carpo ante Rubricarum reformationem obiisse (1).

Idem probatur ex decreto S. R. C. (*d. d. 7 Maii 1853 in Grossetan. N. 5186*), in quo ad quaesitum I: *Quando infra Octavam Sanctissimi Corporis Christi reponendum est aliquod Officium translatum duplex primae vel secundae classis, potest ne hoc Officium apponi die, quae* per accidens *est libera, quia Officium occurrens ea in Octava privilegiata est transferendum post ipsam; vel de hoc ipso Officio duplici primae vel secundae classis agendum est die*

---

(1) Frustra aliorum in re liturgica doctorum auctoritatem quis quaereret in hac quaestione; casus enim noster impossibilis erat apud antiquos, et etiam apud recentiores hypotheticus, cum in Calendariis ad abundantiam dies habebantur liberi pro repositione semiduplicium impeditorum. A Carpo autem, auctor ex Franciscalibus (apud quos paucissimi sunt dies liberi in Calendario, adeo ut, plurima impedita officia semiduplicia, imo et duplicia, quotannis supersint, ideoque commemorarentur aut penitus omitterentur etiam ante Brevis *Nullo unquam* promulgationem) casum nostrum unus pertractavit; cuius auctoritatem ergo solummodo proferre possumus

ipsa perpetuo libera sequenti, et infra eamdem Octavam privilegiatam non occurrente? S. R. C. respondit. *Ad I: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam,* seu *in casu recte assignatum fuisse Officium* (classicum) *sexto calendas Iunii,* quo die in dioecesi Grossetana occurrit festum novem lectionum.

Sed dices: Decretum relatum, agit de officio novem lectionum, quod ex occurrentia Octavae Corporis Christi transferendum erat post ipsam; nihil ergo pro casu nostro, in quo semiduplex non amplius transfertur, sed sua die commemoratur.

Resp. Hodierna commemoratio semiduplicis impediti, in Rubricis reformatis aequivalet translationi eius ab antiquis Rubricis praescriptae: neque dici potest, commemorationem semiduplicis impediti aliquid maioris dignitatis illi addidisse (quinimo forsan aliquid detraxit); ergo decretum allatum in suo robore manet.

Iterum confirmatur exemplo Calendarii Urbis Romae. In Calendario Cleri Romani in Dominica prima non impedita post Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli agitur commemoratio Omnium SS. Romanae Ecclesiae Pontificum, ritu duplici; in qua Dominica quando occurrit festum *Semiduplex,* cum in occurrentia agendum esset *de ea,* cum commemoratione semiduplicis, talis dies libera evadit ad celebrandum festum Summorum Pontificum. Ergo officium ad instar simplicis redactum in praxi nullum impedimentum ponit, quominus ea die celebretur festum translatum.

Quod hic dicitur de die libera *per accidens,* quando infra Octavam Corporis Christi occurrit semiduplex simplificatum, intelligendum quoque est, in dioecesibus vel Congregationibus, quae hanc Octavam celebrant privilegiatam ad instar octavae Epiphaniae, de

die libera *per accidens*, cum occurrit officium duplex item simplificatum

Imo, uti de semiduplici, sic etiam de duplici in casu nulla fit commemoratio si festum translatum sit duplex I. classis.

Notandum quod infra hanc Octavam, uti dicetur sequenti Titulo IX n. 10, omittenda est lectio IX historica de semiduplici (aut etiam de duplici in locis privilegiatis) simplificato, quando agitur officium de infra Octavam.

(190) *De simplicibus infra quascumque Octavas occurrentibus, item fit tantum commemoratio.* Hac se exprimendi ratione praesens Rubrica significat, de simplici quocumque infra Octavas quaslibet occurrente numquam faciendum esse integrum officium; ritus enim de infra Octavam, cuiuscumque dignitatis ea fuerit, est semiduplex, qui proinde cuicumque occurrenti simplici praevalet. Id, non aliud, significat ly *tantum*, non vero, quod praeter commemorationem excludatur nona eiusdem simplicis lectio in officio, sicut ex alia Rubrica constat *de Commemorationibus* num. 10, quae suo loco exponetur. Hic ponit Rubrica legem tantum generalem, vi cuius quodcumque officium simplex, occurrens infra Octavas, commemorationem habet, cum ritus, seu semiduplex diei infra Octavam, seu duplex diei octavae, eam non valeat excludere. Antiquitus, animadvertit Meratus (*Ap. Gavant. Sect. III, cap. VIII, n. II*), diebus infra Octavas Sanctorum non solum nullum recitabatur officium *sed neque ulla de ipsis fiebat commemoratio.* At postea sex dierum intervallum eodem festi, cuius celebratur Octava, officio repletum est, *ut etiam Octavae Sanctorum octo diebus durarent.* Hinc praesens posita est Rubrica de simplicibus infra Octavas

quascumque, etiam proinde Sanctorum, occurrentibus, de quibus fieri non potest officium, commemorandis.

... *praeterquam in duobus diebus post Pascha et Pentecosten;* quippe qui eodem ritu solemniori duplici I classis recoluntur. Excipe casum, quo die sequenti feriam III utriusque festi praedicti, duplex aliquod vel semiduplex, ad instar simplicis redigendum esset; tunc enim in secundis Vesperis Feriae III fieret huiusce simplicis per accidens commemoratio, uti alibi exponendum erit.

... *ut dicetur in sequenti Rubrica de commemorationibus,* nempe Tit. IX, num. 5.

(191) *De Dominicis infra Octavas occurrentibus, fit officium ut dictum est supra in Rubrica de Dominicis.* Totum nempe officium dominicale cum antiphonis et psalmis psalterii, ut in Dominicis occurrentibus infra Octavas communes, vel officium cum antiphonis et psalmis de Octava; prout enim alibi expositum est, Nativitas, Epiphania, Ascensio et Corpus Domini admittunt officium de infra eorum Octavas ex allegatis rationibus.

(192) *Si duae Octavae simul occurrant (ut Octava sancti Ioannis Baptistae et Octava Corporis Christi, vel Octava Patroni vel Titularis Ecclesiae cum alia Octava)...*

Octavae S. Ioannis Baptistae et SSmi Corporis Christi, duae tantum sunt quae occurrere inter se possunt in Calendario universali; ideo de eorum occursu praesens Rubrica loquitur. Sed et Octavam Titularis Ecclesiae explicite haec eadem Rubrica nominat, aliasque implicite Octavas particulares, cum quibus et occurrere illae possunt.

(193)... *quando non erunt celebranda festa novem lectionum vel dies Dominica, fiet officium de digniori cum commemoratione alterius.* Aliquando infra Octavas officia

novem lectionum, seu duplicia et semiduplicia, non admittuntur, uti alibi dictum est: aliquando vero licet admittantur, dantur tamen in calendario sedes liberae, in quibus nullum inscribitur festum duplex aut semiduplex. His in casibus, nisi Dominica dies occurrat, de die infra Octavam faciendum est officium. Dies Dominica excipitur, cum sit dies Domini: quae ceterum, si praevalet semiduplici Sanctorum, a fortiori praevalere edicitur diei infra Octavam, cui ipsum semiduplex Sanctorum praevalet.

Cum autem haec Rubrica dicat: *fiet de digniori* Octava, *cum commemoratione alterius*, locus est aliquid hic disserendi de comparativa dignitate Octavarum, ut lex eruatur pro praecedentia inter easdem.

Ante omnia apud melioris notae celebrioresque Liturgicos haec extra controversiam et uti canones habentur, circa Octavas:

1. Octava nihil aliud est nisi prorogatio festi, et dies omnes Octavae pro una festivitate computantur (Rodulphus Tungrensis *propos. 19 et 23*).

2. Octava sequitur festum, sicut accessorium sequitur naturam principalis (Guyetus *l. 4, c. 6, q. 5, fol. 36*).

3. Ceteris paribus dignior est ea Octava, quam celebrat Ecclesia universalis (Gavantus *sect. 3, c. 8. n. 6*).

4. In paritate ritus festi, praefertur Octava festi dignioris (S. R. C. 29 *Martii 1760 n. 4286*).

Quibus positis cognita praecedentia festorum, habebimus quoque praecedentiam octavarum simul occurrentium. Praestantia vero festi primo desumitur a ritu et classe; hinc Octava festi duplicis primae classis nobilior est Octava, quae pertinet ad festum duplex secundae classis. Secundo a qualitate primarii prae secundario festo; hinc Octava festi primarii praestantior est, ritu et classe paribus, Octava festi secun-

darii. Tertio desumitur ex dignitate personae, ad quam festum pertinet; ut proinde, ritu, classe et primarii vel secundarii qualitate paribus, dignior sit Octava festi Domini, quam Octava festi Deiparae: dignior Octava festi Deiparae, quam Octava festi alicuius ex Sanctis etc. quapropter opportune hic revocanda sunt quae supra disseruimus § XX huius Expositionis circa distinctionem festorum in Classes et ordines. Igitur sicut festa duplicia I. classis quae ab universali Ecclesia celebrantur, primique ordinis dicuntur, caeteris omnibus praestant, ita et eorum Octavae. Occurrente ergo ex. gr. die infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli cum die infra Octavam B. Mariae Titularis propriae Ecclesiae, agendum erit de Octava Apostolorum cum commemoratione Octavae B. Mariae, licet haec dignitate personali sit praestantior.

Similiter, cum festa 1. classis II ordinis, nempe Dedicatio propriae Ecclesiae, Patronus loci, et Titulus Ecclesiae, praeferantur caeteris duplicibus I. classis, III ordinis, licet haec nobiliora sint, dignitate personali inspecta, ita et Octavae eorumdem pari ratione praeferendae erunt. Idem dicatur de duplicibus II classis, Octavam habentibus; Octava enim festi II classis primarii, praefertur Octavae festi II classis secundarii, ob eamdem rationem, licet festum secundarium sit dignius dignitate personali.

Quum vero agitur de Octavis festorum quae pertinent ad eumdem ritum, classem et ordinem, et ambo sunt primaria, vel Secundaria, tunc sicut festum maioris dignitatis personalis in casu praefertur, ita praeferenda erit eius Octava.

Hinc ex. gr. Si Octavae Dedicationis propriae Ecclesiae et loci Patroni, simul occurrant, cum utrumque festum sit I. classis, et II ordinis, et primarium,

ratio praelationis repetenda erit ex maiori dignitate festi. Quoniam vero Dedicatio est festum Domini, uti pluries declaravit S. R. C., dignius est quam festum Patroni, ideoque Octava Patroni in casu cedit Octavae Dedicationis, prout docet Gavantus (*hoc loco n. 7.*)

Quod si Octavae occurrentes pertineant ad festa in omnibus paria, scilicet eiusdem ritus, classis et ordinis, tunc agendum erit de Octava illa de qua actum est festum anterius, nisi alterutra sit in calendario Universali, ut dicit Gavantus (*loc. cit.*). Hinc occurrentibus ex. gr. Octavis S. Paschalis Baylon 17 Maii, et S. Bernardini Senensis 20 Maii, quorum festa ambo sint II classis, fiet de Octava primi cum commemoratione secundi. Occurrentibus vero Octavis S. Caietani 7 Augusti, et S. Laurentii, diebus 11, 13 et 14 agendum erit de Octava secundi quia est Octava universalis Ecclesiae, cum commemoratione primi.

Eapropter huiusmodi normas prae oculis habeant calendariorum redactores in praeferenda altera Octava alteri, quando simul inter se occurrant; et meminerint dignitatem festi ante omnia esse perpendendam, quae ex ritu, classe, qualitate primarii aut secundarii atque ordine constituitur, et deinde, si ea sint paria, dignitatem personalem. Hoc omnino, impraesenti maxime, certum est, sive Rubricis, sive recentioribus Decretis inspectis.

Nos quidem non latet, recentiores auctores A Carpo (*Bibliot. p. 2, c. 15, n. 191, fol. 288*) et Patroni (*Lectio 11, n. 100, fol. 148*) opinionem sequentes Cavalerii (*t. 1, c. 1, decr. 22, n. 15, fol. 37*), quem nobis refragantem confitemur, dignitatem Octavae non repetere a dignitate festi *extrinseca*, sed contra a dignitate *intrinseca* . Audiatur Cavalerius (*loco citato*): *Videmus festum Omnium Sanctorum quaecumque alia festa*

excludere, cum tamen eiusdem Octava nullo huiusmodi privilegio potiatur, sed communibus Rubricarum legibus instar aliarum Octavarum indistincte regatur. Audiatur A Carpo (*loco citato*): *Si festa eumdem ritum habent, praefertur Octava Festi dignioris dignitate insigni* (quod verbum aequivalet, in casu nostro, *intrinseca*), *tametsi occursus sit cum Octavis Sanctorum, quórum Festa in occursu nulli cedunt, uti sunt Festa Assumptionis B. M., Nativitatis S. Ioannis Baptistae, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac Omnium Sanctorum, quia* (en in cauda venenum) *etsi istorum festa sint privilegiata, non tamen privilegiatae sunt eorum Octavae.*

Iuxta ergo citatos auctores, quamquam festa Sanctorum, digniora dignitate *extrinseca* praeferantur festis Domini, dignioribus quidem dignitate *intrinseca*, eadem praelatione non gaudent eorum Octavae. Ideoque, iuxta ipsos, quamquam e. g. Festum Omnium Sanctorum praeferendum sit, ex Rubrica, Dedicationi Ecclesiae, Octava tamen Dedicationis dignior est Octava Omnium Sanctorum.

Sed hoc neque concordat cum canonibus in principio prolatis, quod scilicet Octava nihil aliud est nisi prorogatio festi, et dies omnes Octavae pro una festivitate computantur, et quod Octava sequitur festum, sicut accessorium sequitur naturam principalis.

Neque etiam concordat cum decretis S. R. C. 5 Martii 1691 N. 3354, et 21 Augusti 1688 N. 3163 quibus declaratur, Octavas Omnium Sanctorum et S. Ioannis Baptistae, digniores esse quam Octavam Dedicationis Ecclesiae.

Sententia nostra confirmatur ex Rubricis peculiaribus *Breviarii Romani-Seraphici* (Editio Mechliniae 1875), ubi N. 73 dicitur; *Si festorum duorùm dies infra octavam, vel dies ipse octavae, simul occurrant; est cele-*

brandum officium de infra octavam, seu de die octava, illius festi, quod secundum communes occurrentiae leges alteri festo praefertur: ideoque non intelligimus cur Pater A Carpo, qui ex Franciscalibus erat, oppositum doceat (*loco citato*).

(*Continuabitur*)

Doct. PETRUS PIACENZA.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XI.

DE MINISTRO IN MISSA PRIVATA.

Thelesphorus presbyter, legum omnium liturgicarum observantissimus, frequenter ad Missam in quadam rurali cappella publica faciendam invitatus, acceptat. Accidit autem, ut quandoque eadem in cappella paratos inveniat aliquos fideles audituros Missam, neminem tamen ex illis, qui sibi respondere saltem sciat, ut omnia cogatur facere a seipso. His autem in casibus defectus ministri, semel quidem *Confiteor* recitat, sed non omittit *et vobis fratres, et vos fratres*, ad populum verba referens. In sequenti autem oratione, nunc dicit *misereatur nostri etc.* nunc *misereatur vestri*, eidem rationi praefatae innixus. Novies dicit *Kyrie* et *Christe eleison:* ad *Orate fratres, de manibus tuis* commutat in *de manibus meis:* ad reliqua vero quod attinet,

semper sibi ipsemet respondet. At anceps nimis aliquando haeret ob defectum non solum ministri respondentis, sed et cuiusvis fidelis audientis Missam, cum videatur sibi quasi Missam solitariam facere. Haud semel autem evenit, ut nunc cum populo, nunc sine populo Missam ageret, uno praesente tantum puero ad responsiones legendas apto, qui tamen acatholicus erat, quo et usus fuit necessitatis ratione compulsus. Haec autem seu festis, seu etiam profestis diebus accidebant. Animi itaque Thelesphorus fluctans, rem aperit cuidam Eugenio Rituum sacrorum peritissimo, qui secum quaerit:

1. *Utrum, seu latinae seu graecae Ecclesiae antiqua ac praesenti disciplina inspecta, semper aliquis adesse debeat Minister in Missa?*

2. *Num dentur, et quales, causae quae ab inserviente aut respondente ministro dispensare valeant?*

3. *Quid de ministro acatholico, et de reliquis in casu propositis dicendum?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Georgii Mundelein ex Alumnis Pontif. Collegii Urbani de Propaganda Fide habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 12 Iulii 1893: acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Franciscum Riggi Apostolicarum Caeremoniarum Magistris Pro-praefectum.

I. Prima petitio inquirit, utrum, seu latinae seu graecae Ecclesiae antiqua ac praesenti disciplina inspecta, semper aliquis adesse debeat Minister in Missa.

In primis Ecclesiae saeculis, quando haud tanta sacerdotum copia praesto erat, et quando rarius Presbyteris sacrosanctum altare datum erat ascendere,

Diaconus in ministerio altaris Celebranti inserviebat, dum fidelium circumstans multitudo precibus respondebat. Testimonia pene innumera huiusmodi praxis facile reperiri queunt in qualibet antiquiori Liturgia: ita verbi gratia in Liturgia S. Iacobi legitur: " Postquam Sacerdos ingressus est ad altare dicit: Pax vobis — Populus: Et cum spiritu tuo „. Imo ex Liturgia S. Marci docemur, tunc temporis populum respondisse etiam illis orationibus, quibus impraesentiarum Ministrorum tantum est respondere. " Sacerdos: Pax omnibus — Populus: Et cum spiritu tuo — Diaconus: Orate — Populus: Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison — Sacerdos sic orat: Gratias agimus tibi — Populus: Amen „. Idem prorsus enarratur in Liturgia S. Basilii, nec non in Apostolicis Constitutionibus.

Huiusmodi ergo Apostolorum atque Apostolicorum virorum praxis, ad Ministrum Missae quod attinet. Sed persecutionum tempore iam adventante, coeperunt christifideles multitudines rumoresque fugere civitatum, et vigilanti studio ethnicorum oculis fidem suam occultare. Hinc factum est, ut persaepe coacti fuerint Sacerdotes noctu et clanculum sacra facere nunc in hypogaeis, nunc in carceribus, et aliquando etiam domi, maxime si nobilium ac sanctorum. Et hoc modo et tempore usus invalescere incoepit Missae privatae; usus ab Apostolis ipsis derivatus, atque probatus. Testimonia haud pauca hanc praxim affirmantia adduci possent; sed brevitatis studio quaedam tantum afferemus. Eusebius imprimis, qui in Vita Constantini (*Lib. IV. c. 17*) enarrat, hunc principem, statim ac evangelicae lucis fulgore correptus fuit, in suis aedibus oratorium extruxisse sacrificii litandi gratia. In Vita similiter S. Marcelli Papae enarratur, nonnumquam in domo Lucinae, ex romanis matronis piissimae

ipsum celebrasse. Et in oratione (*19*) S. Gregorii Nazianzeni legitur: " Gregorius in laudem Patris in cubiculo suo Sacrum celebravit „. Eodem prorsus loquendi modo utuntur SS. Augustinus et Chrysostomus. Sed eadem praeclari primorum virorum testimonia, quae superius nominavimus, uno ore pariter praedicant, numquam etiam tunc licitum fuisse sacrum absque Ministro facere; sed Diaconos primum deinde vero etiam clericos celebranti inservire in ministerio altaris debere. Anacletus S. Petri successor fere immediatus hanc Ecclesiae disciplinam in sua prima epistola nominat: " Ipsi qui Domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut Domino perfecte in sacratis Deo locis sacrificare probentur „, S. Soter postea mandat ut duo saltem Sacerdoti sacrum facienti adsisterent eique responderent: " Hoc quoque statutum est ut nullus presbyterorum, missarum solemnia celebrare praesumat, nisi duobus praesentibus sibique respondentibus, ipse tertius habeatur; quia cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, et, Orate pro me, aptissime convenit ut ipsius respondeatur salutationi (*Cap. 61 distinct. 1*) „.

Hinc ergo manifeste apparet persecutionum etiam in aestu Ecclesiam dilaniantium, sedulam iugiter adhibitam fuisse diligentiam, ne erga augustissimum hoc sacrificium debita reverentia atque honor etiam in minimo laederetur.

Nihilominus processu temporis, praesertim in monasteriis per Galliam diffusis, celebrari coeptum est absque ullo ministro. Stephanus Eduensis affirmat in suo libro *De Sacramento Altaris* (cap. XIII): " Sciendum est quod si unus tantum sit praesens, nulli sint praesentes, ut in missis solitariis, non ideo mutantur, quae pluraliter solent fieri orationes. Primo enim

missae non solebant celebrari sine collecta fidelium multitudine. Postea mos inolevit, solitarios sicut monachos celebrare solitarias, quod eis concessum est ex indulgentia. Inde etiam saeculares consueverunt cantare privatas. Tunc fierent salutationes ad omnes fideles qui assistunt quasi praesentes fide et charitate sacramentis participantes „. Ex quibus verbis eruitur monachos privilegium iam obtinuisse solitariae celebrandi, privilegium quod in consuetudinem traducere conati sunt saeculares. Sed en Moguntinum Concilium quod invalescentem hanc praxim condemnat: " Nullus presbyter ut nobis videtur solus missam cantare valet recte: quommodo enim dicet: Dominus vobiscum, vel sursum corda admonebit, et alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit? „ Eandem praxim compescuit etiam in sua dioecesi Theodulphus Aurelianensis, uti legitur in suo Capitulari (*Cap. VIII*).

Insuper in Concilio Parisiensi, sub Gregorio II celebrato, hisce gravissimis verbis huiusmodi praxis seu potius abusus reprehenditur: " Irrepsit in quibusdam locis, partim incuria partim avaritia reprehensibilis usus, et congrua emendatione dignus, eo quod nonnulli presbyterorum sine ministris missarum solemnia frequentent: quod nec verba Domini Salvatoris, quibus mysteria Corporis et Sanguinis sui discipulis celebranda tradidit, nec Pauli Apostoli documenta declarant; nec etiam in ipsis Actis Apostolorum sic enucleatim legantur ita fieri debere, ullo modo invenitur. Unde conveniendus immo interrogandus nobis videtur huiusmodi Corporis et Sanguinis Domini solitarius consecrator: quibus dicit, Dominus vobiscum, et a quo illi respondetur, Et cum spiritu tuo: quae consuetudo quia apostolicae et ecclesiasticae auctoritati refragatur, et

tanto mysterio quamdam dehonorationem irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est ut deinceps huiusmodi usus inhibeatur „. Haec vero prohibens Ecclesiae lex impraesenti viget adhuc, sicuti uno ore liturgici omnes ac moralistae affirmant; et sicuti manifeste apparet ex Missali Romano, ibidem enim praescribitur: " Sacerdos omnibus paratis . . . . ministro cum missali et aliis ad celebrandum necessariis, praecedente, superpelliceo induto (*Ritus cel. Miss. Tit. II*)„... Similiter (*De Defect. in ipso minist. occurr. Tit. X*) in alio loco legitur: " Possunt etiam defectus occurrere in ministerio, si non adsit clericus deserviens in missa, vel adsit qui deservire non debet, uti mulier „.

Hisce ergo breviter delibatis de antiquitate consuetudinis adhibendi Ministrum in Missa in utraque Ecclesia latina et graeca; dicamus aliquid oportet de qualitate huiusce ministri. Uti paulo ante visum est, exoptat Missalis Rubrica, ut quantum fieri potest, clericali militiae sit aggregatus. Quando vero incoeperit haec consuetudo adhibendi clericum in ministerio Missae, incertum est; vidimus enim in primis Ecclesiae saeculis universum populum vices Ministri gerere.

Prima mentio de hac disciplina invenitur, ni fallimur, in citato Capitulari Theodulphi Aurelianensis Episcopi, qui saeculo nono ineunte vixit: " Omnis presbyter clericum habeat aut secularem, qui epistolam vel lectionem legat et ad Missam respondeat. Nullus solus Missam cantet „. In posterum vero Moguntinum Concilium (*1310*) expresse mandat: " Ne sacerdotes in rure *sine ministro litterato* celebrent aliquatenus divina „. Hinc patet voluntatem esse Ecclesiae, ut nonnisi clerici altaris in ministerio in Missa adhibeantur, saeculares vero in casu tantum necessitatis, ob pe-

nuriam nempe clericorum. Nusquam tamen legimus huiusmodi ministerium permissum fuisse mulieribus. Primum quidem ob illud Pauli in Epistola I ad Corinthios: " Mulieres in Ecclesia taceant, non permittitur eis loqui. Turpe enim est mulieri loqui in Ecclesia (*Cap. XIV v. 34*)." Secundo autem ut quaecumque esto levissima suspicio circa famam et honestatem Sacerdotum arceretur, sicuti abunde testantur non pauca Pontificum Conciliorumque decreta. Iam inde a saeculo V Gelasius I in quadam epistola episcopis Laconiae data, vehementer conqueritur de quibusdam illius regionis Presbyteris, qui etiam mulieres in servitio altaris in Missa assumebant: " Impatienter audivimus tantum divinarum rerum subiisse despectum ut foeminae sacris altaribus ministrare ferantur, et cuncta quae nonnisi virorum famulatu deputata sunt sexui cui non competit exhibentur (*Cap. 26*)". Idem prorsus reperitur in Iure Canonico: " Prohibendum quoque est ut nulla foemina ad altare praesumat accedere aut presbytero ministrare aut intèr cancellos stare aut sedere (*Decret. III Lib. II.*)". Nihilominus maxime impraesentiarum antiqua haec severior disciplina aliquantulum immutata est, praesertim ob praxim fere ubique inductam. Ita ut quoties casus aliquis necessitatis detur, seu cum commode clerici aut mares haberi nequeunt, optime possunt mulieres, maxime si sanctimoniales, Sacerdoti celebranti respondere, dummodo tamen propius eidem non accedant, neque cetera de ministerio adimpleant; in hoc enim casu nihil aliud faciunt quam quod in antiqua disciplina universi agebant fideles. Hinc S. R. Congregatio in decreto (*Veronen. 27 Augusti 1836*) quaesito: " Potestne Sacerdos omnibus sibi prius commode dispositis, quae ad sacrificium occurrere possunt, uti mi-

nisterio mulieris tantum pro responsis? „; respondit: “ *Affirmative urgente necessitate* „.

In aprico ergo posito semper in Ecclesia Dei adhibitum fuisse aliquem ministrum in Missa, transeamus ad alterum quaesitum, videamusque num dentur, et quaenam sint causae, quae ab inserviente dispensare valeant.

II. Prima quaesiti pars pro obiecto habet existentiam causarum ab inserviente in celebratione Missae excusantium.

De praecepto adhibendi ministrum in Missa ambigendum non est, cum unanimes liturgici et moralistae hanc legem affirment; atque ratio ipsa dictet, quasdam actiones in Missa necessario ut ita dicam ministrum aliquem seu inservientem requirere. Imo cum S. Pius V in Bulla 29 Iulii 1570 mandet, ut Missa iuxta ritum in Missali descriptum celebretur, eodem tempore praecipit Missae ministrum cum in eodem Missali de tali ministro loquatur.

Nihilominus revera quaedam causae dantur, quae ab obligatione huiusce legis excusant. Et imprimis cum omnibus compertum sit in conflctu legum illam susuperioris ordinis alteri inferioris absque tergiversatione ulla cedere debere; ideoque quoties praeceptum audiendi sacrum in Dominicis ac festis de praecepto, dimicat cum altero praecepto de ministro inserviente in Missa, illud absque dubio praevalere debet. Quamquam enim et ipsum Ecclesiae sit praeceptum, medius tamen est aptissimus et ab eadem Ecclesia ordinatus ad observantiam divini praecepti de sanctificatione festorum, estque eapropter altioris ordinis. Similiter sine ministro celebrari posset si urgeret necessitas ministrandi Viaticum moribundo. Audiatur doctissimus Benedictus XIV: Potest tamen Sacerdos etiam sine mi-

nistro celebrare, sibique ipso respondere, si viaticum opus sit infirmo ministrare „. Alias permultas causas alii assignant relaxandi huiusmodi legem, uti verbi gratia: si Sacerdos ratione beneficii vel alius huiusmodi tituli ad quotidianam Missae celebrationem obstringeretur: si necessitas urgeret celebrandi stata die: item tempore pestilentiae; vel etiam quando minister tempore sacrificii incepti Sacerdotem solum ad altare derelinquat. Ultima demum assignatur causa, indultum Romani Pontificis. Animadvertendum tamen est in concessione istiusmodi indulti verba " facultas (datur) celebrandi sine ministro „ subsequi haec alia: " si aliter celebrari non possit „.

Ex quibus datur intelligi, etiam in casu dispensationis aliquam causam, etsi minus gravem, requiri pro celebratione Missae solitariae, quae autem causa haud quidem esset sola inservientis penuria. Cum S. Alphonso insuper ac Card. De Lugo observandum est, quod si detur casus eligendi inter Ministrum incapacem respondendi et foeminam, ille potiusquam ista assumendus est: et Sacerdos ipse defectui ministri suppleat sibi ipsi respondendo. Attamen bene adhibere potest Sacerdos, etiam sine gravi causa, ministrum in Missa ignarum respondendi, et foeminam a longe respondentem.

III. Descendamus tandem ad ultimum quaesitum in quo expostulatur, num ministro acatholico aliquando uti liceat. Quamquam primo intuitu affirmativum responsum dari posse videretur ob utilitatem, quae ex hoc ministerio etiam ab acatholico exhibito, Sacerdoti vel populo promanare posset; in quo casu, uti ex Iure manifestum fit, licet fidelibus communicare in divinis cum excommunicato tolerato; negativa tamen sententia ex validioribus momentis tenenda est.

Et imprimis utilitas haec aeque obtineri posset ac si nullus ministraret; ideoque melius esset absque ministro celebrare, quam cum acatholico in divinis communicare; eo vel magis quia praeceptum non communicandi cum haereticis in divinis aliquo modo ius tangit divinum. Insuper quo modo talis minister piam fidelium plebem repraesentaret? Quis ex catholicis sustineret sui ipsius vices fungi ab haeretico? Eapropter inter duo mala primum est eligendum, scilicet Missae celebratio absque nullius ministerio quam cum acatholici servitio.

Tandem post ea quae diximus, difficile non erit Thelesphori nostri agendi rationem iudicare. Et imprimis cum in praedicta rurali cappella Missam faciat absque ministro in diebus profestis aeque ac in festis, male agit, praesertim in ferialibus diebus, si absque una ex supra memoratis causis id agat. Diximus maxime in ferialibus, in festivis enim diebus si populus commode alibi adire non poterat, in casu quo nullus eorum idoneus tali servitio fuisset, bene absque ullo ministro sacrum facere poterat.

Imo Diana et Sylvius cum aliis non paucis excusant a culpa etiam sacerdotem, qui, urgente praecepto audiendi sacrum, atque eidem deficiente facultate alibi adeundi, solus celebraret. En sententiam cl. Sylvii quomodo a Benedicto XIV refertur: " Sylvius etiam censet, Sacerdotem, cui in die festo non sit copia Missae audiendae, meliori consilio Missam praetermittere quam sine ministro celebrare, *quamquam negat illum peccare* si sine ministro celebrat (*Lib. III c. XIII n. 3.*) „ Ad orationes demum quod attinet, cum solitarie celebratur, omnes per Sacerdotem ipsum dicendae sunt. Haud tamen bis dicendum est *Confiteor* sicuti S. R. Congregatio declaravit (*Erien. 4 Sept.*

1875 ad 1.) Nihilominus in eodem *Confiteor* omittenda profecto non sunt verba " *vobis fratres* „ et " *vos fratres* „ cum optime referri valeant populo adstanti, sive corporaliter sive etiam spiritaliter. Insuper sicuti eosdem fideles ad orandum post *Offertorium* celebrans invitat, eosque pluries salutat, ita pariter illos hortatur ut apud divinam maiestatem pro peccatorum ipsius remissione precatores existant.

Neque opponendum est, in Officio Divino iuxta Breviarii Rubricas, huiusmodi verba omittenda; namque in spiritu christiana plebs Officii recitationi non assistit, cum e contra in Missae celebratione nedum adstat, verum una cum Sacerdote sacrificium offert. Post *Confiteor* vero semel tantum dicitur *Misereatur*, sed verbum *vestri* mutatur in *nostri*: pari modo post *Orate fratres* in oratione *Suscipiat* loco verborum *de manibus tuis* ponitur *de manibus meis*, sicuti docent Missalis Rubricae: " Minister seu circumstantes respondent. Alioquin ipsemet sacerdos respondit sic: Suscipiat Dominus sacrificium de manibus meis etc. (*Rit. cel. Miss. Tit. VII n. 7.*) „ Hinc Thelesphorus noster bene se gessit in immutationibus faciendis in orationibus ob ministri defectum; praeterquamquod in *Misereatur*, in quo nunc *vestri* nunc vero *nostri* ponit.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 10, pag. 383.*)

CAPUT III.

DE EXEQUIIS.

§. 1.

DE DUCENDIS FUNERIBUS.

1. Dico. Pia funerum solemniter ducendorum consuetudo semper in Ecclesia viguit. Prob. 1. ex innumeris exemplis a prima Ecclesiae antiquitate nobis traditis, uti apud Surium legitur de S. Severiano Mart. (*Tom. 5. d. 9 Sept.*), de Ss. Felicitate suisque liberis, ut in vetusto Codice Lateranensi, de Pudente Senatore, cuius funeri S. Pius Papa I interfuit, uti ex actis constat Sanctorum Praxedis et Pudentianae, et ex aliis plurimis. 2. Ex traditione, de qua fere Patres omnes antiquiores, peculiariter Gregorius magnus, Augustinus, Hieronymus, fidem faciunt. 3. Ex fide ac pietate Ecclesiae, quae non potuit quin filios suos, quos Christo pepererat, in animis corporibusque per Sacramenta sacraverat, etiam defunctos honore haberet, et ad sepulchrum usque piissime duceret. Hinc hymnorum, psalmorum, aliarumque precum canendarum, floresque super cadavera spargendi, ac cereos accensos deferendi, consuetudo perpetua, quae ad nos usque pervenit.

Quaeres 1. Quid impraesenti lex statuat Ritualis Romani circa defunctorum cadavera?

Resp. Praeter ea, quae ipso in loco mortis super defuncti corpus adimplenda sunt, lex Ritualis nonnulla statuit, quae funus ducendum, seu e domo ad Ecclesiam, seu ex Ecclesia ad sepulchrum, nonnulla autem quae officium et Missam respiciunt: qui omnes pietatis actus sub nomine exequiarum veniunt.

Quaeres 2. Quaenam in ducendo funere peculiariter observanda sint?

Resp. 1. Antequam cadaver ad Ecclesiam deferatur, Clerus et Confraternitates si fuerint, in Ecclesiam convenire debent, ut ex ea ad domum defuncti debito ordine procedant. 2. Aspersiones super cadavere agendae in domo, uti et quaedam speciales orationes in eadem legendae, atque in itinere cantandae, uti et in Ecclesia, praescribuntur. 3. Cerei accensi in ducendo cadavere ad Ecclesiam deferendi, debitus ordo ac gravitas servanda.

Quaeres 3. Quid super cadavere agendum in domo defuncti, antequam efferatur?

Resp. Plura, quae parentes potius, quam Parochum spectant, agenda: uti curare ut signum cum campana in Ecclesia detur, quo ad orandum pro defuncto excitentur fideles: cadaver lavare, si opus sit, congruis induere vestibus, decenter componere, crucem in eius manibus aptare: candelam accendere, et corpus frequenter aqua benedicta aspergere, donec, transacto ex lege requisito tempore, efferatur.

Quaeres 4. Quid super praedicto campanae signo peculiariter animadvertendum?

Resp. 1. Lex huiusmodi non obligat, nisi ubi eiusmodi consuetudo vigeat, quod et de alio signo intelligendum, de quo pro agonizantibus Rituale, ac pro

convocando ad delationem funeris. 2. Duo prima signa nullo tempore prohibita dicenda sunt, quod seu ex fine patet, seu ex nulla, quam habet, oppositione solemnitati functionum, aut earumdem perturbatione. Tertia autem vice pulsare campanas in maximis solemnitatibus vetamur ex ratione opposita.

Quaeres 5. Quid animadvertendum circa vestes, quibus induendus defunctus?

Resp. 1. Saeculares viri oblongo de more induuntur habitu. 2. Confratres Sodalitiorum optime relativo Sodalitatis habitu induuntur. 3. Clerici talari veste, ac desuper sacro vestitu sacerdotali vel clericali aut Ordinis induuntur (1). 4. Episcopus titularis in Urbe nonnisi praelatitiis vestibus: extra, Pontificaliter induitur, uti Dioecesanus, baculo excepto (*Decr. Gen. 29 Apr. 1894*).

---

(1) Siluimus de colore sacrarum ministrorum vestium, et studio: rem declaramus. Rituale Romanum violaceum colorem exigit (*Tit. VI, cap. 1 ad 2*): usus fert, ut dictarum vestium color sit niger. Martinuccius explicite docet: « Sacerdotum cadavera induentur... paramentis coloris violacei (*Lib. IV, cap. n. 4*) ». Baruffaldus animadvertit: « Planeta praescribitur coloris violacei, utpote quia moerorem et poenitentiam significat; sed communis est usus adhibendi planetas nigras, non ob aliud, credo, nisi quia facilius reperiuntur in Ecclesiarum sacristiis etc., etc. (*Tit. 34, n. 149*) » Episcopalia, in casu, indumenta coloris violacei Caeremoniale Episc. pro Episcopis praescribit (*Lib. II, cap. 38, n. 10*). Ex his, ni fallimur, concludendum, colorem violaceum praescribi, quod antiquitus violaceus color et niger, colorum distinctione nondum satis determinata, saepius commutabantur. At, vi Rubricarum, praefata distinctione iam determinata et invecta in Ecclesiam, anterior quidem Rubrica remansit super colore violaceo, quam nihilominus haud ita obligare dicendum est, ut pro violaceo niger adhiberi color nequeat. Itaque in paramentis seu Episcopi, seu Sacerdotis defuncti optime adhibetur, in casu, violaceus color; sed niger temporis diunctis maxime respondens, dici non poterit prohibitus.

Quaeres 6. Quare cereus accendatur, et frequenter aspergatur cadaver?

Resp. Cereus accenditur, ut filius non tenebrarum sed lucis ostendatur defunctus, cuius corpus resurrectionem expectat. Cadaver aspergitur, ait Baruffaldus, ne daemones impediant orationes fidelium, neque eidem cadaveri illudant (*Tit. 33, 44*).

(*Continuabitur*) Franciscus Stella P. C. M.

IUS LITURGICUM

EX RECENTIORIBUS DECRETIS EXCERPTUM

In nono *Ephemeridum* numero vertentis anni septem vulgata sunt authentica S. R. Congñis Decreta: quae vel antiquiora declarant, vel per novam dispositionem mutant, vel Rubricas etiam exponunt, nisi et immutent. Huiusmodi Decretorum, uti aliorum quorumdam, quae iam retulimus, dispositiones, non tam commentari, quam summatim referre perutile hic iudicamus, ab ipsis quaesitis S. R. Congñi propositis abstrahentes: ut omnibus sit compertum quid post illa liceat, quid non, quidve in relativis rerum adiunctis sit agendum. Dispositionibus relatis, nonnullas, si opus fuerit, animadversiones addemus.

1. Quando Missa aliqua votiva solemnis a S. R. Congñe conceditur, cum eaque indulgentur etiam privatae, in honorem alicuius Sancti, Rubricae quoad commemorationes, uti par est, servandae

sunt; sed utrum de officio diei facienda sit commemoratio, certo non constat. Plura hoc super negotio Decreta antiqua S. R. C. interim fortasse expendens, definire adhuc quaestionem noluit. Res ergo sub iudice manet, quoadusque a Sacro Tribunali non declaretur (*Ex Decr. Castri Maris 20 Iul. 1894 ad II*).

2. Si immediate post Missam aliqua agatur functio cum SS. Sacramento in pyxide exposito, licet Celebranti eamdem functionem cum indumentis Missae propriis persolvere, eaque expleta, solo addito humerali velo super planetam, populo cum pyxide benedicere (*Ex eod. Decr. ad III*).

3. Sacerdotes, Episcoporum vice ex privilegio fungentes dum consecrantem Episcopum adiuvant in aliorum Episcoporum Ordinatione, a Mitra adhibenda interdicuntur (*Ex Decr. Carthaginen. in Indiis, 20 Iul. 1894*).

4. Caeremoniale Episcoporum obligat omnes Ecclesias, sive Collegiales, sive non: illas principaliter, quod dictus codex in eis observari apprime potest: alias vero, minus principaliter, quod plura in his observari nequeant. Quorumdam ergo opinio, quae sustinebat, solas cathedrales et collegiatas Ecclesias ad Caeremoniale Episcoporum teneri, non autem reliquas, falsa est et reiicienda (*Ex Decr. Angelopolitana, 17 Aug. 1894, ad I*).

5. Sacerdos Missam faciens, in qua Regulares utriusque sexus Vota nuncupare debent, iure excipere ea potest ac debet ad eosdem conversus, pyxidem in manibus tenens, et post uniuscuiusque *professionem* elata voce emissam, communionem singulis impertiri. Si vero de Votorum *renovatione* agatur, dum dicti Regulares, uno praeeunte, om-

nes simul formulam renovabunt, Sacerdos, non ad eosdem, sed ad altare conversus erit, et post renovationem omnibus SSm̃um Christi Corpus distribuet (*Ex Decr. Gen. 14 Aug. et 27 approb. a Leone Pap. XIII, an. 1894*). Si aliquid eapropter antea in oppositum fuerit decretum, revocatum censeas.

6. Nihil obstat, quominus parietes Ecclesiarum, uti et earum fenestrarum vitra exornari possint cum imaginibus coloratis illorum, qui cum fama sanctitatis decesserunt: dummodo extra altaria, sine ullo sanctitatis indicio depingantur imagines, nihilque habeant profani aut alieni ab Ecclesiae consuetudine (*Ex Decr. Gen. 14 Aug. et 17 confirm. ut supra, an. 1894*).

7. Tam duplicia I et II classis, quam duplicia maiora et minora, nec non semiduplicia festa, distinguenda sunt in primaria et secundaria: adeo ut primaria semper praeferri debeant secundariis in occurrentia, in concurrentia atque in repositione, haud obstante potiori dignitate personali, qua gaudere secundaria possunt (*Ex Decr. Gen. 14 Aug. et conf. ut sup. an. 1894*). Non possumus, quin aliquid super hoc advertamus. *a*) Rubrica specialis Breviarii Romani, uti alias innuimus, posita post festum duplex Impressionis Stigmatum S. Francisci Conf. (*die 17 Sept.*) ante S. Iosephum a Cupertino, quae habet: « Vesperae a Capitulo de sequenti », ad normam statuti iam principii redigenda, ac si diceret: « Vesperae de seq. cum com. praec. » *b*) Nil mutare occurrit in festo semiduplici Inventionis S. Stephani protomart. (*die 3 Aug.*); eo quod festum praecedens sit ritus duplicis minoris: sequens, duplicis maioris

Aliquid simile accidit in festo Conversionis S. Pauli Ap. (25 Ian.). Alia duplicia aut semiduplicia secundaria in Breviario Romano non inscribuntur: si quae vero in Calendariis particularibus duplicia minora vel semiduplicia occurrant secundaria, redactores Decreto Generali calendariorum praxim conformare debent. *c*) Dies octavi, uti alias dictum est, constituunt festa vel primaria, si primarium est festum, ad quod octava pertinet, vel secundaria, si festum, ad quod octava pertinet, secundarium est. Hinc praefati dies (exceptis diebus octavis Domini et Deiparae, quos probabilius credimus per generale Decretum non amisisse privilegium, quo in concurrentia hucusque donati sunt, aliisque privilegiatis vi Rubricae) cum duplicibus minoribus concurrentes, ad normam praefati Decreti ordinandi sunt in Calendariis (1). *d*) Semiduplicia festa infra octavas non privilegiatas occurrentia, aut primaria aut secundaria sunt: si primaria infra octavas secundarias occurrant, indubie diebus infra dictas octavas praeferenda sunt: si vero secundaria fuerint, et occurrant infra octavas pariter secundarias, aut si primaria infra octavas aeque primarias occurrant, faciendum est de digniori, nisi aliter S. R. Congñi placuerit hoc negotium componere. Ratio huiusce, quam ponimus, limitationis est: primo, quia semiduplex Sanctorum semper hucusque consideratum fuit

---

(1) Haec quidem, posito ritu dup. min. quo, Rubricarum more, dies octavi decorantur. At si alicubi singularis ritus alicuius diei octavae esset dup. maius, non dubitamus asserere, hanc diem octavam utpote superioris ritus, aliis duplicibus minoribus in concursu praevalere.

dignius, quam dies infra octavam non privilegiatam. Secundo, quia semiduplex de infra octavam, licet ad festum primarium pertineat, nihilominus, uti secundarium iure considerari posset, cum sit continua repetitio festi. Tertio, quia hac ratione eiusmodi semiduplicia ad ritum simplicem perpetuo redigenda non forent. — *e*) Dies dominica est festum Domini, et cuicumque semiduplici Sanctorum vi Rubricarum praeferenda est, tam in occursu quam in concursu: licet cum quocumque praecedenti festo semiduplici concurrens, Vesperas illi cedat ad capitulum usque, cum in primis suis Vesperis psalmos non habeat. *f*) Dies infra octavam secundariam cum semiduplici Sanctorum secundario concurrens, dividit Vesperas: concurrens cum semiduplici primario, huic integras cedit Vesperas. Dies infra octavam primariam cum semiduplici secundario concurrens, integras habet Vesperas: concurrens cum semiduplici primario, Vesperas dividit. Semiduplici Sanctorum denique cum alio simili semiduplici concurrente, ratio pariter habenda erit primarii et secundarii, uti in concurrentibus duplicibus: quod nullam difficultatem parit. Haec quidem liquido ex praefato Generali Decreto profluunt, atque uti certa habenda sunt, nisi aliter S. R. C. disponat. *g*) Duplici minori concurrente cum alio duplici minori, tabella Concurrentiae mittit ad num. 5, id est: Capitulum de sequenti, com. de praecedenti. Id intelligendum, si ambo primaria sint vel secundaria: secus, duplex primarium integras sibi Vesperas assumit, et secundario sola competit commemoratio, uti de semiduplici intelligendum diximus. Neque ideo

tabellam minus exactam dicas. Namque etiam in duplicibus I et II classis ac maioribus tabella remittit ad num 6, ubi legitur: totum de digniori, com. de minus digno. At si ponas, eiusmodi festa esse eiusdem dignitatis, quid foret agendum, nisi Vesperas dividere? Ita in casu de duplicibus minoribus et semiduplicibus: a capitulo fit de sequenti; sed si detur in altero prae altero ratio primarii, integras illud habebit Vesperas. In utroque igitur casu id ponit tabella, quod frequentius accidit. Ita ceterum Rubricarum praescripta intelligenda sunt.

7. Festum SS. Cordis Iesu est secundarium, et aliis quibuscumque duplicibus primariis eiusdem ritus et classis, quacumque alia neglecta ratione locum cedit, sive in occursu, sive in concursu, sive in repositione, iuxta legem generalem de primariis et secundariis festis. Cuicumque pariter duplici primae classis primario in loco occurrenti nunc cedunt officia translata S. Ioseph (*19 Mart.*), et S. Ioannis Baptistae (*24 Iun.*) Hinc pro hac parte revocata sunt Decreta Generalia *Urbis et Orbis* 28 Iun. 1889, reliquis nihilominus eiusdem Decreti dispositionibus plenam vim habentibus, et aliud 27 Iun. confirmatum 2 Iul. 1893 (*Ex Decr. Gen. 14 Aug. 1894, quod incipit* « In Catalogo »).

8. Festum Annuntiationis (*25 Mart.*) dup. II classis impeditum ob feriam VI maioris hebdomadae, vel ob Sabbatum Sanctum, recolendum est in alia sede sua, feria II post Dominicam in Albis, et cuicumque festo praefertur, licet duplici I classis, in locis recolendo, iuxta Decretum in *Aquen.* d. d. 2 Sept. 1841. De solo huius festi translato officio silemus, cum negotium satis sit

perspicuum (*Ex cod. Decr. Gen. 14 Aug. 1894*, « In Catalogo »). Quid ergo? obiicies: nonne per Decretum Gen. 27 Iun. 1893, et a Pontifice Leone XIII confirmatum 2 Iul. eiusdem anni, imminutum videbatur tantum privilegium Deiparae Annuntiationi concessum, vi cuius duplex II cl. translatum cum feriatione cuicumque duplici I cl. praeferebatur? Adeo ut locum saltem cederet festis occurrentibus cum feriatione in loco recolendis? Ita quidem; sed, re iterum maturius perpensa, optimum S. R. C. iudicavit ad antiquum redire ius, et quae antiquius statutum fuerat, iterum confirmare. Proinde omnia, quae super hac quaestione pluries *Ephemerides* nostrae discusserunt, eaque pariter, quae in commentariis super Decreto Gen. mox citato concluserunt, et alia si quae dicta eadem super materia fuerint, haec omnia, inquam, iuvare scientiam poterunt, non vero legem; et ius antiquum iterum amplectamur oportet, sic S. R. Congñe volente et iubente. Ergo festum Annuntiationis Deiparae, feria II post Dominicam in Albis cum feriatione recolendum, licet II classis, cuicumque duplici I classis praeferendum est, cum tamen die 25 Martii duplicibus I classis, sicut et privilegiatis Dominicis locum cedat. Magnum quidem privilegium tanto festo concessum, non die 25 Martii, ratione temporis, bene tamen feria II post Dominicam in Albis, quae dies sua pariter est, et cuius libera est celebratio: ut quod prima die habere non potuit, in altera die abundantius habeat. Praeterea eiusmodi privilegium tanti mysterii concessum est festo, ne feriatione, quae in favorem festi marialis translata fuerat, aliud festum gaudeat. Quidquid ceterum sit, ita et non

aliter res se habet, et Decretum Generale d. d. 27 Iun. et a Leone Papa XIII die 27 Iul. confirmatum, integre revocatum est: ut non hoc amplius, sed recentius pariter Generale 14 Aug. 1894 « In Catalogo » legem constituat, quae observanda est ab omnibus.

9. Missam de requie licet cantare pro defuncto in die obitus, non solum praesente, sed etiam absente, imo et sepulto cadavere ob civile vetitum vel morbum contagiosum, dummodo non ultra bibuum ab obitu. Hoc autem in casu eadem Missa canitur eodem prorsus modo ac si cadaver esset physice praesens; ac proinde semper permittitur quando permitteretur praesente cadavere (*Ex Decr. Calagurritana et Calceaten.* ad Dub. XXVII, *13 Febr. 1892*). Eapropter iuri liturgico antiquo relicto, standum est praesenti, quod favet defunctis: ne ob legem civilem, cuius aequitatem vel iustitiam silemus, iidem defuncti a maioribus acquirendis suffragiis fraudentur.

10. Ut Anniversaria vere sint talia, et notis fruantur iuribus, non amplius impraesentiarum requiritur ut sint fundata, sed sufficit ut sint privata, dummodo sint vere anniversaria a die obitus, vel depositionis. Consequenter ex tribus conditionibus, quas videbatur pro Anniversario exigere Decretum Generale Missalibus Romanis praemissum, nempe ut sit dies anniversaria ab obitu vel depositione, ut a testatoribus vel haeredibus fundetur, et ut quotannis fiat, prima satis est, et aliae duae non requiruntur amplius. Inferes: neque attendenda iam esse quae auctores liturgici, esto probatissimi, hac super re exposuerunt hucusque, neque ipsum praefatum Missalis Generale

Decretum, si iidem auctores praedicto sensu illud explicaverint (*Ex Decr. Gen. 2 Dec. 1891*).

11. Anniversarium vi Rubricarum impeditum anticipari potest, et debet, si fieri possit, ne defuncti graventur, vel transferri in primam diem liberam a duplici I et II classis, et ab aliis diebus eadem duplicia excludentibus: ut consequenter festum duplex maius Anniversarium, etsi translatum, impedire non valeat (*Ex eod. Gen. Decr.*).

12. Quae autem dicta sunt de Anniversario, seu in die sua, seu anticipata, seu translata, dici etiam potest ac debet de diebus tertio, septimo, ac trigesimo; cum hi dies paribus iuribus fruantur (*Ex eod. Gen. Decr.*).

13. Ad dies quod attinet, in quibus Anniversaria prohibentur, nihil est immutatum, et iuri antiquo adhuc standum est. Dubium quoddam oriri fortasse potest super Vigilia Epiphaniae; at, sicuti antea, ita et a fortiori impraesenti, pro certo habendum, Vigiliam Epiphaniae liberam esse pro anniversario defunctorum, seu agendo, seu anticipando, seu transferendo (*Ex.eod. Decr. Gen.*).

14. In Missis cantatis nihil canere licet, nisi idiomate liturgico, seu latino; sed praeter cantum liturgicum praescriptum possunt alii textus cantari, qui tamen vel ex sacra Scriptura aut e sacra Liturgia, vel e Ss. Patribus sit desumpti· Cani autem possunt illo in tempore Missae, quo et sacerdos silet, et nihil ex Rubricis canendum est. Num autem et tempore utriusque Elevationis? Ita arbitramur; quod si aliquid oppositi lex hucusque statuere videbatur, mitiori nunc sensu intelligenda est (*Ex Regolam. per la Musica sacra, p. I, art. 7*).

15. In Missis vero privatis, uti in omnibus aliis functionibus minus solemnibus, etsi liturgicis, licet in cantibus vernaculo idiomate uti; dummodo probata sint quae concini debent (*Ex loc. cit. art. 8*).

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Hispania.* **De die octava ad simpl. ritum redigenda in Dominica II classis, num I^as^ Vesp. habeat.** Passim affertur Decretum quoddam sic ad verbum se habens: « Si cum Dominica II cl. occurrat dies octava alicuius festi, et in Sabbato recitatum fuit de septima die infra octavam, Vesperae sumendae sunt de Sabbato, et a Capitulo de Dominica, an de secundis Vesperis festi et a Capitulo de Dominica? *Resp.* Vesperae de die octava (ut in primis Vesperis festi), a Capitulo de Dominica cum commemoratione diei octavae. S. R. C. d. 17 Sept. 1885 ». Quid?

Resp. Ignorantiam nostram fatemur, cum Decretum huiusmodi, quod passim dicitur ab auctoribus afferri, nunc prima vice relatum cernimus. Sed apocryphum indubie tenendum est, cum et Rubricis non solum, sed et consuetudini universali ordinandi in casu Vesperas adversetur, et in Collectione non extet. Quidquid enim sit de Vesperis diei septimae infra octavam, an videlicet iis gaudeat, vel careat eadem septima dies, hoc unum apud omnes uti exploratum ponitur, Ve-

speras sive de die septima infra octavam, sive de ipso octavo die ad ritum simplicem redigendo in Dominica II cl. non esse ullo pacto faciendas. Audias Gavantum (*Sect. III*, *cap. VIII*, *n. 13*): « sed quid agendum erit in primis Vesperis, communibus diei octavae et Dominicae privilegiatae? Recitabis Vesperas cum psalmis Sabbati, a Capitulo de Dominica privilegiata; et in fine addes commemorationem diei octavae, ut in primis Vesperis festi: ita decrevit, me petente, S. R. C. die 9 Nov. 1622 (1). Et ratio desumitur a simili ex Rubrica de Concurrentia, n. 10, ubi cum ageretur de simplici festo, occurrente in feria IV Cinerum, in qua de festo fit tantum commemoratio, eadem tantum commemoratio festi decernitur in primis eiusdem Vesperis; *quia*, inquit, *cum in sequenti die festum non habeat officium, nec etiam convenit habere primas Vesperas in praecedenti die.* Voluisset alii primas Vesperas diei octavae integras ritu duplici recitatas, sed absurdum visum est inchoare cum omni solemnitate diem octavam, quae sequenti die officium non habet. Alii dimidias Vesperas usque ad Capitulum ritu semiduplici de octava, Capitulum deinde de Dominica: at hoc modo non erant primae Vesperae de die octava, ut patet, cum ritu semiduplici, neque erant secundae Vesperae de die infra octavam, quae terminatur in Nona Sabbati, et in psalmo quinto erat difficultas, an dicendus ille, qui in primis aut secundis Vesperis festi, et pro commemora-

---

(1) Hoc nihilominus Decretum in authentica Collectione nos non reperire potuimus.

tione diei octavae antiphona ad *Magnificat* ut in primis Vesperis festi incongrue dicebatur ratione diei infra octavam. Maluissent alii abrumpi octavam in Sabbato ad Vesperas, et nihil de ea fieri amplius, ut supra diximus num. 8; sed visa est ratio longe dispar in Dominicis privilegiatis extra Quadragesimam, natalitium tempus et Pentecostes (1). Quare sola commemoratione contenti de die octava, tam in primis eiusdem Vesperis, quam in Laudibus et secundis Vesperis... decreverunt Emi Patres et sapientissimi ut praediximus etc.» Hac autem ratione se gesserunt semper uti videre est, generaliter saltem, calendariorum redactores in Vesperis ordinandis, ita senserunt communiter Rubricarum expositores a Gavanto, et a Guyeto, ad recentiores, uti a Carpo et De Herdt. Ita pariter, ad festum quod attinet Conceptionis Deiparae, ab ipso aevo Innocentii XII (*saec. XVIII sub fin.*), qui illud ad duplex II cl. evexit, ac decoravit octava, usque modo factum est in huiusce festi octavae diei Vesperis moderandis. Idque vi specialis Rubricae, quae antiquissima relative est, cum ea legatur in antiquioribus editionibus Breviarii, ex. gr. anni 1737, et ad verbum conso-

(1) In n. 8 animadverterat auctor, iure exclusas fuisse in Rubricis octavas, etiam quod attinet commemorationes, a die 17 Dec. ad Epiphaniam in gratiam Infantiae Christi, et a feria IV Cin. usque ad Dominicam in Albis ratione maiorum mysteriorum eiusdem Christi, uti etiam a vigilia ad totam Pentecosten. Sapienter autem hic auctor notat, rationem integre omittendi, seu abrumpendi octavam in casu, longe disparem esse ab illa, vi cuius in praefatis temporibus abrumpitur: unde convenit, ut saltem per commemorationem recolatur. Quia in altero casu officia integra de tempore habentur in Breviario, non autem in altero.

net cum Rubrica editionum praesentium. Eapropter Rubrica docens, octavam Conceptionis incidentem in Dominicam III Adventus esse in primis et secundis Vesperis ac Laudibus commemorandam, et psalmos Vesperarum Sabbati esse e psalterio sumendos, et a Capitulo agendum de Dominica, si Sabbato de die septimo infra octavam factum fuerit, haec, inquam, Rubrica non est recenter reformata, sed antiqua sicut evectio Deiparae Conceptionis, cui adhuc non tribuebatur epithetum Immaculatae, ad dup. II classis.

Quibus expositis, non valemus intelligere, quomodo praefatum Decretum, de quo adm. Rev. Consulens, a S. R. Congñe exire potuerit. Consequenter omni cum securitate iterum dicimus illud apocryphum, et nullo pacto attendendum. E contra, casu posito, quo dies octava Immac. Concept. Deiparae in Dom. III incidat Adventus, aut in Sabbato factum est duplici, aut de semiduplici alicuius Sancti, aut de semiduplici infra octavam. Si primum, Vesperae in Sabbato sunt de praecedenti cum com. seq. Dominicae et de die octava, quae non concurrit, sed redigenda ad instar simplicis: si alterum, Vesperae fient de semiduplici a Capitulo de Dominica concurrente cum com. diei octavae: si tertium, Vesperae erunt de Dominica, sumptis psalmis e Sabbato, cum sola com. diei octavae. Haec autem certa sunt et discussioni non subiacent.

II. *E Syracusis in Sicilia.* **De occursu festorum Sacrae Familiae et Desponsationis Deiparae.** Occurrentibus simul festis Sacrae Familiae et Desponsationis Deiparae cum S. Ioseph, quodnam praeferendum?

Resp. Nobis non videtur adesse dubitandi ratio, praecedentiam esse Sacrae Familiàe tribuendam, et Desponsationem transferendam. Ratio sequens est: utrumque festum est secundarium; ergo illud est in paritate ritus praeferendum, quod personali dignitate praestantius est: atqui praestantius est festum Sacrae Familiae quam alterum, ergo... Minorem indubiam credimus, eo quod eiusmodi festum est complexum, seu plura complectitur subiecta, inter quae Christum Dominum, quod est praecipuum. Dignitas autem non potest desumi a S. Ioseph, cuius relativa dignitas est infima, neque a Deipara, cuius dignitas potior est illa; sed desumenda a dignitate primi subiecti quod Christus est, et est maxima. Si enim ab huius abstraheretur dignitate, iniuria irrogaretur praecipuo subiecto festi, uti patet, et recederemus a veritate, ac si ad Dominum non pertineret festum. Quo posito, perspicuum fit, festum Sacrae Familiae esse nobilius festo Desponsationis, in quo habentur tantum Deipara, praecipuum, et S. Iosep minus principale subiectum festi. Ergo Festum Sacrae Familiae alteri Desponsationis, in paritate ritus, praevaleat necesse est, ut de illo fiat, hoc vero transferatur.

III. *E Laude Pompeia.* **De consecratione Ecclesiae, in qua altare portatile ad modum fixi consecratum est.** Valida ne est consecratio Ecclesiae, si loco altaris fixi consecratum in illa fuerit altare portatile, sed ritu altaris fixi, prout in Pontificali de consecratione Ecclesiae?

Resp. Dubium supponit, altare, de quo in casu, valide fuisse consecratum: idem et nos supponimus, proindeque unctiones, et cruces in lege prae-

scriptas, in quibus potissime altaris consecratio consistit, cum relativis formulis, non in angulis praegrandis tabulae sed parvae petrae, seu altaris portatilis, fuisse factas meliori modo quo fieri potuit. Hoc posito, respondemus, adhuc esse quidem sud iudice quaestionem, utrum consecratio Ecclesiae sine ullius consecratione altaris sit nec ne valida. Ephemerides ratiocinantes negativam tenuerunt sententiam; sed affirmativa fortasse definiri a competenti Auctoritate potest, eique tunc standum. Utrum vero valida sit tenenda Ecclesiae consecratio, cum qua altare tantum portatile consecratum fuit, dubitari non potest. Quando enim, nulla facta altaris consecratione, consecratur Ecclesia, tunc id deest, quod velut anima Ecclesiae nuncupatur, et sine quo Ecclesia quasi cadaver apparet destitutum vita. Praeterea ritus in Pontificali praescripti observari debito cum ordine nequeunt, ut ipsa nuda consecratio Ecclesiae videatur quoddam deformis ac monstruosi, quod difficile supponi potest, ex voluntate Ecclesiae, validam consecrationem constituere. At si altaris consecratio fiat, esto portatilis, satis superque patet, et Ecclesiam sua anima non destitui, et ritus praescriptos observari. Quin imo, etsi admitteretur, consecratum quidem fuisse altare, sed aliqua de causa accidentali eam consecrationem fuisse invalidam; indubie etiam tenendum foret, validam quoque fuisse consecrationem Ecclesiae (*Decr. Lucionen. 28 Iun. 1890 ad 1*). Ceterum in consecranda Ecclesia altare maius et ad modum fixi esse quoque consecrandum, ex iure positivo statutum est, et licitum tangit, haud vero validum consecrationis Ecclesiae. Quibus omni-

bus perpensis, concludimus consecrationem Ecclesiae, in casu, vere ac certe fuisse validam.

IV. *Ex Ostuno.* **De genuflectendo ad aspersionem aquae benedictae in Dominicis.** Genibus ne flexis semper accipienda aqua benedicta a ministris et choralibus diebus Dominicis?

Resp. Affirmative, uti communiter docemur, et fit. Satis sit verba referre cl. Martinucci: « Celebrans... asperget seipsum... deinde assurget et asperget prius Diaconum postea Subdiaconum, qui aspersionem accipient inclinati, et post aspersionem assurgent, cumque ipsis Clerus et reliqui omnes, qui adgeniculati erant, assurgent (*Lib. II, cap. VIII, n. 17*) ». Id autem et agendum paschali tempore exploratum est, non enim de orando agitur, sed de se signando cum aqua, qua clerus aspergitur, quod quocumque tempore, in signum reverentiae, genibus flexis solet fieri.

VI. *Ex eodem loco.* **De consuetudine canendi Missam in Oratorio privato.** Sustineri ne potest consuetudo canendi Missam, seu pro defuncto ex familia privilegiata, seu in alicuius Sancti honorem, ex devotione eiusdem familiae, cuius aliquis sit semper praesens?

Resp. Negative cum cl. Gattico, qui in Oratoriis, de quibus in casu, Missam gravibus de causis non esse canendam sustinet, sive pro vivis sive pro defunctis. Indulta enim nunquam de Missa cantata loquuntur, sed de privata tantum. Ceterum sacra pompa ac splendida maiestas caeremoniarum ecclesiasticarum, quae in Missa solemni adhibentur, augustiae Oratoriorum privatorum repugnant. Insuper discrimen inter Missas publicas et privatas in eo positum ab venerabili antiqui-

tate fuit, ut illae in Ecclesia, ad quam populus conveniebat, solemniter cantarentur, istae vero in privatis Oratoriis sine cantu et populi frequentia fierent (*V.* Bona, *Lib. II, Rer. Liturg. cap. 13, n. 4*). Haec et alia similia docet praefatus auctor, quo hac in materia nemo doctior, concluditque: « Quare mihi videretur gravi animadversione corripiendus non tam Sacerdos, Missam solemniter in privato Oratorio celebrans, quam Privilegiatus eamdem solemnitatem permittens, dignus propterea privatione aut suspensione Apostolici privilegii in poenam propriae temeritatis, qua fines privilegii transgressus fuisset (*Cap. 28, n. XIV*) ». Neque obstat, si in Privilegio Missa tantum nominetur; cum hoc semper sensu ipsum sit intelligendum. Hinc idem Gatticus docet: « Quamvis igitur expresse non determinaverit Pontifex in formula privilegii Missam privatam, satis tamen adhuc huiuscemodi limitationem, attentis Ecclesiae ritibus et consuetudinibus, exponit, tum finis Privilegii, tum privatum domicilium, in quo privilegium habet suum effectum, tum denique silentium Missae solemnis, cuius aperta mentio ob novitatem et singularitatem gratiae fieri debuerat (*Loc. cit.*) ».

VI. *E Bamberga.* **De commemorationibus in Missa de Titulari etsi sequentem in Dominicam translato.** An in Ecclesiis, quibus nullus est clerus adscriptus, Missa solemnis de Titulo Ecclesiae celebranda die suo vel sequenti Dominica, commemoratio officii diei semper addenda sit, an tantum in casu quo alia Missa de die non celebretur?

Resp. Missam de Titulo in die occurrenti non dicimus votivam, sed vere festivam, quamvis aliud

officium recitatum fuerit; quia semper festiva est Missa de Sancto vel mysterio, cum die sua recolitur. Quod autem Dubium propositum spectat dicimus, eiusmodi Missam si die suo canatur, illas tantum commemorationes admittere, quas duplicia primae classis admittunt, reliquas excludere: quod probatione non indiget, cum de Missa agatur, cuius officium si fieret, esset vere duplicis primae classis. Quod si in Dominicam sequentem transfertur, idem dicimus secundum quod alibi exposuimus: haec enim Missa est ad instar votivae solemnis. Itaque, si in Ecclesia alia Missa non dicatur, addentur Missae de Titulo commemorationes, quae nunquam omittuntur: si alia habeatur Missa, in illa nonnisi unica dicetur Oratio.

Nota 1. Quod spectat Dubium alterum, haec scribimus. Si verum sit adagium « favores ampliandi » et Ecclesiae de quibus in casu, uti vere parochiales haberi possunt, muniis parochialibus perpensis, quibus in illis fit satis; arbitramur, privilegium iis omnibus Ecclesiis iure merito favere, et posse frui privilegio ter in unaquaque hebdomada canendi Missam, etsi ritus duplex occurrat, sub notis limitibus.

Nota 2. Quoad ultimum Dubium, satis sit innuere Missam de requie, quando lex civilis impedimento est, ubique terrarum impraesenti posse cani ut in die obitus, etiam cadavere sepulto, *dummodo non ultra biduum ab obitu.*

VII. *Ex Hispania.* **De Missa votiva ratione eleemosynae acceptae diebus vetitis non dicenda.** Auctores, ex. gr. P. Foppiano (*Enchirid. p. 1, tit. 4, n. 13*) P. Schober (*Lib. Caerem. Miss. Append. V, cap. I*), nec non cl. De Herdt (*Prax. Lit. Tom. 1,*

n. 66), S. R. Congñis Decretis innixi, doctrinam sustinent, circa Missam votivam a dante eleemosynam petitam, cui cl. Lehmkuhl videtur contradicere. Quid pro certo in casu tenendum?

Resp. Doctrinam a citatis auctoribus traditam quantum in nobis fuit perpendimus, quam nihilominus mire inter se convenire reperivimus, si hoc tamen addas, ultimum aliquid adiungere ex recentiori iure positivo, quod alii silent. Re quidem vera, concedit adm. Rev. consulens, primos citatos scriptores sequentem in summa doctrinam tradere: « Sacerdotem ratione manualis stipendii in honorem alicuius Mysterii vel Sancti obligatum ad Missam aliquam faciendam, non satisfacere oneri suo *per Missam diei currentis;* sed teneri *ad Missam stricte votivam celebrandam diebus a Rubrica permissis, nonnullis tamen exceptis casibus* ».

Quid autem dicit cl. Lehmkuhl? « S. Sedes constanter voluit, ut si dies impeditus esset, Missa transferretur potius in alium diem, quam ut Missa celebraretur cum intentione alterum Sanctum honorandi ». Ergo Missa non potest dici diei currentis pro satisfaciendo oneri, quando dies est impedita, uti supercitati auctores docent; sed Sacerdos tenetur illam remittere ad alium diem, in qua Rubricae Missam votivam permittunt: quod et iidem citati auctores explicite fatentur. Prosequitur ultimus iste auctor: « Atque etiam circa Missas manuales noluit, obligationi Missae votivae satisfieri *in festo ritus semiduplicis, celebrando Missam de festo occurrente* ». In hoc autem iisdem fere verbis mire cohaeret doctrinae auctorum, qui superius citati sunt, ultimis attentis verbis, quae diversis literis notavimus. Postea vero subiungit:

« At recentius 15 Apr. 1876 litterae privatae S. R. C. mentem aperientes, et communicatae in folio periodico pro unione Sacerdotum Penipontana, si, qui dedit stipendium, solum in genere petierit Missam in honorem alicuius Sancti, sive pro defunctis, non intendens ipsam votivam Missam aut Missam de requie, in utroque casu satisfieri per Missam diei currentis, etiam in ritu semiduplici, dicunt ». In hoc forte, quod adiungit cl. Lehmkuhl, cl. consulens noster quamdam cum superiori doctrina videt contradictionem; sed huiusmodi contradictio apparens omnino est, et positivi iuris superius relati perutilis expositio, ad Sacrum cetera Rituum Tribunal pertinens. Itaque hoc declarat, legem de Missa legenda secundum intentionem dantis tunc non tenere, quando eleemosynam dans non petit in specie hanc vel illam Missam, sed tantum in genere. Hoc videlicet in casu, Celebrans Missam de die currente recitare potest, quamvis vi ritus Missam petitam legere posset, cum intentione satisfaciendi pro offerente. Notandum autem est, hanc dispositionem 15 Aprilis 1876 alia antiquiori benigniorem esse, quippe quae declarabat, id licitum esse quod attinet Missas defunctorum, haud vero quod spectat Missas alias votivas.

Itaque, iure praesente inspecto, haec tria certa sunt: 1. Missa quaecumque votiva, in specie expetita, sive pro defunctis, sive in honorem Sancti alicuius vel mysterii, non potest dici, nisi semiduplex vel inferior ritus illam permittat, in quem proinde remittenda, si occurrat in duplici. 2. Eadem Missa in specie expetita, permittente ritu, recitanda est: adeo ut si alia ab expetita recitetur,

susceptae obligationi non fiat satis (1). 3. Si Missa votiva expetita tantum in genere fuerit, propriae obligationi fit satis, quaecumque legatur Missa, modo secundum intentionem dantis recitetur.

VIII. *E Nicaea ad Varum.* Duorum Dubiorum solutio breviori calamo exponitur, quorum primum circa tabernaculum, alterum super mappis altaris versatur.

1. Inter ea quae ex iure positivo requiruntur, ut tabernaculum pro Eucharistia asservanda apprime respondeat fini quem intendit Ecclesia, nihil reperitur quod prohibeat aliqua parva, congruentiori loco confecta, foramina, unice ut humiditas impediatur, ex qua gravissima derivant incommoda in dedecus Sacramenti, ac fidelium scandalum. Si itaque vel ex loco, ubi tabernaculum situm est, vel ex materia marmorea, ex qua est compositum, derivet humiditas, quae aliis subsidiis removeri non possit, praefatum modum licitum arbitramur, ut aer in interiores tabernaculi partes introductus, humiditatem impediat. At omni profecto ope curandum, ne incidat in Scyllam qui vult vitare Charbydim; adeo ut dicta foramina, quae affabre e lateribus erunt perficienda, per

---

(1) Cl. De Herdt, cum Quarti, Busembaum, et Hausherr notat: « Sacerdotem, si loco Missae votivae celebret de die, non videri graviter peccare; quia idem est valor essentialis, valor autem accidentalis non tam grave infert praeiudicium, tum quia virtus fidelitatis in casu non tam graviter obligare videtur. In Decr. 3 Mart. 1761 Sacerdos dicitur propriae obligationi non satisfacere dicendo Missam de die; sed responderi potest, id esse intelligendum quoad valorem accidentalem, cuius defectus non videtur tam grave inferre praeiudicium et peccatum (*Pars 1, n. 66, 1 V*) ».

elaboratos reticulos cooperta manere debeant: secus, humiditate remota, alii perfacile comites se adiungent Christo Domino in Eucharistia inquilini, ut quisque per se intelligit, eritque novissimus error peior priore. Studeat proinde adm. Rev. consulens, et meliori qua ratione poterit, omnia curet removere incommoda, ut almum Sacramentum digne valeat habitare in loco sancto suo. Vix autem innuere sit satis, optime posse, si humiditatis incommodum vitari per id queat, ligneas assulas in interiori parte tabernaculi arte collocari, super quibus, apto Corporali coopertis, SS. Eucharistia decenter reponatur.

2. Lineus pannus, ad instar mappae, quae super tertiam altaris tobaleam ponitur, ut hanc defendat a pulvere, atque a cera praeservet, nulla ratione est prohibitus. Coopertura linea cerata immediate super altaris mensam seu petram, quae tribus mappis cooperitur, non solum tolerabilis est, sed omnino iuxta legem liturgicam, ut in Pontificali videre est.

IX. *E Verona.* **De Orationibus secunda et tertia pro commemoratione S. Hilarionis in Missa S. Franc. Borgia.** Apud nos ex legibus occurrentiae S. Franciscus Borgia die 21 Oct. recolitur, et eius Missa est de Communi Abbatum, suppresso nomine *Abbas* in secunda et tertia Oratione, prima enim propria est. Cum autem eadem die occurrat com. facienda in Missa pro S. Hilarione, et secunda ac tertia Oratio sint eaedem, quaeritur quid agendum?

Resp. Implexa apparet huiusmodi quaestio; namque ex una parte Orationes mutandae esse deberent de S. Hilarione, utpote minus principales: ex alia vero mutari nequeunt, quia unam

tantum Missam habemus in Missali de Communi Abbatum. Suppressio autem nominis *Abbas* non valet constituere Orationum diversitatem. Eapropter arbitramur in casu consultius esse secundam et tertiam Orationem de S. Francisco mutari in alias de Communi Conf. non Pontif. 1. loco, et illas, quas pro S. Francisco Borgia Proprium Missalis nunc signat, recitare pro S. Hilarione. Quam mutationem, licet litterae Decretorum minus conformem, consonare nihilominus eorumdem spiritui sequentia momenta suadent. 1. Ni fallimur, ante annum 1861, quo apparuit Romae Missale typicum, Missam pro S. Francisco Borgia statuens de Communi Abbatum, et suppressionem in secunda et tertia Oratione verbi *Abbas,* Missa *Os iusti* dicebatur de Communi Confessoris non Pont. 1. loco, secundum quod videbatur exigere Bulla Canonizationis, si vera sunt quae in Dubio 1 exponit Decretum *Dubiorum* d. d. 14 Iun. 1879. Nullum proinde videtur inconveniens, si hoc speciali casu ad antiquum ius redeatur. 2. Missa de Communi Abb. consequenter eius Orationes, propriae sunt S. Hilarionis, utpote Abbatis, quod non comprobatur de S. Francisco Borgia, cui magis competunt aliae de Communi Conf. non Pont. uti patet. 3. Si mutarentur Orationes pro S. Hilarione, eas oporteret sumere e Com. Conf. non Pont. et addere titulum Abbatis, uti credimus: quod nihilominus, saltem in casu, difficile fieri potest. Hinc etc.

Nota pro alio consulente e civitate N. Missa de eodem Sancto, in eadem Ecclesia, eodem die, bis cantari nequit, sive dies sit festus, prout liturgice sumitur, id est cum officio et Missa reco-

lendus, sive sit etiam festivus in foro. Huius enim distinctionis fundamentum non existit, nec locus habere hic potest. At legi huic non subiacent Missae defunctorum, et fortasse neque illae, quae de Angelis votivae canuntur quando infantes ex hac lacrymarum valle ad gaudia aeterna feliciter migrant.

X. *E Dioecesi Senensi.* **De consuetudine Orationis dicendae in Missis pro expositione Sacramenti ex causa privata.** Viget hic usus immemorabilis addendi Orationem de Sacramento in omnibus Missis privatis, quando Eucharistia ex causa privata exponitur, quae in aliis altaribus celebrentur ab illo, in quo fit expositio. Quid?

Resp. Expositio Sacramenti pro causa publica afficit totum populum et clerum loci, et Ecclesia, ubi eiusmodi habetur expositio, tota fit plus minusve solemnis functionis particeps. Haec est causa, ob quam, ubi Expositio pro Oratione 40 Horarum est in praecepto, in Missa solemni praescribitur Oratio Sacramenti, in aliis privatis permittitur; et ubi non est de praecepto, in omnibus Missis fieri potest. Imo in aliis etiam expositionibus, sive cum Ostensorio sive cum pixide, eadem Oratio optime additur, quando pro causa publica fiunt. In his, satis intelligitur ratio additionis eiusmodi Orationis in Missis, cum Oratio in Missa sit publica, publicaeque causae respondeat. Verum, si expositio fiat pro causa privata, cessat ratio huiusce Orationis; et privatae personae non licet collectas in Missis addere, nisi ritus qualitas illas permittat. Expositio enim cum sit pro causa privata, neque ad totum populum et clerum pertinet, et Ecclesia ipsa vix, et tantum ob necessitatem,

talis functionis est particeps, quatenus nempe ipsa est unicus expositionis locus. Eapropter arbitramur, iure inspecto, dictam Sacramenti Orationem in casu non esse addendam.

At consuetudo immemorabilis nonne aliquem pariet effectum tolerantiae? Nobis videtur abusus, ut consultius foret, negotium ad tramitem iuris componere. Nihilominus, si de functione agatur, in qua, licet privata, populus et clerus magnam acciperent partem, et publicam propemodum, ex frequentia ac veneratione redderent, tolerari fortasse consuetudo posset: ita semper tamen, ut de tolerantia agatur, haud vero de licita permissione, multoque minus de praecepto. Ita quidem, salvo sapientiori iudicio.

EXPLICATIO QUAEDAM

In ultimo *Ephemeridum* numero, seu decimo, redactor dissertationis liturgicae ita se expressit, ut dicere visus sit, apostolicarum caeremoniarum magistros uti non posse veste violacea, quando extra Urbem a Capitulo aliquo invitantur functionem aliquam moderaturi. (*V. pag. 603*, Demum si Caeremoniarii etc.). Scripsit enim (*sub fine*): « Haud tamen huiusmodi privilegio frui possent, uti quisque per se intelligit, quando extra Urbem degentes a Capitulo quodam invitarentur ad dirigendam specialem functionem ». Haec porro verba referri non possunt neque debent ad caeremoniarum apostolicarum magistros, de quibus immediate ante locutus fuerat, sed tantum ad alios de quibus paulo superius disseruerat. Etenim pro certo habendum, ius vestis violaceae primis inesse semper et ubicumque degerint, cum sint e Cubiculariis secretis Summi Pontificis. Quin imo in functionibus etiam Rochetto utuntur, ex privilegio a Pio IX Pontifice ipsis concesso.

SUPER ORDINATIONE PRO MUSICA SACRA

COMMENTARIA

(*Continuatio V. n. 10. pag. 638*).

12. Post praefata super sacris concentibus, pergit S. R. Tribunal de idiomate agere, in ecclesiasticis functionibus adhibendo. Hinc articuli septimus et octavus, quorum primus iubet: Lingua pro cantibus in solemnibus sed severe liturgicis functionibus usurpanda, sit ritus propria; et textus *ad libitum* desumantur e Sacris Bibliis, vel ex Officio, aut ex hymnis et precibus, ab Ecclesia probatis. — Alter vero edicit: In aliis functionibus adhiberi poterit lingua vernacula, modo textus e devotis probatisque compositionibus desumantur. — Hic notandum imprimis, satis opportune legem distinguere inter solemnes functiones stricte liturgicas, et alias quae vel solemnes non sunt, vel solemnes licet, non tamen severo sensu liturgicae dici queunt. Quaenam sint autem functiones severe liturgicae, superius expositum fuit: nunc addendum, dici tantum solemnes illas, quae in Missis vel Vesperis cum cantu consistunt. In his ergo unum permittitur idioma, ritus proprium, quod liturgicum est seu latinum: et sapienter. Non enim fas est linguam aliam liturgicae miscere, cum non tantum stricte liturgica est functio, sed etiam solemniter persolvitur. Praeterea

eiusmodi actus, proprios possident latinos textus, qui ad ritum pertinent, ut nec iis alii extranei sufficì, nec iisdem commisceri debeant. Eapropter italicae in dictis functionibus cantiones, puta post Offertorium, post Trisagium, post sumptionem Sanguinis, vel quocumque alio Missae solemnis tempore, omnino prohibentur. Quae autem in lingua Latii cantiones sunt compositae, permissae sunt: ea tamen conditione, ut nulli eas efformare, ad idioma quod attinet, proprio marte liceat, sed verba, idest textus, ex devotis probatisque ab Ecclesia precibus desumantur, quod iam alias statutum legimus.

At quinam textus *ad libitum*, de quibus articulus septimus? Praeter textus, quos Liturgia praescribit, quosque, uti mox erit dicendum, omittere non licet, addi alios *ad libitum* praesens dispositio permittit; et sunt illi, qui inscripti prostant, vel in Breviario, vel in Missali, in quibus quae ad officium seu Liturgiam pertinent, continentur. Cum vero potiores Liturgiae partes e sacra sint Scriptura depromptae, hinc praesens dispositio potestatem sapienter facit, alios quoque textus scilicet *ad libitum* ex illa desumendi. Quod si quaeras, quando hi textus locum in solemnibus Missis, vel cum cantu sine ministris peragendis, habere queant, perfacilis responsio: in iis videlicet intervallis, in quibus, aliquid vel agente vel secreto proferente Celebrante, nihil ex lege aut Missalis aut Caeremonialis Episcoporum exequi schola cantorum debet.

Ex quo sequitur (lex enim tacet), tempore utriusque elevationis cantum eiusmodi textuum *ad libitum* non esse prohibitum. Quinimo, etsi almum

Eucharistiae Sacramentum directo non respiciat eiusmodi cantus, permissus nihilominus est, cum ad illud referri facile possit, et devotio quae excitatur, tamquam in principale obiectum, quod praesens est, in ipsum Sacramentum tendat. Idque eadem ratione freti prope cum certitudine inferimus; lex enim generalissima textus *ad libitum* in Missa solemni (quod a fortiori de Missa simpliciter cantata intelligendum) non excludit sed permittit; proindeque textus quicumque cani in ea possunt, dummodo conditiones habeant hac in lege praescriptas, et Liturgiae cantus non deturbentur.

Quid autem in his solemnibus liturgicisque actibus censendum, ad cantiones quod spectat vernaculo idiomate, dum generalis quandoque communio habetur? Respondemus, eiusmodi cantiones nulla ratione vetitas censendas, sed absolute permissas. Primo, quia eiusmodi communio, uti talis, quamdam constituit Missae abruptionem, qua perdurante, cantica ad fervorem cordis in communicantibus excitandum, prohibita dici nequeunt. Secundo, quia talis consuetudo omnino laudabilis, seu Romae seu alibi, iam ab immemorabili obtinuit, ut aboleri vix sine admiratione aut scandalo posset. Tertio, quia salutares nata est producere effectus in communicantibus et aliis fidelibus: ut eiusdem cessatio gravius pareret spiritale damnum, quod pia mater Ecclesia non intendit.

Haec quidem quod spectat solemniores severo sensu liturgicas functiones: nunc de aliis dicendum, quae vel solemnes, vel severe liturgicae appellari nequeunt. In his itaque permittitur lin-

gua vernacula; at verba, ex quibus cantica vel preces constituuntur, probata esse debent iuxta octavum articulum. Sed notatum imprimis volumus, Sacrum Tribunal Rituum satis aliter hic se exprimere atque in septimo. In hoc enim textus *ad libitum* permittit quidem, si tamen approbati ab Ecclesia fuerint: in octavo vero nonnisi devota approbataque generaliter verba exigit. Per quam diversam se exprimendi rationem significatur, in solemnibus liturgicis actibus latini textus approbationem esse debere ab Ecclesia, hoc est a Sancta Sede, a Pontifice, seu etiam, quod idem fere sonat, a S. R. Congregatione: in functionibus vero, aut non solemnibus, aut non liturgicis, verba italico idiomate dicenda vel concinenda satis erit si loci Ordinarius approbaverit, vel probata ex laudabili consuetudine fuerint, vel in iam probatis devotionis libris sint inscripta.

Animadvertendum insuper discrimen quoad verba inter alterum et alterum ex duobus praefatis articulis. In primo namque agitur tantum de *textibus ad libitum*, qui addi functionibus possunt: in secundo autem verba generaliter fiunt de vernaculo idiomate. Hoc autem ostendit, textus in liturgicis functionibus, quae solemnes sunt, ad scholam tantum pertinere cantorum, nunquam vero ad Celebrantem, qui tenetur perfecte exequi, uti quod actus ita quod verba spectat, omnia et solum quae leguntur in Missali. Circa alias vero non solemnes aut extraliturgicas functiones, distinguendum est, cum vel de privata Missa agi possit, vel de aliis functionibus ecclesiasticis, scilicet vel omnino extraliturgicis, vel mixtis, id est, quae partim liturgicae sunt, partim tantum-

modo sacrae. Itaque, si de Missa agatur privata, idioma vernaculum permissum, non respicit Celebrantem, quippe qui in ea facienda Missalis Rubricas in omnibus et per omnia servare debet, sed fideles adstantes, quibus S. R. C. indulget, ut sacras cantiones tunc temporis exequi valeant lingua vernacula. Si vero de aliis etsi liturgicis agatur functionibus, uti ex. gr. de processionibus, aut etiam de extraliturgicis, uti de benedictione privata cum Venerabili, aut etiam de mixtis, uti de eadem benedictione solemni, et de aliis quibuscumque, quae aliquando fieri in Ecclesiis possunt, hisce in casibus lingua vernacula permittitur tam fidelibus, quam ipsi Presbytero aut Clero functionem agenti. Probata nihilominus omnia debent esse semper quae dicuntur vel concinuntur, ut superius dictum est, periculi vitandi causa, ne in ipsis precibus aut laudibus, quae in sacris functionibus locum habent, irrepere errores valeant, aut contra mores aut contra fidem: vel etiam ne aliquid incongrui exoriatur, quod locum sanctum dedecet, uti facile quisque per se intelligit. Ceterum ipse rerum ordo postulat, ut omnia, quae in templis extra Liturgiam fiunt vel dicuntur, iurisdictioni Episcoporum subiaceant.

13. Quae in templis adhibendam tangunt musicam declaratis, ad eam quae ab iisdem arcenda est, S. R. C. devenit. Hinc articulus nonus dicens: Quaevis in templo districte interdicitur musica, sive ad cantum sive ad sonum pertineat, quae indolem profanam redoleat, maxime si variationes, cantilenae, aut recordationes theatrales eam inspiraverint. — Eiusmodi est, quam exequi in Ecclesiis musica prohibemur, reliqua permitti-

tur: illa interdicitur quia dedecet, ista licet quod deceat Dei templum. Profana autem iure dicitur musica, quae vel templo prorsus indigna est, vel eidem non convenit. Indigna est, quae iniquas cupiditates excitare nata est: inconveniens quae aures quidem pulsat, sed vacuum et sine spiritali fructu relinquit spiritum. Cumque musica theatralis profanitatem abunde plus minusve sapiat, hinc ab ea utcumque inspirationem desumere sacra non debet. Eapropter, sive e theatris sit desumpta, sive theatralis quaedam sit variatio, sive talis sit, ut ad theatra mentem vel phantasiam transferat, huiusmodi peculiariter per praesentem articulum musica interdicitur.

Quae profecto incommoda facile vitabunt compositores magistri, si ideas, quibus mens pascitur corque delectatur, haud a profanis accipiant operibus, vel a theatrorum actis, sed a sacra Liturgia, sive uti scientia sive uti disciplina consideretur. Cum autem romani rei musicae doctores, tam anteactae aetatis quam praesentis, id apprime praestiterint, difficile intellectu est, qua de causa hodierni reformatores tot ederint clamores, tot rumores contra Ecclesiarum Urbis musicam excitarint. « Romanae scholae, sapienter inquit alter ex Emis purpuratis Patribus, et pontificiae cappellae ubique locorum ad vitam revocatur musica; nec solum imitanda proponitur in multis cathedralibus, sed et in pluribus minoribus Ecclesiis, communi cum plausu, populique satisfactione (*Ex Votis*) ». Interim, sane mirum! e superiori Italia obstrepere ceperunt quidam, eorumque tumultus, postquam plures paeninsulae civitates pagosque invaserat, Romam usque per-

venit, in cuius musicam, imperitia atque audacia pari, indigne et ignobiliter eruperunt. Sacrorum Rituum Congñis patrocinio, uti par erat, destituti, in Itali Episcopatus praesidio latuere, cum tamen Antistites, paucis exceptis deceptisque, ne primoribus quidem labris negotium attigerant. Similes iure merito eis dixisses, quos Maximus D'Azeglio, Strambini electores alloquens, stultos irridebat, quod ex hac in illam pergentes urbem, tamquam populi personam gerentes se iactabant, et omnes ad reformationem submovebant atque impellebant. Exinde congressus, ephemerides, comitatus, aliaque subsidia eiusmodi, quorum unum tantum visum est propositum: quamcumque velut in coenum proiicere aut vituperare musicam, romanam praecipue, quae omnibus Ecclesiis esse documento potest, unica excepta, quam reformatores exhibebant, ut suum quaestum colerent.

Sed fortasse vitium temporis est: cupiditates rationem e solio depulerunt, quo potitae hominem moderantur. Rebellium e throno expulit reges, et populis dominatur: libido quoque cantus Romanam e templo musicam eiicere conata est, ut universis Ecclesiis veluti domina praesideret ac legem ferret. Nec mirum, si perpaucis quiritatus edentibus, alii quoque ingenue se illis adiunxerint, zeli specie decepti, cum id crebro soleat evenire, quando conquestus audiuntur in facta, quae abusuum specie facile conteguntur. Hinc bellum, nunc publicum, nunc secretum, contra peritorum Urbis fere universas compositiones musicas: ut profana locique sancti indigna diceretur, quam tradiderat nobis Aldega, levis ac nulla quam Battaglia, theatralis quam Capocci, et Moriconi, tae-

dium afferens musica, quam ipsimet Meluzzi at Mustafà arte summa, varietate, miraque harmonia elaborarunt. Horum itaque musica exulet, cum eaque romani cantores, necessitate, inopia, fame compulsi exulatum abeant, ut novi generis musica, religiosa, ecclesiastica, pia, sacra, novaque cantorum schola alteri sufficiatur. Eiusmodine reformatorum votum? Sed a via aberrarunt, in errore versati sunt, nec voti compotes fient. Dum enim suprema Auctoritas musicales magistrorum Urbis elucubrationes prae aliis sacras edicit, temploque apprime dignas, severe nunc prohibet profanam musicam, atque aliam omnem, quae vel a longe theatrum sapit. Ergo romanorum musica magistrorum, qua passim Ecclesiae Urbis in festis recolendis utuntur, est digna laudis, templisque plane convenit, ut de illa sileamus, quae locum romanae erat usurpatura. Eamdem autem exequentibus in Ecclesiis Urbis, praecipueque in Basilicis Patriarchalibus, musicam, sit quoque honor et plausus: quorum ars ac devotio simul, maxime impraesentia, exteris cunctis normae esse valent et exemplo.

14. Hucusque a S. R. Congne statuta musicae naturam atque indolem respiciunt: post haec, nonnulla ulterius S. C. tangit, quae ad modum pertinet illius exequendae. Modus autem primo circa verba versatur, secundo circa partes concinendas. Quod primum spectat articulus decimus praescribit: Ut reverentiae liturgicis verbis debitae consulatur, sacraeque functionis evitetur prolixitas, quivis inhibetur cantus, in quo verba vel minima omissa fuerint, aut extra sensum translata, aut praeter modum repetita. — Quod alterum attinet, undecimus statuit: Prohibetur, ne in membra

omnino disiuncta dispescantur ii versiculi, qui inter se necessario copulantur. — In primo itaque ex relatis articulis triplex habetur inhibitionis obiectus, verborum omissio, immodica eorumdem repetitio, sensus mutatio, Quae, licet parum gravitatis alicui praeseferre posse videantur, nihilominus maximi citra dubium facienda sunt. Dicendi namque formulae liturgicae concinendae, ut plurimum, divinae sunt, uti de Introitu compertum est, de Graduali, de Trisagio, de psalmis, etc. vel saltem pertinent ad Ecclesiam, uti symbolum, vel ex Dei Ecclesiaeque verbis conflatae, uti hymnus angelicus. Iis igitur debitus habendus honor, qui et finem constituit, quem in hoc articulo S. R. C. sibi proposuit. Honor autem exigit primo, ut nullum ex praescriptis verbis in formulis modulandis praetermittatur: ut si aliquid compositores supprimant, iam vitio musica laborare dicenda sit. Quod proinde vel, si fieri possit, in executione emendandum, vel antea corrigenda, ne Dei Ecclesiaeve eloquio inferatur iniuria, dum lex negligitur.

Eoque magis in dicta intendendus animus, quod vel uno quandoque omisso verbo, aut sensus deficit, aut mutatur aut etiam corrumpitur: quod altero loco perpendendum est. Equidem Biblici disputant, utrum sacrae Litterae sint quoad verba spectat inspiratae, vel quod ad sensum tantum pertinet et sententias. Quidquid vero sit, conveniunt omnes in rebus ad mysteria spectantibus, inspirata fuisse verba: quod et ad fidem pertinet. Sed et in reliquis, cum ex verbis efformentur sententiae, quorum haud omnis sensus est proprius, plurimum interest, ut vel minima vitetur mu-

tatio verborum, ne desit sensus, aut alius ab illo evadat, quem sacro textui Ecclesia tribuit. Praesens articulus de sensus corruptione prudenter silet, quam ponere in compositoribus vel cantum exequentibus nefas fortasse iudicavit. Nihilominus perpendendum est, ex translatis, id est antepositis vel postpositis verbis, haud raro eiusmodi confusionem consequi, quae in sensus detrimentum facile vertitur. Ceterum veneratio in sacra liturgica verba requirit, ut privatus homo ab hac mutationis libertate prorsus abstineat; eorumdemque verborum ordinem in componendo periti, in exequendo cantores fideliter devoteque servent, ut genuinus Liturgiae sensus immutatus ubique permaneat.

Quod vel maxima facilitate obtinebitur, si tertium, quod praesens articulus exigit, observabitur: hoc est, si moderatae verborum repetitiones fiant. Finis huiusce legis eodem in articulo indicatur, functionum nempe vitanda prolixitas. Neminem namque fugit, humanam fragilitatem ex sacris diu protractis functionibus toedium pati, ex quo devotionis languor, nisi ob locutiones et risum ipsamet templo Dei debita reverentia deficiat. Nos quidem non latet, saepe urgere repetitionum necessitatem, ut rythmus musicus servetur; at compertum quoque habemus, identidem compositores effraenatae indulgere voluptati easdem cantilenas ad satietatem usque repetendi. Hinc fit, ut partim ob repetitionem verborum ex necessitate servandi rythmi, partim ob repetitas ex voluptate phrases, vel integras quoque musicae periodos, Liturgiae partes velut in infinitum

producuntur (1). Mira quidem ecclesiasticorum patientia! Qua nihilominus etiam posita, persaepe nequeunt, ut ipsimet fatentur, quin terminum exoptent actus quamdam, ad diuturnitatem quod spectat, relationem cum aeternitate dicentis. Moderatione itaque in omnibus opus est, et maxime in hac observanda regula, unde templis incrementum decoris, maior audientibus spiritalis utilitas.

Cum praefatis nectitur quoque alter ex relatis articulis, de quo nonnihil breviori calamo dicemus. Prolixitas namque etiam vitatur, si versus necessariam inter se relationem habentes, in sacro elucubrando concentu non dividantur; cum facilius tunc reperietur modus obtinendi rythmi, quin necessitas repetitionis oriatur. Hoc autem, quod praesens articulus statuit, eo magis grave apparet, quo eius inobservantia ordinem subvertit sensuum, quos unaquaeque Liturgiae pars includit. Ita ex. gr. hymni angelici initium « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis » necessario connexum fert sensum, quemque multitudo militiae caelestis una simul concecinit in Christi Nativitate pastoribus annuntianda. Hinc nonnisi violenter in duo discerperetur membra, tamquam divisa, quae angelica harmonia coniunxit. Addas velim, hanc unam et integram hymni partem a qua denominatur angelicus, esse procul dubio a caelestibus spiritibus allatam, reliquarum

(1) Plures audivimus ac dignissimos fide, narrantes, in concitatis flexionibus ultimae hymni angelici partis, seu « Cum Sancto Spiritu etc. » in quibus tantopere se placent tot musicae compositores, concentos a cantoribus fuisse viginti millia *amen???*

certus nescitur auctor, sed ab angelis non esse compertum est. Qui vero haud necessario inter se nexu colligantur, dividere versiculos licebit; sed caveant magistri, ne versus in membra dividant, quae nihil aut fere nihil significant, utpote a praecipuis, quibus relationem dicunt, partibus disiuncta. Ceterum, ut propositum duorum, de quibus est sermo, articulorum attingatur, optime se gerent compositores, si haec tria consequenda sibi statuant, brevitatem, utilitatem cantantium et audientium, domusque Dei honorem: reliqua, scientia et ars musicae suppeditent.

(*Continuabitur*) D. C.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1894.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 11, pag. 668*).

Quaeres 7. In quamnam Ecclesiam convenire debeant associaturi funus?

Resp. Ecclesia parochialis esse debet, nisi consuetudo aliud determinaverit. Quod si Clerus Cathedralis Ecclesiae associare funus debeat, omnes ad eam conferre se debent, ut ad domum defuncti pergant, uti a S. R. Congñe Decretis suis firmatum est.

Quaeres 8. Quibus induti vestibus funus associantes esse debeant?

Resp. 1. Singuli ex Clero saeculari, superpelliceo de more sint induti, unique Parocho defuncti stolam deferre licet, atque etiam, si opus fuerit, pluviale, utrumque coloris nigri. 2. Regulares et Confraternitates proprio relativo habitu induuntur. 3. Sacros autem ministros dalmaticis indutos Rituale non supponit, et S. R. C. positive excludit (*Tuden. 23 Maii 1846 ad 10*).

Quaeres 9. Quinam ordo in deferendo funere tenendus?

Resp. Consuetus, de quo alibi, ordo processionum et in casu tenendus. Sed specialiter animadvertendum, Parochum defuncti ultimum dignioremque locum in associatione sibi vindicare. Si tamen intervenerit Collegium Canonicorum Ecclesiae Cathedralis aut Collegiatae, post ipsum Parochum illud de iure incedit. Cleros singulos praeterea, quamvis diversos, una tantum crux praecedet, sub qua omnibus incedendum, eaque aut paroeciae defuncti, aut Cathedralis erit Ecclesiae vel Collegiatae, nisi aliter consuetudo ferat, si eius Clerus funeri interfuerit. Denique in Ecclesiam, in qua tu-

mulandus erit defunctus, funus recto tramite perget (1); in eaque, si Parochus defuncti iurisdictione non gaudet, illius Parocho primas cedet (2), ut officium super cadavere faciat, et reliqua absolvat, quae Rituale Rom. praescribit.

§ 2.

DE ORNATU FERETRI ET DEFUNCTORUM OFFICIO.

Quaeres 1. Quomodo feretrum ornari debeat?

Resp. 1. Si feretrum cooperiatur, panni color niger sit oportet pro quibuscumque defunctis, nisi de parvulis agatur, pro quibus albus adhibendus in innocentiae signum (3). Ornatus autem panni, vel albi vel flavi coloris esse potest: quod et de cruce, quam in illo convenit apponi, intelligitur. 2. Super feretrum collocari possunt insignia honoris, dignitatis, ordinis, quae defuncto conveniunt. 3. Flores, vel ex floribus sive fictis sive veris coronae, de iure apponendae super vel circa feretrum non sunt, quod Rituale Romanum de his taceat, dum explicite de iisdem loquitur

(1) Decreta id praescribunt, et sapienter: ne deductio funeris in profanae pompae ac vanae ambitionis signum vertatur. Nihilominus ait Martinucci: « Si domus proxima esset Ecclesiae, licebit inire longiorem viam, ut possit aequo modo explicari processio (*Lib. IV*, *cap. VIII*, *n. 19* (*a*)) ».

(2) Arbitramur, necessarium non esse in casu, ut Parochus defuncti stola se exuat pro Ecclesia aliena ingredienda, quod ex falso iurisdictionis, quam stola significare dicitur, principio derivat. In casu nonnisi officii signum stola est.

(3) Album colorem pro puellis innuptis S. R. C. sapienter inhibet (*Briocen. 21 Iul. 1855 ad 13*); innocentia enim, peculiariter carnis integritas iure praesumitur in parvulis ante rationis usum e vivis sublatis, sed praesumi saepe nequit pro innuptis puellis, imo et pro religiosis feminis, etiam citra culpam. Cavendum proinde, ne ob legis inobservantiam occasio praebeatur infirmis admirationis et risus.

pro parvulis (1). 4. Cerei circa feretrum de more accenduntur, plures numero, vel pauciores, iuxta defuncti vel haeredum voluntatem. 5. Pallia, vel alia ornamenta altaris ad ornatum feretri adhibere vetitum est (*Rit. Rom. Tit. VI, cap. 1, n. 6*).

Quaeres 2. Num cantus, vel recitatio, officii defunctorum pro die obitus praeceptivus sit?

Resp. 1. Responsioni affirmativae favere videtur modus loquendi Ritualis Romani: " Nisi quid impediat,... dicatur Officium defunctorum etc. (*Tit. VI, cap. 3, n. 4*) ". Alibi autem praescribitur saltem unum Nocturnum, si habeatur angustia temporis, vel aliorum funerum instans necessitas (*Loc. cit. n. 16*). Item favet quoque Ecclesiae pietas, quae meliori qua potest ratione vult defunctis suffragari, ut quam citius aeternam requiem acquirant.

Resp. 2. Officium defunctorum pro die obitus, idem a fortiori dicas pro aliis diebus, non est per se praeceptivum. Ratio est, quia Rituale Romanum, quamvis prohibeat, ut Parochi aliique Sacerdotes pro exequiarum causa quidquam paciscantur; supponit nihilominus consuetas eleemosynas in illos erogari. Hinc superallata Ritualis verba, ita communiter explicantur, ut, praefatis eleemosynis erogatis vel erogandis, officium defunctorum ex obligatione recitetur, uti pro

(1) Consuetudo nihilominus coronarum ex floribus satis iam invaluit, neque ex licita forte origine: quas tamen bona fides ac pietas fidelium in defunctos quodammodo cohonestant. Id unum est indubium, cum eiusmodi coronis, praesenti consuetudine perpensa, longe aliud fideles intendere, quam innocentiam vel carnis integritatem, pro omnibus namque indiscriminatim adhiberi solent. Nonnisi actum pietatis dictae coronae significant, et cordis affectum, quo in carorum memoriam superstites feruntur. Hinc, cum aperte non sint contra, sed tantum praeter Rubricas, rectoque sensu explicari valeant, spreta origine, saltem uti tolerantia dignae considerari posse videntur.

Missae applicatione usuvenit. Non enim officium defunctorum ad suffragia necessaria pertinet, uti aliae preces ac pia officia, quae ex universali consuetudine ac Ritualis lege nunquam omitti debent. Haec quidem, nisi consuetudo vigeret alicubi officium defunctorum gratis recitandi vel cantandi.

Infer, defunctorum officium, vel recitandum, vel cantandum, vel integrum, vel unum cum Laudibus Nocturnum dicendum, iuxta petentium, qui eleemosynas erogant, voluntatem.

Quaeres 3. Quomodo officium defunctorum dicendum?

Resp. Officium defunctorum, sive cantetur, sive recitetur, iuxta Rubricas dicendum est.

Inferes 1. Diebus, sicut obitus, ita etiam aliis in Rituali nominatis, officium defunctorum semper sub ritu duplici dicendum sive integrum sive non, sive cantetur sive recitetur. 2. Die obitus, si unum dicatur Nocturnum, quod primum esse debet, in aliis autem iuxta feriam, Invitatorium omitti non debere, sicut in aliis temporum adiunctis omittitur: semper autem additur, cum integrum recitatur officium. 3. Item, psalmo consueto omisso, cum versibus et Oratione officium terminandum.

Quaeres 4. Utrum defunctorum officium die obitus semper dicendum, si expetatur?

Resp. Negative, cum dentur dies impediti, in quibus vetitum est. Sunt autem ii omnes, in quibus Missa defunctorum cum cantu ratione specialis solemnitatis interdicitur: nempe dies omnes in quibus celebrantur solemnitates maximae, seu universalis seu alicuius particularis Ecclesiae.

(*Continuabitur*) Franciscus Stella P. C. M.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XII.

DE ALTARI PRIVILEGIATO (1)

In Ecclesia collegiata non ignobilis civitatis extabat altare Divo Gregorio Magno dicatum, cui adnexum fuerat privilegium indulgentiae plenariae quotidianae pro defunctis, hac conditione, ut in eadem Ecclesia decem saltem quotidie Missae celebrarentur. Quae tamen quibusdam anni temporibus et hebdomadae diebus, praedicationis, infirmitatis, rusticationis, vel aliis contingentibus causis, saepe saepius non attigissent praefinitum numerum, nisi adventitii quidam Sacerdotes absentium Canonicorum defectum supplevissent. Anselmus alter ex Canonicis negat altare indulto gaudere privilegio, nisi praefixus numerus Missarum singulis diebus expleatur, et quidem a Sacerdotibus Ecclesiae addictis: alii tamen communiter contradicunt, quia privilegia, ut fert iuristarum effatum, sunt ampliand. Paucis retro annis, Ecclesia terrae motu hac illac disiecta, mensa eiusdem altaris trabis ictu percussa finditur et consecrationem amittit; exinde Canonici incerti utrum periisset pariter privilegium, illud rursus postularunt pro eodem altari, sed in alia parte

(1) Cum undecim tantum quaestiones solvendae in Academia propositae anno 1893 ex necessitate fuerint, duodecimam praesentem sumpsimus ex nostro archivo liturgico, quae locum habuit die 27 Apr. 1876.

Ecclesiae magis conspicua et magnificentius reaedificato. Vix illud impetraverant, cum visum est novo Collegiatae Archipresbytero Gustavo substituere iconi S. Gregorii imaginem B. V. in caelum Assumptae, reclamantibus Canonicis, qui per hanc mutationem privilegium desinere iudicant, sed perperam; nam Gustavus inibi fidenter celebrat Missas pro defunctis altari privilegiato assignatas; quinimo diebus non impeditis saepe saepius loco Missae *de requiem* legit, vel votivam vel de festo occurrente. Quaeritur:

1° *Quaenam sit origo et antiquitas altaris privilegiati: quaenam etiam vis formulae, qua edicitur, liberari animam e purgatorii poenis quoties in eo Missa celebratur?*

2° *Quibusnam conditionibus concedatur, quibusque causis suspendatur, vel cesset privilegium?*

3° *An Sacerdos qui aliquo titulo in altari privilegiato celebrare tenetur pro defuncto, muneri suo satisfaciat si in diebus non impeditis loco Missae de requiem, aliam de festo vel votivam legerit?*

4° *Quid sentiendum de singulis in casu propositis?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Pii Angelici alumni e Pontif. Seminario Piano, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis: acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Remigium Canon. Arrighi.

I. Prima petitio inquirit de origine et antiquitate altaris privilegiati: inde quaenam sit vis notae formulae, qua dicitur, per Missam in altari privilegiato factam liberari animam e purgatorii poenis.

Perpauca nobis datum fuit monumenta reperire super origine et antiquitate altaris privilegiati: adeo ut aetas prima ad quam eius ascendit origo, fortasse in tenebris obvolvatur. Quae hoc super negatio inve-

nire nobis permissum fuit, sequentia tantum sunt. Emus Bellarminus habet: " Paschalis I indulgentiam ita concessit, ut qui pro anima patris, vel alterius particularis personae defunctae, tot Missas celebraverit in cappella S. Zenonis, quae est in Ecclesia S. Praxedis, animas illas de purgatorii poenis eripiat (*Tract. De Indulg., lib. I, cap. 14*) „. Ex hoc posset inferri ad initium saeculi IX, quo praefatus Pontifex vixit, referendam esse privilegiati altaris antiquitatem; sed et maior fortasse est. Ex quo enim quis aliquid peculiari ratione agit, non sequitur, neminem ante ipsum eodem modo fuisse operatum. Quod ergo Paschalis I egit, alius ante illum Pontifex agere potuit. Bordonius reapse scribit, altare maius Ecclesiae SS. Mart. Cosmae et Damiani Romae a divo Gregorio magno fuisse privilegiatum, uti apud Cavalerium videre est (*Lib. III, cap. XIV, n. 1*). Secundum quod, altaris privilegiati usus ascenderet ad saeculum VI; sed hoc quoque laborat incertitudine, eodem namque uti argumento possumus, quo usi superius fuimus, et aliunde indulgentiarum applicandarum consuetudinem, sive personis, sive rebus, antiquissimam esse in Ecclesia ipsum Tridentinum docet (*Sess. 23, Decr. de Indulg.*). Quidquid nihilominus sit, certum non suppetit testimonium, quo ulterius valeamus progredi ad indulgentiam altaris privilegiati antiquiorem securius adstruendam.

Quod vero spectat originem eiusdem altaris privilegiati, asseri probabiliter potest, initium habuisse ex peculiaribus revelationibus, uti ex. gr. ex illa, qua Iustus monachus dignatus fuit, nisi alia antiquior extiterit (1). Hinc forte ipsemet divus Gregorius, alii-

---

(1) Eventum sic refert Cavalerius: « Iustus monachus, quod tres aureos occultatos haberet, ad vitae extremum a Copioso de-

que Successores plenariam altaribus concesserunt indulgentiam; ut quod Iustus monachus obtinuit per triginta Missarum celebrationem, alii quoque per celebrationem unius in privilegiato altari consequi possent, satisfactionibus Sanctorum et maxime Christi Domini applicatis, quorum thesauri in Ecclesia manent.

Inquirit praeterea eadem petitio de vi formulae, qua dicitur per Missae celebrationem in altari privilegiato e purgatorii poenis animam liberari.

Ante omnia statuendum cum Benedicto XIV, quod omnes communiter docent theologi, certam esse sententiam, indulgentias quascumque defunctis applicari, non quidem ad modum iudicialis potestatis, uti accidit in indulgentiis, quae viventibus conceduntur, sed tantum ad modum suffragii, hoc est auxilii, seu levaminis. Viventes enim fideles potestati Ecclesiae subiiciuntur, haud vero illi, qui iam ex praesenti in aliam commigrarunt vitam. Hinc Ecclesia hoc unum agere

---

tectus, accusatus fuit apud D. Gregorium, qui ad illius resipiscentiam et Confratrum terrorem, communione fratrum, qui consolationis verba facerent, eumdem morientem privavit, et iam mortuum communi reliquis sepultura; ac in fossa in sterqnilinio facta, cum terra cooperiri voluit, iactatis super eum aureis, interim clamantibus omnibus: *pecunia tua tecum sit in perditionem.* Res arrisit votis, et resipuit quippe moriens, et Confratres in medium protulere quaeque, etiam apud se retineri licita. A Iusti morte triginta diebus elapsis, Gregorius Pretioso dixit Monasterii praeposito: Vade itaque ab hodierna die, diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium: vide, ut nullus omnino praetermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non offeratur. Pretiosus dictis paruit, et nocte quadam defunctus Copioso apparens, eumdem monuit de ereptione sua e purgatorii poenis. Fratres vero, subdit idem Gregorius *Lib. IV, Dialog. 55,* sollicite computaverunt dies, et ipse dies extiterat, quo pro eo trigesima hostia fuerat expleta (*Lib. III, cap. XIII, num. 1*) ».

intendit indulgentias applicando defunctis, satisfactionum thesauros iustitiae Dei offerre, eiusque implorare clementiam, ut per easdem reatum poenae, si ei placeat, remittere dignetur animabus piacularibus flammis addictis, quem tenentur exolvere. Deus enim non tenetur *per se* acceptare suffragia huiusmodi, potestque, si velit, ex imperscrutabilibus iudiciis sapientiae suae, nisi et nullum, imminutum certo reddere indulgentiarum effectum, quae defunctis applicantur. Quam iudubiam doctrinam si altari privilegiato applicemus, manifesto apparet, indulgentiam pro defunctis plenariam, licet eiusmodi per se sit, ut e piacularibus flammis liberare eos valeat, imo et propter hoc ab Ecclesia sit concessa; nihilominus, cum applicatio e divina voluntate dependeat, posse suum effectum non sortiri. Praeterea animadvertendum, quod nemo inficias ibit, inter unam et alteram indulgentiam plenariam, si theologice loquamur, admitti discrimen non posse, cum in uno eodemque omnes eaedem indulgentiae conveniant. Hinc dici nunquam potest, indulgentiam altari A adnexam, aliam esse ab illa, qua gaudet Altare B: adeo ut altaria privilegiata, quod attinet indulgentiam, paria sint omnia, hoc est: per Missam, quae in illis celebratur, anima e piacularibus flammis liberari potest. At, si vera sunt exposita, quo sensu intelligendum, quod aliquibus in altaribus scriptum legitur: per sacrificium in iis litatum animam e purgatorio liberari?

Respondemus: aut praefatis verbis hic tribuitur sensus, ut anima, pro qua sacrificii fructus applicatur, infallibiliter e poenis purgatorii eripiatur, aut non. Si primum, nisi Deus significaverit, velle se animam defuncti ex dictis poenis eripere, quoties Missa eo in altari pro illa fiat, relata verba falsum absolute con-

tinent. Namque, seclusa revelatione, numquam asseri cum certitudine potest, indulgentiam plenariam, defuncto applicatam, suum infallibiliter effectum habere, attentis superius dictis. Si autem alius tribuatur praefatae propositioni sensus, tunc ita intelligenda ea verba sunt, sicuti verba Decretorum Pontificum, qui hoc privilegium largiuntur, hoc est: per indulgentiam plenariam defuncti anima, pro qua sacrificii fructus applicatur, a poenis quas patitur liberari potest, et in caelum conscendere. Benedictus XIV, referens huiusmodi privilegium altari principi Bononiensis Ecclesiae Metropolitanae concessum a Gregorio Pontifice XIII, docet, haec fuisse verba, quibus expressum erat: " eam (*animam*) a poenis purgatorii, quantum divinae Bonitati placuerit, per modum suffragii liberari posse (*Instr*, *L VI*, *n. 15*) „. Ut proinde sit concludendum, eodem sensu alias inscriptiones in casu esse intelligendas, quacumque diversa ratione se exprimant.

Notandum nihilominus, spem nostram maximopere, ad hoc quod pertinet, in Deum erigendam esse, cum Ecclesia, quantum potest, nihil praetermittat, ut anima e purgatorii carcere transeat in libertatem regni, et tantum ex Ecclesiae thesauris Deo offerat, quantum per se sufficit, ac superbundat, ut caelestem illico gloriam assequatur.

II. Altera petitio quaerit primo, sub quibus conditionibus concedatur altare privilegiatum, et secundo quibus de causis intermittatur, aut omnino cesset.

Ad primam quaesiti partem reponimus, haud semper eodem modo se gessisse Ecclesiam in altaris privilegiati concessione. Namque animadvertit Cavalerius: " Non desunt altaria, tam ex antiquis quam ex modernis, quorum privilegium nullo Missarum numero est alligatum... Sub Paulo V cantum fuit, altare pri-

vilegiatum pro omnibus defunctis non esse concedendum, nisi in Ecclesiis insignibus, et has censendas tales, in quibus plures celebrantur Missae; et sub Clemente IX et X praefinitus fuit Missarum numerus, scilicet saltem quinque quotidianarum pro privilegio unius diei per hebdomadam, decem pro duarum feriarum, quindecim pro trium, et quadraginta pro quotidiano (*Lib. III, cap. XIV, Decr. XII, num. 1*) „.

Verum successu temporis factum est, ut benigniorem Ecclesia se hac in re ostenderet, et altare privilegiatum Benedictus XIII quotidianum et in perpetuum omnibus Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis et Cathedralibus totius orbis concederet, quin aliquid disponeret circa Missarum numerum in illis celebrandarum (*22 Iul. 1724*). Eadem ratione postea se gessit Clemens XIII cum omnibus parochialibus, iis privilegium concedens altaris privilegiati quotidianum, ad septennium tamen (1), sub hac una conditione, ut Episcopus Ordinarius eiusmodi facultatem peteret et obtineret in singulis septenniis (*19 Maii 1759*).

Itaque, si conditio plurium Missarum celebrandarum apposita in indulto fuerit, non autem comprobata, etiam privilegium per se remaneret suspensum.

---

(1) Hanc nauciscimur occasionem, ut Ven.[les] lectores nostros moneamus, altare istud privilegiatum, esse vere tale in perpetuum; consequenter, etsi facultatem, quam renovare post septennium tenetur Episcopus, non renovet, non ideo cessat privilegium indulgentiae. Hoc et docet, aliis licet verbis, cl. Zitelli (*Appar. Iur. Eccles. pag. 165 in nota*) citans Decretum Sup. Univ. Inquisitionis, idipsum confirmans. Tenor Dubii huiusce Decreti ad rem facientis, quod in Regestis S. C. de Prop. Fide accepimus, sequens est: « An Altare quod ab Episcopo vi num. 8. facultatum extraordinariarum privilegiatum declarari potest, censendum sit perpetuum? R. Affirmative (*S. Off. 2 Iul. 1884, ad 9*) ».

Nihilominus S. C. Indulgentiis et Reliquiis praeposita declarat, suspendi tantum altaris privilegiati Indulgentiam, si Cappellani absentes essent ab Ecclesia ex causa praedicationis in Adventu et Quadragesima, vel aliis de causis ad longum tempus; non tamen si Missarum numerus requisitus adimpleri nequeat ex infirmitate Sacerdotum, vel quod alibi quandoque celebratum eant occasione festivitatum, funerum, aut similium, dummodo id raro contingat (*30 Iul. 1706*). Quod si Sacerdotum numerus, quavis de causa, sic omnino deficeret, ut Missae amplius celebrari non possent, privilegium cessaret, uti eruitur ex alio Decreto praefatae Congregationis (*16 Iul. 1625*).

Quid autem censendum si execretur altare privilegiatum? S. Ind. Coñgtio huic Dubio fecit ipsa satis declarans, non amitti privilegium, si execretur aut destruatur altare, dummodo iterum aut consecretur, aut in eadem Ecclesia construatur sub eodem titulo (*13 Sept. 1723 et 15 Dec. 1841*).

Quid autem, si fatiscens Ecclesia renovetur? Privilegium non amittitur (*13 Sept. 1723*). Quid demum si Ecclesia penitus destruatur, iterumque aedificetur? Eodem modo reponendum credimus, scilicet : privilegium, quod ex necessitate perit ob destructionem Ecclesiae, eadem reaedificata reviviscit, dummodo eodem gaudeat titulo, et antiquae revera sufficiatur: secus nova Ecclesia antiquo privilegio gaudere non valet, quo a nulla auctoritate donata est. Atque ita auctores super hoc inter se discordantes, componi fortasse poterunt. Si enim nova Ecclesia pro antiqua revera construitur, ut eadem moraliter dici queat, non videmus quare de ea non sit praedicandum, quod de altari dispositum est. Equidem decretum 18 Iul. 1712 PP. Capulatis datum, dirutam quamdam Ecclesiam,

quae altari privilegiato gaudebat, supponit, et pro nova Ecclesia denegat indulgentiam. Sed, uti patet, casus longe alius est, cum non agatur de Ecclesia eadem destructa et reaedificata.

III. Tertia petitio inquirit, num satisfaciat muneri suo Sacerdos, qui tenetur celebrare pro defuncto in altari privilegiato, et Missam in festo semiduplici recitat non de requie, sed aut de festo aut votivam.

Respondemus, ius positivum satis hac super re esse perspicuum. Itaque pro certo habendum, Missas de requie permittente ritu, indulgentiam altaris privilegiati lucrifieri non posse, nisi eaedem in paramentis nigri coloris celebretur (*12 Apr. 1840*). Quando vero ritus est duplex, in quo Rubricae Missas de requie inhibent, eadem altaris privilegiati indulgentia optime lucrifieri potest Missam de die celebrando (*Innoc. XI in Const.* Alias, *1 Maii 1688*, *et S. Ind. C. 11 Apr. 1844*). Patet ergo quaesito exhibenda responsio. Namque, quicumque sit titulus, ex quo Sacerdos teneatur Missam pro defuncto facere in altari privilegiato, ideo ad hoc tenetur, ut nempe defunctus idem, favente Deo, plenariam indulgentiam lucrans, caelestem gloriam quantocius obtineat. At huiusmodi finem consequi Sacerdos nequit, quando, dum potest Missam de requie facere in colore nigro, celebrat nihilominus in alio colore Missam, sive de occurrente festo, sive votivam. Ergo non satisfacit obligationi suae, et defunctum defraudat.

IV. Denique ultima petitio iudicium quaerit de singulis in casu expositis.

Reponimus hucusque discussis inhaerentes, quoad primum distinguendum esse inter causam et causam intermissionis numeri Missarum in indulto praefiniti. Si enim haec causa vel praedicatio aut rusticatio, aut alia similis esset, quae tamen ad longum temporis spatium

Missarum celebrationem praescriptam impediret, Anselmus toto iure conquereretur de suspensione privilegii. Nec videtur suppleri posse defectus cum Missis adventitiis, quia forma privilegii eiusmodi est, ut exigat Ecclesiam tot Sacerdotum numero ornatam, quot Missae sunt, quae fieri debent (*16 Iul. 1725*). Si vero Missarum numerus ex parte deficeret ex alia causa, uti esset infirmitas, iter aliquod agendum, vel quid aliud, quae tamen causae pro aliquo vel paucis diebus Missarum aliquarum celebrationem impedirent, tunc iuxta dicta privilegium maneret, hocque in casu iniuste conquestus fuisset Anselmus. Quin imo, etsi unus vel alter deficeret Sacerdos, putat Cavalerius privilegium non suspendi; quia insignitas Ecclesiae, ob quam praecipue illud concessum est, ex eo indubie non infirmatur (*Lib. III, cap. XIV, num. 4*). Atque haec sufficiunt, ut comprobetur adagium, favores ampliandos; sed si ulterius extendatur privilegium, illius videtur natura corrumpi, ut latius interpretetur, quam patiatur.

Ad alterum quod spectat, nempe ad altare execratum, alterumque pro illo aedificatum, alio licet in Ecclesiae loco, respondemus necesse non fuisse sed inutile, alterum impetrare privilegium, quod non perierat primum, uti ex superius dictis constat. At, privilegio impetrato, titulus novus substituitur antiquo, hoc est imagini divi Gregorii altera Deiparae in caelum Assumptae. Animadvertimus, eiusmodi mutationem tituli altaris, aut *liturgice* facta fuit, videlicet mutatus titulus in actu benedictionis (1) vel consecrationis, aut

---

(1) Titulus considerari iure potest uti nomen quod altari imponitur, et iuxta Pontificale Romanum imponitur dum altare benedicitur, aut consecratur. Altare cui superimponitur lapis consecratus, dicitur benedictum et est portatile: altare, cuius tota mensa

extraliturgice, seu potius *antiliturgice*. Si primum, sequitur ex dictis, altare illud privilegium amisisse: si alterum, privilegium perseverare, quia per simplicem imaginis mutationem non mutatur titulus altaris, quamvis haec agendi ratio sit illicita, cum imago Sancti, in cuius honorem Deo dicatur altare, in alteram mutari non debeat. Hinc Gustavus antiquam alteri imaginem sufficiens, impotenter egit; indulgentiam nihilominus lucrari potuit, pro defuncto Missam in eo liturgice celebrando, si reapse sola icon materialis, non titulus mutatus fuit: secus, si mutatus titulus fuit. Denique perperam operatus est, indulgentiamque pro defuncto non est certo lucratus, quoties in dicto altari etsi privilegiato Missam fecit de occurrente festo aut votivam, dum ritus permitteret Missam de requie: quod pariter ex iam expositis satis superque patet.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Ostuno.* **De Missa exequiali in duplici I. classis.** Utrum omnia et tantum festa solemniora primaria, tam in universa Ecclesia, quam in parti-

---

est consecrata, dicitur consecratum et est fixum. Nihilominus animadvertas altare, ut sit privilegiatum, non esse necessarium ut sit fixum sensu mox exposito: namque « Sanctitas Sua edixit et declaravit, sufficere ad constituendam qualitatem altaris fixi, ut in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur (*26 Mart. 1867*) ». Ergo altare *fixum* pro privilegio Indulgentiae plenariae, diversum est ab altari *fixo* sensu liturgico: quod pro confusione vitanda notatum voluimus.

cularibus, excludant Missam de requie, etiam praesente cadavere?

Resp. Affirmative; et exhibita petitio videtur nobis constituere veluti axioma, omnino certum, et nulli discussioni obnoxium, attentis Decretis pluribus S. R. Coñgnis. Nam de festis solemnioribus universalis Ecclesiae non dubitatur, quippe quae omnia sunt primaria, si ea consideres, quae feriatione gaudent, vel ad eam ius habent; et consequentur excluditur festum SS. Cordis Iesu, quod est secundarium. Sed neque dubitari potest de tribus festis localibus, nempe de Patrono, de Dedicatione et de Titulo: quae nisi per se, saltem per accidens, uti de Titulo evenire potest, semper sunt primaria. Cum autem de dictis festis perspicue Decreta loquantur, iam patet, uti axioma indubium posse retineri, festa omnia solemniora primaria tantum excludere, reliqua admittere Missam de requie praesente cadavere. Inferes, feriationem pro festo solemniori constituenda, requiri quidem, si agatur de solemnioribus universalis Ecclesiae, haud vero si agatur de festis particularium Ecclesiarum. Namque certum est, haec tria festa excludere Missam exequialem; et nihilominus ex illis solum Patronum ius ad feriationem habere. Parum ergo interest, si Dedicatio ex. gr. Ecclesiae Cathedralis sit fixa diei Dominico, et cum feriatione recolatur, vel sit fixa diei mensis et celebretur ut plurimum sine feriatione; quia in civitate episcopali est semper solemnius festum primarium, quod Missam exequialem impedit.

II. *Ex eodem loco.* **De festis particularibus ritu dup. 2 cl. affixis diei Dominico non transferendis.** Hic haben-

tur duo festa particularia, Patrocinium S. Blasii, et Patrocinium S. Gregorii Armeni, fixa diebus Dominicis, quae sunt duplicia 1. cl. et facile impediuntur ab aliis festis universalis Ecclesiae. Cum autem semper hucusque translata fuerint, nunc quaeritur, an continuari possit eorumdem translatio, an potius omitti debeant.

Resp. Principium non est inficiandum, festa particularia Dominicis vel feriis affixa, si impediantur, non esse transferenda, sed omittenda. Nescimus autem, utrum exceptio extet pro festis eiusmodi, quae duplicia fuerint primae vel secundae classis; sed non credimus. Nihilominus animadvertendum, saepe a competenti Auctoritate indultum concedi pro illis transferendis, maxime si ritu classico sint praedita. Iam vero, si indicata superius festa semper hactenus translata fuerunt, merito supponi potest ea transferendi privilegium; quod enim semper factum est, nemine reclamante, iure supponitur recte factum. Antequam ergo ad mutationem consuetudinis immemorabilis deveniatur, indulti carentia omnino demonstranda est. Qua posita, potiusquam dicta festa omittere, consultius esset a S. R. C. indultum impetrare.

III. *E Provincia Senensi.* **De consuetudine quarumdam precum pro defunctis in festo Titularis.** Usus hic viget, vi cuius Parochus in festo Titularis, nigra stola sibi imposita, elata voce recitat psalmum *De profundis* cum Oratione pro defuncto Episcopo, quam aptat, mutatis mutandis, pro defuncto Parocho, praedecessore suo. Quid iudicandum?

Resp. Plura sunt decreta, quae in festis solemnioribus, quae indubie Tituli festum comprehendunt, prohibent absolutionem ad tumulum, imo et responsorium pro defunctis. Mentione peculiari dignum credimus Decretum *Lamacen.* quod de responsorio agit pro defunctis ex fundatione dicendum, ac proinde ex obligatione, a Monialibus. Nihilominus S. R. C. illud non permittit in festis solemnioribus, nisi privatim (*8 Iul. 1741*). Porro, in casu nostro, de precibus agitur pro defunctis, quae nullius vi obligationis parochus recitat cum populo, sed ex mera devotione. Agitur praeterea de stola nigra, qua indutus dictas preces defunctorum dicit. Agitur denique de precibus, quae elata voce a praefato Parocho leguntur. Consequenter, Decretis S. R. C. inhaerentes concludimus, Parochum in casu aliquid vitiosi in sacra Liturgia admittere, quod probari non potest.

IV. *E Provincia Veronensi.* **De Litaniis integris iterandis in Ecclesia post processionem Rogationum.** Quaeritur, utrum duplicari debeant, sicut Litaniae, ita et preces, quae ad reditum recitantur in Ecclesia?

Resp. Affirmative. Dubium, uti exponitur, videretur pro precibus intelligere responsoria, quae ipsas Litanias sequuntur post psalmum *Deus in adiutorium;* sed eius expositio nobis exhibita indicat, pro illis cl. Consulentem significare voluisse preces, quibus Litaniarum invocationes absolvuntur, uti ex gr. *Per Baptismum et Sanctum ieiunium tuum etc. Peccatores, te rogamus audi nos etc.* usque ad finem. De his precibus itaque quaeritur, an cum processio in Ecclesiam redierit, duplicari debeant: an potius sufficiat, ut simplici invocationi

cantorum, reliquus clerus aliam partem respondendo canat. At non videmus rationem dubitandi; quia Litaniae Sanctorum in plures dividi partes possunt, quae ex Decreto cl. Consulenti noto, omnes et singulae duplicandae omnino sunt. Ita pars prima est invocatio divinae misericordiae: secunda respicit invocationes Sanctorum: tertiae obiectum est invocatio Dei pro liberatione a malis: quartae, invocatio eiusdem ut nos exaudiat: post quae iterum divina petitur miseratio. Has Litanias demum sequuntur psalmus *Deus in adiutorium* et peculiaria responsoria, denique speciales Orationes. Cum itaque S. R. C. iubeat, Litanias in processione Rogationum esse duplicandas, satis superque patet, omnes esse duplicandas, non earum tantum partes aliquas: secus non comprobarentur duplicatae, nisi partialiter, quod contra legem foret.

Inferes, Litanias pariter, quae post benedictionem fontis duplicari praecribuntur in Sabbato Sancto, eadem de causa in omnibus singulisque partibus esse duplicandas uti patet ex dictis.

V. *Ex Hispania.* **De Praefatione propria pro festo primario recitanda in secundario.** Pro festo primario S. Teresiae Virg. Praefatio propria concessa fuit una cum propria Missa: eadem Praefatio dici ne debet etiam in eiusdem festo secundario?

Resp. Affirmative. Namque S. R. C. non distinxit inter primarium festum et secundarium, sed Praefationem propriam approbavit pro sancta Teresia; ergo in eius festis dicenda, ubi permissa est. Neque dicas, illam Praefationem approbasse pro Missa festi primarii; quia reponimus, aliter

fieri non potuisse, sed semper comprobatur Praefationem ad dictam virginem pertinere, in cuius proinde festis omnibus, imo etiam in Missis illius votivis dicenda est. Nota enim est lex generalis circa Praefationem, vi cuius, quando magis propria habetur Praefatio, semper praefertur alteri minus propriae. Cum ergo specialis detur in casu Praefatio pro S. Teresia, illa utpote omnibus proprior est dicenda, quodcumque eius festum recolatur.

Nota 1. Iterum quaestio nobis mota est super Lectiones I noct. in officio S. Hilarii tempore Quadragesimae, ab Italia, a Gallia, et Hispania. Arbitramur inutile super hoc discutere, post ea quae diximus in ultimo numero *Ephemeridum* (*pag. 627 Dub. X*). Quaestio nonnisi a S. R. Congregatione resolvi potest, cum rationum vis non sufficiat: interim in dubiis libertas. Hac cum occasione notamus, in Dubii solutione supercitata, *Ephemerides* recensuisse S. Ambrosium Doct. inter eos, qui lectionem habent de Sapientia. Quod cum nihilominus veritati non respondeat errorque emendandus, siquidem praefatus Doctor habet *Fidelis sermo*, ea quae ibidem exposita fuere, maiorem vim accipiunt. Consequenter, discussionibus praetermissis, hoc unum remanet, a competenti Auctoritate Dubii solutionem exquirere, quod faciemus.

Nota 2. Duorum Dubiorum, quorum primum respicit hymnorum propriorum dispositionem in die octava, alterum diem propriam quorumdam festorum, solutionem hic praetermittimus; quippe quae in S. R. Tribunali pendet.

VI. *E Galliis*. **De additione unius alteri Titulari in consecratione Ecclesiae**. Ecclesia, quaedam quae

saeculo XII fuit benedicta, nunc consecranda est; et quaeritur, num Episcopus in actu dedicationis possit antiquiori Titulo B. M. Virginis addere etiam novum, nempe S. Stephanum.

Resp. Aliud est mutare, aliud addere: per mutationem namque Tituli antiqui cultus in Ecclesia particulari cessat, quod nefas est, et prohibetur: per additionem vero, cultui antiquioris Tituli, remanentis adhuc, alius superadditur Tituli novi, quod prohibitum ex iure liturgico esse non constat. Cl. Guyetus fuse huiusmodi quaestionem tractat, et concludit, id neque rationi, neque consuetudini antiquorum contradicere; citatque plura exempla, maxime in Galliarum Eccclesiis, vi quorum antiquo Ecclesiae Titulo novus successu temporis superadditus variis de causis fuit (*Lib. I, cap. IV, quaest. 3*).

Institui quaestio possit super qualitate novi Tituli, utrum nempe severiori sensu, sicut antiquior, sit etiam novus superadditus; cum appelletur hic a quibusdam auctoribus liturgicis Titulus quidem Ecclesiae, sed secundarius. At censemus, dato et non concesso, huiusmodi novum Titulum esse secundarium, hoc ad summum significaret, Ecclesiam ab antiquiori Titulo continuare denominationem suam. Sed quod ritum attinet celebrationis illius festi, ex pluribus constat Decretis, eum esse debere duplicem I. cl. cum octava. Hinc quaestio istaec parum gravitatis habet, semperque comprobatur, Titulum superadditum esse Contitularem una cum antiquo: quod et supercitatus Guyetus sentit (*loc. cit.*). Itaque concludimus, posse Episcopum in actu dedicationis vetusto Titulo novum adiungere; et in casu,

cum simul utrumque festum nequeat recoli, unusquisque die suo celebrandus erit, et Rubricae servandae.

VII. *E Dioecesi Septempedana.* **De lectionibus I Nocturni in festo S. Francisci Assisiensis non mutandis.** S. Francisci Assisiensis festum habet lectiones assignatas die 4 Oct. *Iustus etc.* uti ex Breviario patet. Quaeritur, utrum post Decretum *Calagurritana et Calceaten.* 13 Febr. 1892 ad 13 sint necne mutandae?

Resp. Negative. Regulae generali non opponuntur exceptiones, quae illam e contra firmant. Regula autem generalis exhibetur in dicto Decreto, vi cuius lectiones 1.^{m} Nocturni, si e Communi sumendae sint, pro Sanctis, qui obierunt post quadragesimum annum, sunt *Beatus vir:* si vero ante dictam aetatem, sunt *Iustus etc.* Id autem dispositum iudicamus, quia minus provectae aetati lectiones *Iustus etc.* optimam relationem dicunt, non autem aliae, quae omnibus in genere Ss. Confessoribus non Pontificibus aptantur. Sed ex eo non sequitur, non posse sapienter S. R. Congñem easdem lectiones *Iustus etc.* aptare quandoque alicui Sancto, uti in casu S. Francisco, ob speciales rationes, puta admirabilis simplicitatis, singularis innocentiae etc. quibus vir aetate provectus, tamquam parvulus iure merito considerari potest, uti ex. gr. de Saule accidit, cum rex fuit a Deo electus, de quo scriptum legimus: « Filius unius anni erat Saul cum regnare coepisset (*Lib. 1. Reg. 13, 1*) ». Aliquid simile etiam S. R. C. egit circa Evangelium pro S. Confessore non Pontifice, quod pro S. Confessore Pontifice aliquando praescripsit, pro psalmis Vespe-

rarum de Dominica, quos statuit pro festo S. **Agathae** Virg. et Mart. etc. etc. Ita in casu nostro, lectiones pro S. Francisco Assisiensi praescriptae sunt *Iustus etc.* eaeque legendae sunt, nullo pacto mutandae, quippe quae eidem Sancto mirum in modum conveniunt.

Nota 1. Alii proposito Dubio non respondimus, neque respondemus; quia de eo iam credimus dixisse satis; et excusationes facimus apud cl. Consulentem.

Nota 2. Verum quidem, nos aliquando controversias ab aliis pertractatas agere, et aliquem etiam detexisse irreptum in illorum scriptis errorem; sed quibusdam urgentibus de causis id egimus, non est tamen propositum nostrum. Hinc a novo aliarum Ephemeridum examine oramus ut eximamur.

VIII. *E Galliis.* **De concursu inter officium vot. Immaculatae et Dominicam.** Concurrente in Sabbato officio vot. Deiparae Imm. et Dominica, quomodo Vesperae ordinandae?

Resp. Non dubitamus, Vesperas integras *per se* competere Dominicae, idque iuxta Rubricas, quae eam cuicumque semiduplici praeferunt. Nihilominus, cum primas Vesperas Dominica, nonnisi a Capitulo habeat, servandum erit in casu, quod pro alio simili Rubrica statuit. Ex. gr. si Dominica concurrat cum praecedenti semiduplici, statuit Rubrica, Vesperas fieri ad Capitulum usque de praecedenti, a Capitulo vero de Dominica. A pari in casu, Vesperae erunt de Immaculata, et de Dominica fiet a Capitulo. Dubitabis fortasse, quia quandoque Dominica totas sibi sumit Vesperas, mutuans a Sabbato psalmos; sed non est

casus. Namque illud fit, quando dies infra octavam sunt expleti, et nonnisi dies octava remanet de Sabbato, de qua Vesperae nequeunt fieri, quia dies octava ad modum simplicis agenda. In casu nostro vero habemus officium votivum, de quo factum est in Sabbato; ergo optime de eo secundae Vesperae fieri possunt ac proinde debent, uti de semiduplici, et a Capitulo de Dominica.

IX. *E Piceno.* **De quadam cl. A Carpo sententia super praecedentia duorum festorum Deiparae.** Cl. A Carpo haec scribit in sua Bibliotheca liturgica (*Pars quarta, num. 253*): « Ubi B. M. Virgo sub titulo almae Domus Lauretanae sit Ecclesiae Patrona, ibi festo hoc adveniente... cessat octava Imm. Conceptionis, quamobrem die istius octava, si neque duplex aliquod translatum oporteat reponi, neque sit Dominica, Officium persolvitur de sexta die infra octavam sacrae Domus ». Verum concessum nuperrime nobis est festum Translationis almae Domus Lauretanae sub ritu dup. 1. cl. cum octava, tamquam de Patrona totius provinciae picentinae. Ergo ne, adveniente hoc festo patronali, cessabit in nostro provincia octava Immaculatae Conceptionis?

Resp. Iam alibi quaedam notavimus menda, quae in Bibliotheca praefata irrepserant (V. Ephem. *an. 1893, pag. 622 et seq.*), et quae citra controversiam, non viro cl. Aloisio A Carpo, sed aliis tribuenda sunt, cum Opus dictum sit postumum. Cogimur hic ostendere facto quod citato loco possibile diximus, alios nempe errores inveniri in praefato Opere. Itaque quod scribit Bibliotheca liturgica, est certus error et grave, Rubricis adversum, et recto sensui liturgico contradicens,

ac proinde indubie emendandus. Sane Titulus X (*num. 1*) aperte dicit: « Si aliquod festum duplex occurrat... in festo Imm. Conceptionis..., transfertur ». Ponens autem subinde Rubrica exceptiones quasdam ad festum quod attinet solemne alicuius loci, evidenter iterum declarat, ipsum in praedicto festo Imm. Conceptionis non posse fieri. Hinc auctores omnes liturgici docent, hoc festum, uti alia universalis Ecclesiae solemniora, nulli alii festo particulari, licet etiam ex solemnioribus, cedere. Porro octava sequitur festum, uti accessorium principale, sicut fatentur omnes; ergo sicuti festum Imm. Conceptionis praeferendum est cuicumque alii festo, ita illius octava alii octavae cuicumque; quia sicut festum universale solemnius festo solemniori locali, ita eius octava quacumque alia octava locali est dignior. Consequenter fieri nullo pacto potest, ut octava Translationis almae Domus, quamvis sit festum patronale, praeferatur octavae Imm. Deiparae Conceptionis. Eapropter falsum est, quod in Bibliotheca legitur, et verum est oppositum, nempe: absoluto patronali festo almae Domus, eius octavam cessare, usque ad diem 16 Dec. in quo solum faciendum est de octava die dicti festi patronalis, quia festum Imm. Conceptionis cum celebratione diei octavi die 15 mensis absolutum fuit.

Non ab re autem erit rationem detegere, quae errori in Bibliotheca contento occasionem dedit. P. Aloisius a Carpo in suo Calendario Perpetuo eadem tradit, quae postea in Bibliotheca Liturgica inserta fuere (*Calend. Perp. Adnot. in festa Dec. d. 10, n. III*). Sed cl. auctor scripsit Calendarium cum festum Imm. Conceptionis erat

adhuc dup. II classis; ac proinde iusta erat Rubricisque conformis illius doctrina. At evecto hoc festo ad dupl. I. cl. retenta octava, eoque inter solemniora universalis Ecclesiae adnumerato, praefata doctrina erat reformanda ad normam Rubricarum quod ex inadvertentia vel imperitia omissum fuit. Quod cetera magis admirandum, hoc est, redactores Bibliothecae cum cl. A Carpo animadvertisse, festum Imm. Deiparae Conceptionis, ubi esset Patronale, praevalere alteri almae Domus, quod illa cum maiori solemnitate celebraretur (*Locis cit.*). Hoc autem optime suo tempore docuit A Carpo, sed male aetate nostra docuerunt redactores illius. Quia utrumque festum tempore dicti auctoris, quia dup. I. classis, locale erat, et praeferendum erat solemnius in paritate ritus: sed impraesenti festum Imm. Conceptionis adeo est solemne, quia etiam universale, ut solemnius locale dari nequeat. Utcumque itaque rem consideres, Bibliothecae Liturgicae adhaerendum non est amplius in casu, cum falsum citra controversiam tradat.

INDEX
CAPITUM ET ARTICULORUM CUIUSQUE MATERIAE
HUIUS VIII TOMI

Decreta SS. Congregationum.

Ex S. Rituum Congregatione.

Decretum supra *scapulare B. M. V. a Bono Consilio* p. 133
Formula benedicendi hoc scapulare . . . . . . » 135
Elenchus Indulgentiarum . » 137
Ordinis Eremitarum S. Augustini . . . . . . » 138
Triventina. . . . . . . » 195
Super relato decreto animadversio . . . . » 196
Piscien. De annulo canonicorum . . . . » 198
Montis Pessulan. De commem. Patroni . . . . » 257
Suffragium super duobus dubiis ab antistite Nucerinae Paganorum S. R. C. propositis . . . . » 258
Nucerina Paganorum. De sodalitate S. M. a Monte Carmelo . . . . » 267
Quebecen. Dubia varia . » 321
Decr. De missis celebrandis in *aula maiori* Aedis Episcopalis, *Episcopo defuncto* . . . . » 322
Super relato decreto animadversiones . . . . . » 324
Tirasonen. Dubia varia . » 329
Gnesnen. Dubia varia . » 385
Sancti Iacobi de *Chile*. De benedictione danda concionatori inter Missarum solemnia . . . . . , p. 419
Commentarium . . . . » 450
S. Rit. Congregatio et Cantus Sacer . . . . . » 498
*Regolamento per la musica sacra. Parte I*ª. Norme generali per la musica da usarsi nelle funzioni ecclesiastiche . . . . . » 501
*Parte II.*ª Istruzioni per promuovere lo studio della Musica Sacra e per allontanarne gli abusi . . . » 503
Decretum . . . . » 505
In festo S. Vincentii a Paulo conf. *Additiones* . . . » 511
In festo S. Ioannis de Deo conf. *Additiones* . . . » 638
In festo S. Camilli de Lellis conf. *Additiones* . . . » 639
Castri Maris. Dubia varia » 513
Carthaginen. In Indiis. De *mitra pro sacerdotibus* in consecratione Episcopi » 514
Angelopolitana. Dubia varia » 515
Decretum Generale. De solemni votorum professione et renovatione . . . » 517
Decr. Pro moderando cultu Servorum Dei . . . » 519

Decr. Circa festa Primaria et Secundaria. . . . *p.* 520
Decr. Circa festum SS. Cordis Iesu . . . . . . » 521
Decr. nuperrime edita pro recta processuum beatificationis et canonizationis confectione . . . . . . » 569
Resolutiones Sac. Rituum Congregationis. Circa usum linguae Slavicae. . . . » 438
Congregationis Missionis. De officio et missa B. M. V. Immac. a *Sacro Numismate* . . . . » 575

E Sacra Congregatione Concilii.

Platien. Dubii Oratorii . » 117
Firmana. Postulatum circa resignationem beneficiorum . . . . » 121
Castrimaris. Postulatum quoad baptismi administrationem . . . . » 126
Nicoteren. et *Tropien.* Dubii super oratorio Episcopi » 253
Asculana. De servitio chorali . . . . » 439
Urgellen. Circa missarum reductionem . . . . . » 442
Super decreto. Vigilanti studio relatio. . . . . » 445

Dubiorum Liturgicorum solutio scientifica.

E. Cracovia. De *colore paramentorum*, exposito Sacramento in honorem Passionis Domini . . . . *p.* 57
E Galliis. De *Missa pro populo* applicanda in festis patronalibus . . . . » 60
Ex eodem loco. De commemorationibus in Missa de festo solemni *in Dom. sequentem translata* . . » 61
E Dioecesi Veronensi. De non omittendis *alleluia* in introitu *Missae votivae* SS. Cordis Iesu . . . . » 63
E Dioecesi Baionensi. De Sacerdote, alio ab agente Vesperas, *processionem post easdem faciente* . . . » 101
E Dioecesi Labacensi in Austria. De Missa conformi, vi Indulti, officio proprio *pro Sacerdotibus Congregationis Missionis*, dup. 1 vel 2 cl. non occurrente in dioecesi. . . . . . » 103
E Neapoli. De Diacono *vices gerenti Sacerdotis* in ministrando viatico . . . » 105
Ex Ostuno. De anniversario Consecr. Episcopi . . » 108
E Sancto Severino in Piceno. De praescripto *translationis festorum* die . . » 109
E Civitate N. De Missa in *cappellis coemeterii*. . » 110
E Bononia. De duobus festis occurrentibus . . . . » ibi
E Provincia Ianuensi. De *Oratione* post Litanias lauretanas . . . . . . » 112

Ex eodem loco. De genuflectendo vel non ad *Incarnatus* in Missa solemni, *festo Annuntiationis translato* p. 113
Ex Ostuno. De quibusdam cantibus in Missis cantatis » ibi
E Syracusis in Sicilia. De quadam concurrentia . » 114
E Cremona. De *circulis* in Missa non Episcopi . » ibi
Ex eodem lcco. De oratione B. Mariae V. in *novendialibus functionibus* . . » 115
Ex Hybernia. De festo dedicationis omnium Ecclesiarum *bis vel non celebrando* . . . . » ibi
E Gallia. De occurrentia Patroni loci *sine feriatione,* et *SS. Cordis Iesu* . » 178
Ex eodem loco. De *intelligentia* Bullae Pii Papae V circa recitationem Breviarii. . . . . » 180
E Bosnia. De collecta *a domo tua,* quomodo consideranda. . . . . » 183
Ex dioecesi chicagiensi. De *tempore concionis* in Missa » 184
E civitate N. De quadam commemoratione in Missa de dup. 1. classis . . . » 185
Ex eodem loco. De commemoratione in Missa et suffragiis, quando illius *obiectum idem est cum officii.* » 186
E Cracovia. De Eucharistia et Oleo Sancto *uno in vase* non gestando. . . . » 188
Ex eodem loco. De SS. Sacramento, *cooperto capite,* ex necessitate deferendo p. 189
Ex eodem loco. De *materia stolae,* qua non utitur celebrans . . . . . . » ibi
E Bavaria. De *Collecta pro defuncto in Missa* et de illius loco . . . . . » 190
Ex eodem looo. De *qualitate permissionis Ordinarii* pro piis exercitiis in *honorem SS. Cordis Iesu.* . . » 191
Ex Ebroicis in Normannia. De *Angelus Domini* et *Regina Caeli* recitandi modo, et tempore . . . . » 232
Ex Austria et Italia. De *saccharo in vinum immiscendo vel non* auferendae agredinis causa . . . . . » 235
Ex Alexandria in Pedemontio. De privilegio Vigiliae Epiphaniae, num *anniversarium legatum admittat.* » 237
E Dioecesi Dertonensi. De *occursu* inter festum *sept. Dolorum Deiparae* et SS. *Mauritii et Socior.* dupl. mai » 239
Ex Hispania. De *iure* mulieris post partum benedicendae . . . . . . » 241
E Regione Belgica. De *repositione* duorum festorum, quorum *primarium* alterum, alterum *secundarium* . » 242
Ex eodem loco. De Missa convenienti cum officio in *Oratorio privato* . . . . » 243

E Provincia N. De praecedentia in communione recipienda *clericum inter et laicum* . . . . . . *p.* 244
Ex Italia centrali. De Collectis in *Ordinationis Missa* dicendis. . . . . . » 245
Ex Italia centrali. De capite detegendo ad ℣. *Sit nomen Dñi benedictum* » 310
E Dioecesi Briocensi. De *Missa de requie* in die translati festi illam impedientis » ibi
Ex Africa. De consecratione altaris *cum una tantum Reliquia* cuiuscumque Sancti. . . . . » 312
E Montepessulano. De *Ecclesiae Tituli mutatione,* et de *ordine commemorationum* in suffragio . . » 314
E Portu divite. De ratione thus adolendi. . . . » 317
Ex eodem loco. De *trina Missa* a Sacerdote Conventualem canente *die 2 Nov.* aut non dicenda . . . . . . » 319
E Bamberga in Bavaria. De *doctrina ad Ephemeridibus tradita* circa anniversaria et dies 3, 7 et 30 pro defunctis . . . . . . » 356
E Kiang-si Meridionali in Sinis. De consuetudine *contra tertium cereum in Missa,* et *conopeum* super tabernaculo . . . . . » 359
E Polonia. De sensu verborum Ritualis « *Et ingressus* etc. *procumbit seu prosternit se* . . . . . *p.* 361
Ex eodem loco. De *vestis candidae qualitate* pro baptizando . . . . . . » 362
E Dioecesi B. De *colore stolae* Sacerdotis communicantis in Missa . . . 364
E Pedemontio. De quodam festorum occursu et concursu . . . . » ibi
E Mantua. De *festo dup. mai. primario* secundariis eiusdem ritus festis praeferendo . . . . . . » 365
Ex Subalpinis. De loco Thuriferarii in SSmi Sacramenti benedictione . . » 367
Ex eodem loco. De loco Diaconi *a Sanctus* ad *Pater Noster* in Missa solemni non pontificali . . . » 370
Ex Hispania. De Missa principali *pro defunctis* in choro *prima die mensis* . . » 371
E Regione belgica. De *Monito in Ephemeridibus, vulgato* anno 1893, pag. 706. » 419
Ex eodem loco. De translatione *octavae Festi Titularis* . . . . » 420
Ex Hollandia. Iterum de *colore stolae* Sacerdotis communicantis in Missa . » 422
Ex Ulyssipone. De quorumdam festorum *speciali concursu.* . . . . . . » 424
E Dioecesi Labacensi. De Ministro *folia Missalis ver-*

tente, calicem discooperiente etc. in Missa cantata *p.* 425
E Dioecesi Cuneensi. De thure in thuribulum imponendi *in sacrario* ante solemnem Missam . . . . . . » 428
Ex eodem loco. De lectionibus 1. Noct. in officio S. Pauli 1 Erem. *translati in Quadragesimam* . . . . » ibi
E Germania inferiori. De *Missa Sancti commemorati,* quando factum est de Beato dup. in Ecclesia in qua fit de feria . . . . . » 430
E dioecesi Briocensi. De consecrando Episcopo in festis Evangelistarum . » 431
Ex eodem loco. De inclinatione cantantium . . » 432
E Cracovia. De *habitu Sacerdotis* facientis officium in *Matutinis defunctorum* . . . . » 433
E Bavaria. De *qualitate impedimenti* pro anniversario defunct. transferendo . » 434
E Parisiis. De Missis Sanctorum et etiam Beatorum, *Regularium propriis,* ab aliis in illorum Ecclesiis dicendis vel non. . . » 436
E Germania. De tono Orationum . . . . » 478
E Gallia. De *ordine commemorationum* in Vesperis » 481
Ex alio Galliae loco. De modo dirigendae Benedictionis *cum pixide.* . . . . » 482
E Bavaria. De commemoratione *officii occurrentis* in Missa « Rorate » . . *p.* 483
Ex eodem loco. De commemorationibus in quibusdam Missis solemnibus, *ubi non est obligatio chori* . . » 485
E Polonia. De integro psalmo « *Miserere* » dum cadaver ad Ecclesiam defertur » 487
E Belgio. De *nonnullis ritibus* in Benedictione SS. Sacramenti . . . . . . » 488
E Dioecesi Labacensi. De modo thus adolendi *ministris paratis* in Missa solemni » 489
E Nolana dioecesi. De quadam *genuflexione* erga Episcopum . . . . » 490
E Curenna. De Missa exequiali et Oratione *in die obitus translato* . . . » ibi
Ex Urbe. De quarumdam *Vesperarum Ordinandarum* modo. . . . . » 492
Ex Ebroicis in Gallia. De commemoratione Titularis qui est *Nativitas Domini,* in suffragio ad Vesp. . » 493
E Zama aliisque locis. De *pluviali super cappa,* et de usu *mozzetae* . . . . » 494
E Liguria. Super duorum Dubiorum solutione in praeterit. « *Ephem.* » numero (pag. 420, II, et 429 nota). » 495
E Pechino in Sinis. De solemnitate festorum transferenda . . . . » 533

Ex eodem loco. De *hora* Matutini recitandi . . . *p*. 534
E Panormo in Sicilia. De Missa lecta *a Sacerdote infirmo sedente* . . . . » 536
E Lotharingia. De *luminibus in altaribus*, exposito Sacramento . . . . » ibi
E Curenna. De *symbolo* in Missa Tituli Oratorii publici . . . . » 537
E Belgio. De *orationibus extraliturgicis* in Missis de requie cum cantu . . » 538
Ex eodem loco. De expositione Sacramenti *una cum SS. Cordis Iesu simulacro*, et relativis precibus . » ibi
Ex Subalpinis. De intorticiis *ad elevationem* in Missa solemni. . . . . . , . » 540
Civitate N. De « *Alleluia* » post antiphonam « *Exurge Domine* etc. » in processione Litaniarum . . » 618
Ex eodem loco. De usu *gremialis* in Missa solemni *non Pontificali* . . . » ibi
E Dioecesi labacensi. De Missa tamquam solemni . » 619
E regione belgica. De Oratione Sacramenti in *Missa privata* loco solemnis . » 620
Ex eodem loco. De *Doxologia hymnorum propria* in festo SS. Cordis Jesu. » ibi
E Curenna. De Oratione in *anniversariis* extra diem *propriam* . . . . . » 621
E Palma in Insula Maiorica. De *apparatu altaris*, qui festo non respondet . *p*. 624
E Pictavis in Gallia. De *doxologia propria* non substituenda alteri . . . . » 625
Ex eodem loco. De doxologia *Iesu tibi etc*. in Vesp. votiv. Sacram, et Complètorio *feriae V*, sequente festo *Passionis* sine doxolog. propria . . . . » 626
Ex eodem loco. De lectionibus I noct. in festo *S. Bernardi Abb*. extra diem propriam » 627
Ex Hispania. De die octava ad simpl. ritum redigenda *in Dominica II classis*, num 1ae Vesp. habeat . . » 677
E Syracusis in Sicilia. De occursu festorum *Sacrae Familiae* et *Desponsationis* Deiparae . . . . » 680
E Laude Pompeia. De consecratione Ecclesiae, in qua *altare portatile ad modum fixi* consecratum est . » 681
Ex Ostuno. De genuflectendo ad *aspersionem aquae benedictae* in Dominicis . » 683
Ex eodem loco. De consuetudine canendi Missam in *Oratorio privato*. . . » ibi
E Bamberga. De commemorationibus in *Missa de Titulari* etsi sequentem in Dominicam translato . » 684
Ex Hispania. De *Missa votiva* ratione eleemosynae

acceptae *diebus vetitis* non dicenda . . . . . . *p.* 685
E Nicaea ad Varum. De *tabernaculo* et *mappis* altaris . . . . » 688
E Verona. De Orationibus *secunda et tertia* pro commemoratione *S. Hilarionis* in Missa S. Franc. Borgia . . . . » 689
E Dioecesi Senensi. De consuetudine Orationis dicendae in Missis *pro expositione Sacramenti* ex causa privata . . . . » 691
Ex Ostuno. De Missa exequiali *in dup. 1 cl.* . . » 719
Ex eodem loco. De festis partitularibus dup. 2 cl. affixis diei dominico *non transferendis* . . . . » 720
E Provincia Senensi. De consuetudine quarumdam precum *pro defunctis* in festo Titularis . . . . . . » 721
E Provincia Veronensi. De integris Litaniis *iterandis* in Ecclesia *post processionem Rogationum* . . » 722
Ex Hispania. De praefatione *propria* pro festo primario *recitanda in secundario* » 723
E Galliis. De additione unius alteri Titulari *in consecratione Ecclesiae.* . » 724
D Dioecesi Septempedana. De lectionibus I Nocturni, in festo S. Franciscus Assisiensis *non mutandis* . » 726
E Galliis. De concursu inter officium *votivum Imm.* et *Dominicam* . . . . *p.* 727
E Piceno. De quadam cl. A Corpo sententia super praecedentia duorum festorum Deiparae . . . . . » 728

Expositio Novissima Rubricarum Breviarii Romani.

Tit. VII. 1. De Octavis. Continuatio . . . . . . » 139
2. De Octavis, Paschae Resurrectionis et Pentecostes . . . . » 141
3. De festis duplicibus et semid. in Octavis . . » 142
Continuatio . . . . . » 293
Continuatio . . . . . » 641

Institutiones Liturgicae

Cap. I. De Benedictionibus » 173
§. 1. De Benedictionibus in genere . . . . . . » ibi
§. 2. De Benedictionum divisione . . . . » 174
§. 3. De Ministro benedictionis . . . . . . » 176
Continuatio . . . . . » 213
§. 4. De materia et forma benedictionum . . . » 214
§. 5. De observandis in benedictionibus . . . . » 216
§. 6. De benedictionibus in specie seu *constitutivis*, seu *invocativis* . . . . . » 331

§. 7. *Appendix.* De *nonnullis praecipue observandis* in aliquibus ex praefatis benedictionibus . . . . *p.* 333
I. Super benedictione *primarii lapidis* pro ecclesia aedificanda . . . . . » ibi
II. Super benedictione *ecclesiae* vel *oratorii publici* » ibi
III. Super benedictione *sacrarum supellectilium* . » 334
IV. Pro benedictione *campanarum* . . . . . . » 335
V. De benedictione *aquae Baptismalis* . . . . » ibi
VI. De benedictione *domorum* in sabbato sancto . . » 386
VII. De Benedictione *cinerum*, *candelarum* et *palmarum* . . . . » 387
VIII. De benedictione *super populos et Agros* . . » ibi
IX. De benedictione *peregrinorum* . . . . . . » 388
X. De benedictione *in articulo mortis* . . . . » ibi
Cap. II. De processionibus » ibi
§. 1. De processionibus *in genere* . . . . . . » ibi
§. 2. De *ritibus servandis* in processionibus . . . » 391
§. 3. De processionibus *in specie* . . . . . . » 541
§. 4. De processione in *dominica palmarum* . . » 543
§. 5. De processione *litaniarum* . . . . » 577
§. 6. De processione in *festo SS. Corporis Christi* . » 580
Caput III. De exequiis . *p.* 665
§. 1. De ducendis funeribus » 665
§ 2. De ornatu feretri et defunctotum officio . . » 706

Quaestiones Academiae Liturgicae Romanae

I. De almo *Eucharistiae* sacramento . . . . . » 1
II. De almo *Eucharistiae* sacramento . . . . . » 80
III. De almo *Eucharistiae* sacramento. . . . . » 148
IV. De almo *Eucharistiae* sacramento. . . . . » 199
V. De almo *Eucharistiae* sacramento . . . . . » 268
VI. De almo *Eucharistiae* sacramento. . . . . » 336
VII. De almo *Eucharistiae* sacramento . . . . » 398
VIII. De privilegio pontificalium *pro praelatis episcopo inferioribus* . . » 453
IX. De symbolo et iure translationis *in festo secundario Patronorum* vel doctorum . . . . » 522
X. De talari *violacei coloris* habitu in caeremoniarum magistris . . . . . » 592
XI. De Ministro in Missa privata . . . . . . » 654
XII. De altari privilegiato » 709

Quaestiones variae.

Festa primaria et secundaria eiusdem ritus et clas-

sis *diverso ordini* iure meritoque adscribenda sunt. *p.* 11
De *ordine commemorationum in vesperis*, animadversiones. cl. Petri Lafrasse » 29
De *luminibus* ac *floribus* aliisque honoris signis in *funeribus* adhiberi solitis » 39
Consultatio *de secunda oratione ad libitum* in missis quotidianis defunctorum. » 45
Archaeologia. De *momento* et *loco praecisis* Incarnationis verbi Dei . . . » 67
Brevis animadversio *super die vere natalitia* . . » 71
Brevis animadversio *super novo Decreto* circa elogium B. Ioannis Leonardi conf. . . . . » 75
Ephemerides Liturgicae et *Le Canoniste contemporain.* Animadversiones circa *insignia* Canonicorum Eccl. Lauret . . . . » 94
De Muliere Celebranti respondente . . . . » 144
Declaratio Ephem. circa *festa primaria* et *secundaria* . . . . » 218
Utrum sacerdotes, sive saeculares, sive regulares, *utentes ritu a Romano diverso*, teneantur servare omnia Decreta a S. R. C. emanata? . . . . » 228
De Missa convenienti cum officio in *Oratoriis privatis*. . . . . » 284
Quomodo intelligenda verba Brevis *Illud est*, « privilegiis et insignibus (canonici honorarii) tantum utantur in dioecesi, ubi nominati sunt ». . . . . *p.* 350
De controversia quoad *ordinem commemorationum in Vesperis* servandum, cum adnotationibus in oppositum . . . . » 465
Super ordinatione pro *Musica Sacra*. . . . . . » 545
De occurrentia inter festa *Septem Dolorum Deiparae* Virginis et SS. MM. *Mauritii* et Soc. . . . . » 583
De vi consuetudinis in relus liturgicis . . . . . . » 604
Super ordinatione pro Musica Sacra. . . . . » 629
Continuatio . . . . . . » 693

Vita Joann. Petraloisii Praen.

De vita et operibus Ioannis Petraloisii Praenestini *Musicae principis* . . . . » 163
Continuatio . . . . . . » 247
Continuatio . . . . . . » 373
Continuatio . . . . . . » 413
Continuatio . . . . . . » 560
Elenchus praecipuorum Petraloisii operum . . . . » 567

Argumenta varia.

Leoni Pp. XIII. Plausus » 65
Decretum SS. D. N. Leonis Pp. XIII circa *Canonicos ad honorem dictos* . . » 129

Nuncium super audientia Pontificis. . . . . . . *p.* 193
Monitum circa *praecitatum decretum* Leonis XIII » 193
Notitia gravis. De decr. *in Curien.* apocrypho . . » 194
Elogia in *Martyrologio romano* inscribenda . . » 291
Monitum circa *Angelus Dñi* et *Regina Caeli*. . . *p.* 229
Specimen Kalendarii Universalis Ecclesiae pro anno 1895 . . . . » 300
Censura Liturgica . . . » 394
Ius liturgicum ex recentioribus Decretis excerptum » 668

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM QUAE IN HOC VIII TOMO CONTINENTUR

(N. B. Numerus lectorem ad paginam remittit)

A

Abbates, vide *Pontificalia.*

Alba, vide *Expositio solemnis.*

Alleluia, de *non omittendis Alleluia* in introitu missae votivae *SS. Cordis Iesu*, 63 — non est addendum *Alleluia* ad antiph. *Exurge Domine* in litaniis mai. vel min. *ratione temporis paschalis*, 618.

Altare, in *festo S. Ioseph occurrente fer. II. Mai. hebdomadae*, festo translato potest altare *quod non sit chorale* apparari, cum cereis, etc. 624 — de *quorumdam altarium consecratione*, S. R. C. decretum in *Gnesnen.*, 385 — vide *Consecratio altaris, Consecratio Ecclesiae, Episcopus.*

Altare SS. Sacramenti, de *illius ornatu*, casus, 268 — de *lampadum usu* ante tabernaculum Sacramenti, spectata antiqua Eccl. disciplina, 269 — de *lampadum numero* nunc praescripto, 271 — de *materia qua aluntur* inspecta praesenti disciplina, 274 — num *baldachinum seu umbraculum* necessario sit adhibendum, 275 — num etiam in casu, quo habeatur capella *velut ad instar throni*, 278 — quid sentiendum de *expositione Reliquiarum vel alicuius Imaginis* prodigiis illustris B. M. V. vel Sancti, *ibid.* — quid de *missarum privatarum celebratione* in Sacello SS. Sacramenti, 280.

Altare privilegiatum, casus 709 — eius origo et antiquitas 710 — quibus sub conditionibus concedatur quibus ex causis suspendatur, 714 — aut cesset privilegium 716 —

an Sacerdos, qui aliquo titulo in altari privilegiato celebrare tenetur pro defuncto, satisfacia muneri suo diceras Missam votivam vel de festo diebus non impeditis 717 — quid de singulis ut in casu censendum *ibid.*

Angelopolitana, de quibusdam consuetudinibus in *Angelopolitana Eccl. Cathedrali*, 515.

Angelus Domini, in Sabb. Quadrag. *genibus flexis* recitari debet et *ad meridiem Sabb. ante Dominicam Trinitatis*, non *Regina caeli* sed *Angelus Domini* est recitandum, 232.

Anniversarium Consecr. Episcopi, in hoc anniv. *missa solemniter canenda est* et impeditur certo *diebus dupl. 1.ae et 2.ae cl.* in omnibus festis praeceptivis, 108 — si anniv. electionis vel consecr. Episc. occurrat *die 24 Dec.* assignandum est diei primae, in *qua non fit de dupl. 2.ae cl.* ante diem 24. Dec., 321 — si pro hoc anniv. in *diem S. Ioseph incidente* assignata sit dies 20 Martii, in Eccl. Dioeceseos, ubi haec dies est impedita, *nihil fit de hoc anniv.*, *ibid.* — in *ipsa Eccl. Cathedr. est celebrandum*, non vero in alia dioeceseos Eccl., *ibid.* — in celebratione missae votivae ab Episcopo vel coram ipso per accidens impedita, *commemoratio addatur orationi missae de die sub unica conclusione*, *ibid.* — haec commem. ad *omnes sacerdotes intra dioeceseos limites celebrantes* spectat, *ibid.*

Anniversaria defunctorum, seu fundata seu privata *permittuntur in Vig. Epiph.*, 237 — doctrina *ab Ephemeridibus* tradita circa anniv. et dies 3, 7 et 30 pro defunctis *certa est et in praxi tenenda*, 356 — de *qualitate impedimenti* pro def. anniv. transferendis, 434 — anniv. translato *ob Rubricarum impedimentum*, variari non debet oratio *Deus indulgentiarum*, 621 — anniv. ut sint vere talia et notis fruantur iuribus, *non requiritur ut sint fundata*, 675 — anniv. vi Rubricarum impeditum *anticipari vel transferri potest et debet* in primam diem liberam, 676 — idem dicendum de diebus 3, 7 et 30, *ibid.* — ad dies quod attinet, in quibus Anniv. prohibentur, *iuri antiquo adhuc standum est*, *ibid.*

Annulus, de annuli usu in *Canonicis cuiusdam Eccl. Cathedr.* dum sacrum faciunt, decr. S. R. C., 198.

Annuntiatio, festum hoc dupl. II cl. impeditum ob feriam VI Mai. hebd. *recolendum est in alia sede sua*, fer. II. post Dominicam in Albis, et *cuicumque festo praefertur*, 673.

Antonius (S.) de Padua, vide *Concurrentia.*

Aqua Baptismalis, vide *Benedictio.*

Archidioecesis, Pontificis est dioecesim aliquam *ad archidioecesim evehere*, 432.

Aspersio aquae, diebus Dominicis aqua benedicta a *ministris inclinatis* accipienda est, et a choralibus semper *genibus flexis*, 683.

B

Baldachinum, vide *Altare SS. Sacramenti.*

Baptismus, postulatum quoad baptismi administrationem *in domibus privatorum*, 126 — vide *Vestis candida.*

Baptismus adultorum, verba Rit. Rom. in adultorum baptismo « *procumbit seu prosternit se in pavimento et adorat* » in propria significatione accipienda sunt, 361.

Beatificatio, decreta nuperrime edita *pro recta processuum Beatificationis et Canonizationis confectione*, 569.

Benedictio, quid sibi velit *benedicere*, 173 — quo sensu *res vel personae* sanctificari dicuntur, *ibid.* — *a quibus causis* benedictionum institutio repetenda in Eccl., *ibid.* — quibus subsidiis utatur Ecclesia, ut dicta bona *per benedictiones* applicet, 174 — *definitio generica* benedictionis, *ibid.* — praecipuae *benedictionum divisiones*, *ibid.* — quid benedictio *constitutiva*, 175 — quid *invocativa* et *intermedia*, *ibid.* — quid *pro solemni et privata* benedictione intelligatur, *ibid.* — Minister benedictionum est *Sacerdos*, 176 — de benedictionibus *propriis Summi Pontificis*, *ibid.* — benedictiones *Episcoporum propriae* vel iisdem *reservatae*, 177 — utrum Episcopus *delegare* pos-

sit simplices Sacerdotes *pro benedictionibus sibi propriis*, 213 — reliquae benedictiones, sub aliqua tamen limitatione, *a quocumque Sacerdote fieri possunt, ibid.* — *personae laicae vel in sacerdotio non constitutae* per se non sunt capaces benedictiones impertiendi, 214 — num *quaecumque materia* sit benedictionis capax, *ibid.* — materia benedicenda *debet esse praesens*, 215 — pro benedictionibus requiritur *forma*, *quam Ecclesia praescribit, ibid.* — de *loco* pro benedictionibus, 216 — de *vestibus utendis* in benedictionibus, *ibid.* — quinam *color paramentorum* in benedictionibus adhibendus, 217 — in quibusdam benedictionibus *lumina requiruntur*, *ibid.* — utrum res benedicendae *poni possint super altare*, *ibid.* — quaenam agere debeat Sacerdos in benedictionibus, 218 — *distinguuntur inter se* benedictiones seu constitutivae, seu invocativae, 331 — quales sint benedictiones *invocativae personales*, *ibid.* — quales *constitutivae* personales, 332 — quales benedictiones *reales constitutivae* et quales *invocativae*, *ibid.* — observanda in *benedict. primarii lapidis* pro Eccl. aedificanda, et in benedict. *Eccl.* vel *Oratorii publici*, 333 — servanda in benedictione *sacrarum supellectilium*, 334 — pro benedictione *Campanarum* et *Aquae baptismalis*, 335 — de *domorum* benedictione in Sabb. Sancto, 386 — de *Cinerum*, *Candelarum* et *Palmarum* benedictione, 387 — de benedictione *super populos et agros*, *ibid.* — de *Peregrinorum* benedictione, 388 — de benedictione in *articulo mortis*, *ibid.* — de benedictione *danda Concionatori*, decr. S. R. C., 449 — commentarium, 450 — benedictio SS. P. Leonis XIII. *Ephemeridum redactoribus*, 193 — benedictio *Mulieris post partum* est de iure Parochi; sed quivis alius Sacerdos, si exoratus, *potest eam dare*, 241.

Benedictio SS. Sacram., benedictio cum pixide a Sacerdote *superpelliceo et stola indutus* danda est, 482 — pixis rite collocatur *super mensa altaris* in benedictione *post Viaticum*, non vero in aliis benedictionibus, *ibid.* — dari

potest *velo humerali super planeta* adhibito, 513, 669 — de *nonnullis ritibus* in benedictione SS. Sacramenti, 488.

Beneficia, vide *Resignatio Beneficiorum.*

Bernardus (S), vide *Lectiones.*

Breviarium, per Bullam Pii V circa recitationem Breviarii, *prohibentur libri diversi textus*, 180.

Biretum, vide *Eucharistia.*

Bursa, reprobatur usus *Eucharistiam et Oleum Sanctum* deferendi in *eadem bursa* quamvis bipartita, 188.

C

Caeremoniale Episcoporum, obligat omnes Eccl. sive Collegiales, sive non, 669.

Caeremoniarii, vide *Habitus talaris.*

Camillus (S) De Lellis, additiones ad calcem VI lect. et ad Martyrologium, 639.

Campanae, vide *Benedictio*, *Exequiae.*

Candelae, vide *Benedictio*, *Processiones.*

Canonici, *semper incensandi sunt duplici ductu*, etiamsi Sacramento, tam in missa quam extra missam thus adhibeatur, 317.

Canonici honorarii, de *privilegiis Canonicorum*, qui ad honorem dicuntur, decr. SS. Leonis PP. XIII, 129 — monitum circa praedictum decretum, 193 — quomodo intelligenda verba Brevis « *Illud est* » *privilegiis et insignibus utantur tantum in dioecesi, ubi nominati sunt*, 350 — probatur decr. S. R. C. Canonicis *usque ad praedictum decr.* fas non fuisse insignia canonicalia deferre, *nisi in Eccl. cuius Canonici sunt*, *ibid.* — privilegia Canonicorum non sunt *personalia*, sed *localia*, 352 — neque vi *consuetudinis etiamsi longevae* possunt Canonici per *totam dioecesim* insignia deferre, 353 — exceptio facta in favorem *dioec. Petrocoricensis*, *ibid.* — nihil immutatum est a Decreto « *Illud est* » circa hanc insignium delationem, 354.

Canonizatio, vide *Beatificatio.*

Cantus, permitti nequit *cantus Litaniarum B. M. V.* vel *alia his similia* tempore missae cantatae *etiamsi non conventualis*, 113.

Cantus sacer, S. R. C. *Epistola* ad Italiae Episcopos, 498 *Regula* pro musica sacra, 501 — *Instructiones* pro studio eiusdem cantus promovendo, 503 — Decretum, 505 — commentaria, 545 — litterarum summa, 546 = animadversio super praefatis litteris, *ibid.* — de normis contentis in *prima parte* praesentis ordinationis, 548 — quid anteacta concilia super hac re statuerunt, 549 — de Constit. « *Annus qui* » Bened. XIV, *ibid.* — de primo ordinationis articulo, 552 — *Gregorianus cantus* est solus adhibitus ab Eccl. *in codicibus liturgicis a se approbatis*, 556 — *Poliphonus*, nec non *Chromaticus* cantus convenire sacris functionibus possunt, 558 — dignissima domo Dei aestimatur *Praenestiniana musica*, 629 — ad vitandas *vitiosas executiones musicae polyphonae*, in functionibus *severiori sensu liturgicis Gregorianus Cantus* adhibeatur, 633 — musicus concentus pro organo, *indoli huius instrumenti* respondere debet, 634 — animadvertenda circa *organi pulsandi rationem*, 636 — nullum prohibetur instrumentum sive *a chorda*, sive *a manu*, sive *spiritale* fuerit, *ibid.* — Organa vel alia instrumenta pulsantes vel tangentes, *functionis sacram indolem serio considerent*, 637 — de *idiomate* adhibendo in ecclesiasticis functionibus, 693 — quinam textus *ad libitum*, de quibus art. *septimus* huius ordinationis, 694 — de cantionibus *vernaculo idiomate*, dum *Generalis Communio* habetur, 695 — *Lingua vernacula* permittitur in functionibus, quae vel solemnes vel severe liturgicae *appellari nequeunt, ibid.* — discrimen quoad verba *septimi* et *octavi articuli*, 696 — stricte prohibetur *musica profanae indolis* in Eccl., 697 — Magistri compositores, ideas *a Sacra Liiurgia accipiant* non a profanis operibus, 698 — de modo musicae exequendae *quoad verba* in Eccl., 700 — de *modo* circa partes concinen-

das; *ibid.* — de non *perturbando* verborum sensu, 701 — idcirco *verborum repetitiones moderatae sint*, 702 — de modo *prolixitatem* vitandi, 703.

Celebrans, ad *Lavabo* nequit se ad populum vertere *illum adhortandi causa*, 622.

Cera, commixtio *alterius materiae* in cera pro luminibus liturgicis *nullo pacto prohibita est*, 537.

Cerei pro altari, *pingi possunt* cum id non prohibeatur per Rubricas, 363 — vide *Expositio Solemnis.*

Cereus Tertius in Missa, Rubrica super *tertio cereo* in Missa *non obligat* in praesenti, 359.

Cineres Sacrae, vide *Benedictio.*

Circuli, in missa *proprii Episcopi* tantummodo faciendi sunt, 114.

Collectae, quomodo consideranda collecta *A domo tua* prout in casu peculiari, 183 — de collecta *pro defuncto* in missa et de illius loco, 190 — in collectarum recitatione *optime tenetur ordo missalis*, 242 — in missis Ordinationum collectas pro Eccl. vel pro Papa *caeteris orationibus addere* debet Episcopus, 245.

Color, de paramentorum colore in *expositione Sacramenti* in honorem *Dominicae Passionis*, 57 — color *stolae* Sacerdotis qui communionem *infra missam recipit albus* esse debet, 364 — de intelligentia decr. in *Antibaren.* circa *colorem stolae Sacerdotis communicantis in missa*, 423 — vide *Benedictio*, *Exequiae.*

Commemorationes, de commem. in Missa de festo solemni in *Dom. sequentem translata*, 61 — in commem. faciendis in Vesperis *ordo sequendus est quem statuit Rubrica* (Tit. IX, n. 11), 29 — probatur ex ipsis Rubricis, 30 — huic sententiae favent S. R. C. decreta, 31 — ipsi adstipulantur *omnes Liturgici*, 32 — est plane *consentanea* rationi, 32 — refelluntur dissidentium argumenta, *ibid.* — Sacerdotes celebrantes in Eccl., *qua tanquam propria non utuntur*, si illius Dedicatio cadit in Dominicam stabiliter, in quam etiam stabiliter cadit festum 1.ae cl., *solius Dominicae commem. facere debent*, 185 — non est facienda commem. Sacramenti in *Missa de*

SS. Corde Iesu coram Sacramento exposito, neque in suffragiis *officii votivi Sacramenti*, ubi sit Titularis Eccl., 186 — de commem. Patroni loci et Titularis Eccl. 257 — de *ordine commem.* in Vesperis, 481 — de commem. officii occurr. in Missa *Rorate*, 483 — de commem. in quibusdam missis solemnibus, *ubi non est obligatio chori*, 485 — de commem. in Missa de Titulari, *etsi sequentem in Dominicam translato*, 684 — quaenam sit prima commem. facienda in Vesp. post *Orationem officii* inter illas, quae *per solam commem.* celebrantur, 465.

Communio, danda est prius *clerico si cotta indutus accedat ad communicandum* et postea *laico inservienti*, 244.

Concio, in missa facienda est *post Evangelium* et non post *coopertum calicem* ante *Communio*, 184.

Concurrentia, concurrentibus II.is Vesp. S. Agathae V. M. dupl. et I.is Vesp. Transl. S. Luciae V. M. *eiusdem ritus*, Vesperae erunt *de S. Agatha* cum commem. *festi secundarii* S. Luciae, 114 — Ulyssipone in conc. festorum *SS. Cordis Iesu* et *S. Antonii de Padua*, Vesperae *integrae competunt SS. Cordi* cum commem. S. Antonii, 424 — de concurrentia inter officium votivum Immaculatae et Dominicam,

Conopeum, consuetudo non cooperiendi tabernaculum conopeo *contraria est Rubricis*, 359.

Consecratio altaris, valida est si *una tantum Reliquia Martyris* in sepulchrulo recondatur, 312 — valida etiam est si una vel plures *Reliquiae SS. Confessorum* tantum in sepulchrulo ponantur, 313.

Consecratio Ecclesiae, in qua *altare portatile* ad modum *fixi* est consecratum, valida est, 681

Consecratio Episcopi, fieri potest etiam in natalitiis SS. Evangelistarum *Lucae* et *Marci*, 432.

Consuetudo, quid *possit in rebus liturgicis*, status quaestionis, 604 — ut vim aliquam habeat *debet esse rationabilis*, 605 — non debet *repugnare* liturgicis legibus, 607 — consuetudines. prout in casu, *irrationabiles sunt* et probatur ex Constit. Pontificiis Missali et Breviario

Rom. praepositis, *ibid.* — idem dicendum de *Rituali Romano*; 610 — adducuntur decr. S. R. C., ut res *maiori in lumine* collocetur, 611 — S. R. C. decreta *vim habent derogandi omnes consuetudines*, quae ipsis adversantur, 614 — ut *irrationabiles* reiiciendae sunt consuetudines *contra leges liturgicas* in Missali, Breviario et Rituali Rom. etc. contentas, *ibid.* — consuetudo *debet esse immemorabilis et laudabilis*, 615 — quaenam consuetudines *ut laudabiles habendae sint*, quaenam non, 616 — magna prudentia opus est *ad tollendas inveteratas consuetudines*, 617.

Cor Iesu, utrum per decr. *diei 27 Aug. 1893* derogatum fuerit alteri generali *diei 28 Iunii 1859*, 521 — est *secundarium* Ipsius festum et aliis quibuscumque duplicibus *primariis* eiusdem ritus et classis *locum cedit*, 673 — pro *piis exercitiis in hon. SS. Cordis Iesu*, de quibus in decr. 28 Iun. 1889, *sufficit generalis permissio Ordinarii*, 191 — vide *Concurrentia*, *Simulacrum*, *Missa SS. Cordi*, *Doxologia.*

Corpus Christi, vide *Processiones.*

Crux, vide *Processiones*, *Eucharistia.*

D

Doctores, vide *Translatio.*

Dominica, vide *Octava.*

Doxologia, in off. SS. Cordis Iesu ea doxologia est adhibenda, *quam exigit officium quod recitatur*, 620 — doxologia *hymni Quadragesimalis* est propria hymnorum Vesp. et Matut. *tempore Quadrag.*, ideoque *adhiberi nequit pro aliis hymnis*, 626 — doxol. *Iesu tibi sit gloria* dicenda est ad Vesp. et Complet. fer. V in qua *officium votivum Sacramenti factum est*, quando sequitur feria VI, festum alicuius S. Instrumenti Passionis *non habens doxologiam propriam, ibid.*

Dedicatio, de festo Dedic. omnium Ecclesiarum *bis non celebrando*, 115 — de adsignando anniv. Dedic. Ecclesiae, *quae fit diebus Dominicis*, 385.

Diaconus, deficiente Praesbytero cum licentia Vicarii Apostolici, cum *administrat Viaticum infirmis in exteris Missionibus*, omnia ut *Rituale praescribit* facere potest, 105 — de loco Diaconi *a Sanctus* ad *Pater noster* in missa solemni *non pontificali*, 370.

Dies Natalitia SS., vera Sanctorum *dies natalitia est dies mortis*, 71 — decretum S. R. C. 73.

Duplex, vide *Octava*.

E

Exequiae, pia exequiarum vel funerum solemniter ducendorum consuetudo *semper in Eccl. viguit*, 665 — quid *nunc statuat Rituale Rom.* circa defunctorum cadavera, 666 — quaenam in *ducendo funere* servanda, *ibid.* — agenda *super cadavere* in domo defuncti, *antequam efferatur*, *ibid.* — animadvertenda circa *signum Campanae*, *ibid.* — de *vestibus*, quibus induendus est defunctus, 667 — de ministrorum *sacrarum vestium* colore (in nota), *ibid.* — quare *cereus accendatur* et *frequenter aspergatur* cadaver, 668. In quamnam Ecclesiam convenire debeant *associaturi funus*, 704 — Quibus vestibus induti *ibid.* — Quinam ordo tenendus *in ducendo funere*, *ibid.* —

Expositio Solemnis Sacramenti, *quando* et *qua ratione* in Eccl· *solemnes Expositiones cum Ven. Sacramento* inductae fuerint, 149 — iudicium de *multiplicitate ac frequentia earumdem expositionum*, 154 — Ecclesiae statuta, 155 — quid dicendum de *consuetudinibus prout in casu*, 157 — de *cereorum numero*, 158 — improbatur *usus canendi laudes vernaculo sermone* benedictionis tempore, 159 — item improbatur *usus solius stolae supra cottam* absque pluviali, *ibid.* — *non praescribitur Alba* in expositione *absque ministris*, 170 — neque praescribitur *thurificatio per*

clericum in actu benedictionis et *sonitus campanulae, ibid.* — in solemni Sacram. *expositione post missam*, addenda est *oratio de Sacramento*, quamvis missa *de eodem Sacramento*, legatur, 620 — de consuetudine *Orationis dicendae* in missis pro expositione Sacramenti ex *causa privata*, 691 — vide *Missa SS. Cordis.*

Expositio Sacramenti in Pixide, casus, 336 — quid dicendum *de origine*, huiusmodi expositionis, 338 — num *pro lubito* Parochi vel Rectores Ecclesiae *illam peragere* possint, 341 — non licet pixidem e *tabernaculo extrahere* et super *mensam altaris* vel in *parvo throno* deponere, 343 — neque licet *pixidem e tabernaculo extrahere* ad unicum finem *ut populo benedicatur*, 347 — quid dicendum de *consuetudinibus* in casu propositis, *ibid.*

Elogia, in Martyrologio Rom. inscribenda pro SS., *Septem Fundatoribus*, *Ioanne Berkmans*, *Petro Claver*, *Alphonso Rodiguez*, 291.

Episcopus, dubium super *Episcopi oratorio*, 253 — Episcopo indultum est *altare viaticum*, *ibid.* — Oratorium Episcopi *habet privilegium Oratorii publici*, *ibid.* — quodnam *pro Episcopi Oratorio* intelligitur, 254.

Episcopi Titulares, utrum satisfaciant fideles *missam audiendo in Oratoriis Episcoporum Titularium*, 254 — per S. R. C. decretum ad *Episcopos Titul. defunctos extenditur privilegium* missam celebrandi pro eis *coram cadavere exposito* in propriae Aedis aula maiori, 323 — quid permittat Caeremoniale in *Episcoporum funeribus*, 324 — *quibus Episcopis* huiusmodi privilegium concedatur, 325 — S. R. C. ad *Episcopos Titul.* hoc privilegium extendit, *ibid.* — de *aula* convenienti, 326 — de episcopalibus *indumentis*, 327 — Episcopis Titul. *extra Urbem* vita functis *omnia pontificalia ornamenta dantur*, habitus tantum praelatitius, si *in Urbe decesserint*, 328.

Eucharistia, de almo Euch. Sacramento casus, 1 — quid dicendum *circa asservationem* SS. Euchar. Sacr. quoad *Ecclesias et altaria* spectata veteri disciplina, 2 — quid *praesentibus sanctionibus* dispositum sit, 6 — de Episco-

porum vel Parochorum iuribus *quoad Eucharistiam*, 8 — quid iudicandum de *praxibus in casu expositis*, 9 — quo *ritu exteriori* olim fideles ad *altare accedere soliti essent* ad Sacramentum Euch. accipiendum, 81 — leges, quae in praesenti ritum Communionis moderantur, 91 — non est improbandus usus *patenae grandioris* in communione fidelium, 92 — observanda in *usu* et *custodia* huiusmodi patenae, 93 — quid dicendum de *consuetudinibus* in casu propositis, *ibid.* — in impossibilitate illam deferendi *detecto capite*, caput *pileolo* potius quam *bireto* cooperiatur, 189 — num liceat in eadem Eccl. SS. Sacramentum in *duobus altaribus semper asservari*, 400 — num liceat *ad tempus* et *eodem tempore* in *duobus altaribus* asservari, 400 — num *hac illac*, alicuius sacrae functionis causa, SS. Sacram. *transferre liceat*, 405 — num sit Rubricis consonum ut *throni dorsum contegatur vel ornetur serico damasceno* rubri coloris, 406 — num in eo exponi possit *quaecumque reliquia*, 407 — num *crux*, *de qua in casu*, sufficiat pro Missae sacrificio, 409 — quid dicendum de *secunda benedictione*, nec non de *consuetudinibus* prout in casu, 412 — vide *Bursa*, *Intorticium*.

F

Flores, vide *Cerei pro altari, Lumina.*

Franciscus Assisiensis (S.), vide *Lectiones.*

Funalia, vide *Intorticia.*

Funera, vide *Exequiae.*

Familia Sacra, vide *Titulus Ecclesiae.*

Feretrum, nigro panno cooperiendus *pro omnibus defunctis*, parvulis tantum exceptis, 706 — et qua de causa, *ibid.* in nota — consuetudo apponendi *coronas florum* toleranda, *ibid.* in nota. —

Festum, *universale primarium* praecedit festo *particulari secundario*, 11 — si festum habens octavam *est primarium*, eius etiam octavam *duplex primarium erit* et viceversa,

12 — dies octava SS. App. Petri et Pauli, *duplex primarium et maioris dignitatis* praeferenda est in concursu cum *SS. Cyrillo et Methodio*, pariter dupl. primarium, sed *inferioris dignitatis*, *ibid.* — festa SS. Redemptoris et Commem. Omnium SS. Pontificum *recensentur in catalogo*, a S. R. C. adprobato, *inter duplicia mai. secundaria*, etsi recolantur diverso ritu, 13 — de festorum *distinctione* in ordines diversos, 14 — *subdivisio festorum* in ordines, 15 — notanda circa *tabellas positas ad pag. 26 et 28*, 25 — decretum super *primariis et secundariis festis* in *Curien.* ab Ephemeride *L'Avvisatore Ecclesiastico* relato est apocryphum, 194 — quaedam *Ephemeridum declaratio* circa sensum verborum *Primaria* et *Secundaria*, 218 — de festo *dupl. mai. primario* secundariis festis eiusdem ritus praeferendo, 365 — de *festorum solemnitate* transferenda, 533 — utrum distinctio inter *Primaria et secundaria* festa respiciat sola duplicia 1ae vel 2ae cl. ac duplicia mai., vel *etiam dupl. minora*, tam in *occursu*, quam in *concursu* et *repositione*, decr. S. R. C., 520, 670 — festa particularia Dominicis vel feriis affixa, si impediantur, *non transferenda*, sed *omittenda sunt*, vide *Translatio*.

G

Genuflexio, genuflectendum est ad *Incarnatus* in missa solemni, *festo Annuntiationis translato*, 113 — Clerus ante *Episcopum in habito privato* post Benedictionem transiens *genuflectere non debet*, 490.

Gremiale, usus gremialis in *missa pontificali tantum* locum habet, 618.

H

Habitus talaris, de talari *violacei coloris* habitu in *Caeremoniarum Magistris* casus, 592 — quinam dicantur Caeremoniarum Magistri, 594 — nonnullis privilegiis eos

ditarunt Summi Pontifices, *ibid.* — quomodo esse debeat *istorum vestis*, *ibid.* — *violacea* esse potest, 595 — eam induere nequeunt nisi *in actu sacrarum functionum*, 596 — de *tempore*, quo Caeremoniarum Magistri hoc privilegio cohonestati fuerint, 597 — hoc privilegium *Caeremoniarius tantum Cathedralium* competit, *ibid.* — violaceo habitu uti nequeunt nisi in *exercitio sacrae functionis* et in *Ecclesiis tantum sibi propriis*, 599 — *distinctio* Caeremoniarios inter et Caeremoniarios, 600 — *discrimen* inter Caeremoniarium *Episcopi* et *Capituli* ad *violaceam vestem quod attinet*, 601 — de intelligentia verborum Caeremonialis Episc. « *tantum in functionibus episcopalibus* » *ibid.* — Caeremoniarii prout in casu *legitime fruiti sunt* privilegio *violacei habitus* cum *fascia*, 602.

Hilarius (S)., vide *Lectiones*.

I

Idioma, vide *Cantus Sacer*, *Preces*.

Imagines, virorum ac mulierum imagines, qui cum *fama sanctitatis* decesserunt, pingi possunt in *parietibus Eccl. vel in vitris coloratis*, dummodo *nullum cultus vel sanctitatis indicium* praeseferant, decr. S. R. C., 519, 669 — vide *Altare SSmi Sacramenti*.

Incarnatio Verbi Dei, de *momento et loco* praecisis Incarnationis Verbi Dei, 67.

Inclinatio, de inclinatione Cantantium « *Tantum ergo* » ad verba « *Veneremur cernui* », 432.

Insignia Canonicalia, animadversiones *Ephem. Lit.* in Ephem. « *Le Canoniste contemporain* » circa *usum tibialis et focalis violacei* pro Canonicis Lauretanae Eccl., 94 — de conformitate disputationis *Ephemeridum* cum iis, quae de *Canonicis Lauretanae Eccl.* refert Grimaldi, 96 — de *insignium usu* iuxta *Ephemerides* et iuxta ea, quae statuit *Grimaldi*, 97 — vide *Canonici Honorarii*.

Intorticium, nullum extat decretum praescribens usum *intorticii deferendi a Missae inserviente*, dum Celebrans Eucharistiam ministrat, 437 — intorticia ad elevationem in *omni missa solemni deferenda sunt*, 540.

Ioanna De Arc, monitum de vulgatione decreti *Introductionis causae Beatificationis et Canonizationis*, 192.

Ioannes (S.) de Deo, additio ad calcem VI lectionis et ad Martyrologium, 638.

Ioannes Leonardi (B.), de Eius elogio addendo in Martyrologio, 77.

Ioseph (S.), de quodam decreto S. R. C. relato in Ephem. italica « *L'Avvisatore Ecclesiastico* » censura liturgica, 394.

K

Kalendarium, specimen Kalendarii Universalis Ecclesiae pro anno 1895, 300 — vide *Missa*, *Translatio*.

L

Lampades, vide *Altare SSmi Sacramenti*.

Lectiones, de lectione *festi simplicis* vel ad *instar simplicis redacti* in Vigilia Pentec., 100 — lectiones 1i noct. in officio S. Pauli 1i Eremitae translato in Quad. sunt *de primo loco sumendae*, 428 — in off. S. Hilarii in *Quadrag. translato*, lectiones 1i noct. erunt iuxta emendationem (ut ad pag. 497) de communi *Fidelis sermo*, 429 — lect. 1i noct. in festo S. Bernardi Abb., *quando celebratur in hebdomada cui non assignatur Liber Sapientiae*, sunt de scriptura occurrente, 626 — in off. S. Leonardi a Portu Mauritio, lect. 1i noct. sunt *Beatus vir*, 538.

Leonardus (S.), a Portu Mauritio, vide *Lectiones*.

Lingua in sacris functionibus adhibenda, vide Cantus Sacer, *Expositio Solemnis*, *Preces*.

Lingua Slavica, resolutiones S. R. C. circa usum *linguae slavicae*, 438.

Litaniae, vide *Processiones*, *Cantus* — Litaniae in processione Rogationum *quoad omnes suas partes duplicandae sunt* — in festo *S. Francisci Assisiensis* lectiones 1[i] noct. assignatas die 4 Oct. *Iustus*, uti patet ex Breviario, *mutare non licet*, 722.

Lumina, de *luminibus ac floribus* in funeribus, utrum rationem suffragii habeant, 39 — ipsi humanae naturae *sensus quidam pietatis venerationisque erga defunctos* inditus est, *ibid.* — ad *manifestandos intrinsecos animi sensus erga defunctos* lumina et flores adhibentur, 40 — Ecclesia *semper fovit pietatem et liberalitatem fidelium;* probatur ex actis *SS. Praxedis* et *Pudentianae, ibid.* — allegantur testimonia *Baronii*, *S. Gregorii Nisseni*, *Hieronymi* etc, 41 — lumina, flores, aromata etc. in funeribus adhibita, *suffragii rationem habent*, 42 — explanantur obiectiones, 43 — illationes quaedam, 44 — dum Sacramentum solemniter est expositum in altari principe, *accensa retineri possunt in aliis altaribus* ad honorem Sanctorum, 536.

M

Magistri Caeremoniarum, vide *Habitus talaris.*

Maria V. Immac. a Sacro Numismate dicta, decr. S. R. C. quo conceditur *solemne festum cum officio et missa propriis* sub ritu dupl. 2[ae] cl. in honorem B. M. V. Imm. *a Sacro Numismate* dicta, 575.

Matutinum, in Sinis *Sacerdotes indigenae* sequentes Kalendarium Congr. Missionis, *Matutinum seq. diei recitare possunt hora 2[a] post merid.* praecedentis diei non vi communionis privilegior, sed *vi sententiae probabilis Theologorum*, 534.

Matutinum defunctorum, in matutinis defunctorum *immediate ante missam*, Sacerdos iuxta Rubr. induatur *tantum plu-*

viali et stola supra superpelliceum, 433 — non est genuflectendum ad *Pater noster* ante lectiones in istis matutinis, 434.

Mercimonium Missarum, vide *Vigilanti studio.*

Minister, est licitus usus ministri *folia Missalis vertentis, calicem discooperientis* etc. in missa cantata, 425 — praedictus minister *saltem clericus esse debet*, 426 — de *Ministro* in Missa privata, casus, 650 — utrum seu latinae seu graecae Eccl. antiqua ac praesenti disciplina inspecta, *semper aliquis adesse debeat minister in missa*, 655 — dantur causae, *quae ab inserviente dispensare valent*, 661 — in casu dispensationis *aliqua causa requiritur etsi minus gravis*, 662 — quid de *ministro acatholico* et de reliquis in casu propositis dicendum, *ibid.* — pro Ministro Benedictionum, vide *Benedictio.*

Miserere, cantus Miserere in delatione cadaveris e domo ad Eccl. *abrumpitur cum ad Eccl. ingreditur*, 487.

Missa, Sacerdotes Congreg. Missionis ubique locorum degentes, *missam conformare officio proprio possunt ex indulto*, si dupl. 1ae aut 2ae cl. in dioecesi non occurrat, 103 — in cappellis Coemeterii *etiamsi rite constructae* celebrari non potest, 110 — de Missa Sancti commemorati, quando factum est *de Beato dupl.* in Eccl. in qua fit de feria, 430 — *Sacerdos tertio ordini S. Francisci adscriptus* eiusdemque Ordinis Breviario utens, in oratorio privato ut in casu celebrans, *Missam officio conformem recitare potest*, 243 — de missis *Sanctorum et Beatorum Regularium propriis*, ab aliis in Eccl. illorum dicendis vel non, 436 — Sacerdos ex privilegio in *Oratorio privato celebrans* et *arthritide laborans*, *missam sedens facere nequit* absque indulto pontificio, 536 — consuetudo *Missam canendi in Oratorio privato* sustineri nequit, 683 — de Missa convenienti cum officio in *Oratoriis privatis*, 284 — *quid Oratorium privatum, ibid.* — quid de oratoriis *Seminariorum, Collegiorum, Hospitalium* etc. 285 — quid *Decreta* in propositi dubii expositione citata *disponant*, 287 — *cuinam Calendario* standum est

Celebranti in Oratoriis semipublicis, *si unus tantum Sacerdos missam faceret*, 288 — contradictio inter allegata decreta est *apparens non realis*, 290 — de Missa pro populo applicanda in *festis patronalibus*, 60 — Missa Parochi, Neopresbyteri, Sacerdotis Iubilaris *haberi nequit ut solemnis*, ideoque in iis *omitti nequeunt preces imperatae*, 619 — *Missa « Rorate »* vide *Commemoratio* — de *Missa votiva* ratione acceptae eleemosynae *diebus vetitis non dicenda*, 685 — si Missa votiva Solemnis a S. R. C. conceditur et cum ea Missae privatae indulgentur in honorem alicuius Sancti, *serventur Rubricae quoad Commemorationes*, 668 — certo non constat commemorationem faciendam esse *de officio diei*, 669 — in cantibus missae privatae *vernaculo idiomate uti licet*, 667 vide *Altare SSmi Sacramenti* — in Missa cantata nihil canere licet, *nisi idiomate liturgico*, 676 vide *Cantus Sacer.* — Missa pro expositione, vide *Expositio Solemnis*, *Missa SS. Cordis.*

Missa pro defunctis, praesente cadavere *prohibita certo est die 19a Martii in festo S. Ioseph*, et in *Dominica in quam transfertur illius solemnitas*, non vero salvo meliori iudicio, in die, in quem merum transfertur officium, 310 — in Hispania *ubi die 2a Novembris Missa Trina celebratur*, Canonicus Missam conventualem celebrans, alias duas *de requie*, seclusa lege prohibente, *celebrare potest*, 319 — Missa pro defunctis *prima die mensis non impedita* obligat etiam Cathedrales et Collegiatas, *in quibus non recitatur officium defunct.* prima die mensis non impedita iuxta Breviarium dicendum, 371 — de Missa *exequiali* et *Oratione in die Obitus translato*, 490 — Missa *de requie* ut in *die Obitus* licet pro defunctis cantare *etiam absente cadavere*, dummodo *non ultra biduum* ab obitu, 675 — omnia et tantum *festa solemniora primaria*, tam in universa Eccl., quam in particularibus *Missam de Requie* etiam praesente cadavere excludunt, 719.

Missa SS. Cordis, de hac missa cantata vel privata in altari Expositionis, *quae fit singulis feriis VI Calendis cuiusque*

mensis proximioribus, casus, 199 — num licet *pro lubito* Missam decantare vel privatim celebrare in altari *ubi SS. Sacramentum publice fidelium adorationi exponitur*, extra solemnem Orationem 40 horarum, 200 — Communio *administrari infra missam potest*, in quibus Missae celebratio indulgetur, 206 — de *colore Pluvialis* Sacerdotis functionem post *Missam* peragentis, 208 — devota pietatis exercitia cum celebratione privatae missae coniuncta, ut in casu, *tolleranda sunt*, 210 — toleranda etiam est in hac expositione *imago SS. Cordis*, 211.

Mitra, simplices Sacerdotes in Carthaginensi dioecesi, qui Sancta Sede annuente, *adsistere solent Episcopo consecranti, mitra uti nequeunt*, decr. S. R. C., 514, 669.

Mozzeta, uti licet a privilegium habentibus in *functionibus choralibus*, in *concionando*, sed non in *administratione Sacramentorum* et *Sacramentalium*, 494.

Mulier, de muliere *Celebranti respondente* animadversiones, 144.

O

Occurrentia, in occurr. perpetua *Puritatis B. M. V.* et *Dedic. Ecclesiae Cath.* eiusdem ritus, *agendum est de festo Dedic.* et festum Puritatis reponendum in primam diem liberam, 110 — in occurr. *Patroni loci sine feriatione* et *SS. Cordis Iesu*, de *Patrono agendum est*, 178 — in occur. festi *Septem Dolorum Deiparae translati* et *SS. Mauritii et Sociorum* dupl. mai., *de Martyribus*, ut in casu, *agendum est*, 239 — si festum SS. Sindonis occurrat vel concurrat cum *festo Ascensionis*, *Ascensio praeferenda est*, 364 — de occurr. inter festa *Septem Dolorum B. M. V.* et *SS. Mauritii et Sociorum* summa controversiae, 583 — compendium datae solutionis, 584 — obiectiones contra exposita, *ibid.* — solutio obiectionum, 587 — in occurr. festorum *S. Familiae* et *Desponsationis B. M. V.*, praeferendum est *festum S. Familiae*, 680 — vide *Octava*.

Octava, de octavis abrumpendis *adveniente Quadrag. vel festo Pentec.*, 139 — in Pascha *Resurr. et Pentec.* officium

octavae terminatur in Sabbato sequenti *ad Nonam*, 141 — infra octavas fit de *festis duplicibus et semidupl. occurrentibus*, 143 — fit etiam de *duplicibus translatis* cum commem. octavae, 293 — excipiuntur oct. *Nativ.*, *Epiph.* et *Corporis Christi*, de quibus semper fit. commem., 294 — infra octavas *Paschae et Pentec.* non fit de festo aliquo, *ibid.* — infra oct. Epiph. fit tantum de *Patrono* vel *Titulari* et *Dedicatione*, 295 — infra octavam Epiph. *de quocumque dupl. 1ae cl. fieri potest, ibid.* — non tamen in die octava, 296 — in dupl. 1ae cl. occurrentibus infra oct. *semper octava commemoranda est*, 297 — expositio *textus antiqui* et *textus emendati*, Rubricarum, *ibid.* — infra oct. Corp. Christi fit tantum *de duplicibus, non tamen translatis*, 641 — nisi fuerint 1ae vel 2ae classis, 642 — cum commem. octavae, 643 — de semid. vero cum non transferantur *infra eam fit commem.*, *ibid.* — si infra oct. *Corp. Christi* aliquod semid. occurrat, illa dies licet non per se libera, *libera per accidens evadit*, ut in ea transferri possit dupl. 1ae vel 2ae cl., *ibid.* — probatur, 644 — refelluntur obiectiones, 645 — confirmatur auctoritate *P. Aloisii A Carpo* et *decr. S. R. C. in Grossetan.* die 7a Maii 1853; obiectio in praecitatum decr., 647 — confirmatur exemplo *Calendarii Urbis Romae*, *ibid.* — id valet etiam pro dioecesibus et Congreg., *quae hanc octavam privilegiatam celebrant ad instar oct. Epiph.*, *ibid.* — de *Simplicibus* infra quascumque octavas occurrentibus, *fit tantum commem.*, 648 — de Dominicis infra oct. occurrentibus, *fit officium*, ut dictum est in Rubr. *de Dominicis*, 649 — de Occursu duarum Octav., *ibid.* — quando non erunt celebranda festa novem lect. vel dies Dominica, *fit officium de digniori cum commem. alterius*, *ibid.* — quidam *Canones* circa octavas, 650 — de Octavarum *praecedentia*, *ibid.* — ex duabus Oct. *eiusdem ritus, classis et ordinis* praefertur ea, quae *dignitate personali fit praestantior*, 651 — si Oct. occurrentes pertineant ad festa *in omnibus paria*, de illa agendum erit *de qua actum est festum anterius*, 652 — de

iis qui sequuntur sententiam Cavalieri, qui dignitatem Oct. repetit a *dignitate intrinseca festi, ibid.* — sententia nostra confirmatur ex Rubr. peculiaribus *Brev. Rom. Seraphici* (Edit. Mechlinae 1875), 653 — de die octava *ad simplicem ritum redigenda in Dominica II cl.*, num 1as Vesperas habeat, 677 — Octavae Translatio *de iure non competit officio Titularis translato*, 420 — solvitur obiectio in praemissam solutionem, 495 — eadem competit *eidem Titulari festo reposito*, 422.

Officium, defunctorum pro die obitus *non praeceptivum*, nisi quod consuetae eleemosynae erogantur recitantibus, item pro aliis diebus, 707 — Quomodo dicendum officium defunctorum 708 — Utrum semper dicendum, si ordinetur a parentibus, *ibid.*

Oleum Sanctum, vide *Bursa.*

Oratio, post *Litanias Lauretanas* immutare orationem pro *temporum et festorum opportunitate magis consonum videtur* liturgico sensui, 112 — de *secunda oratione ad libitum* in missis *quotidianis defunctorum* quaestio, 45 — statuitur thesis: in *missis quotidianis defunctorum 2a Oratio est ad libitum*, et praemittuntur aliqua ante probationem, *ibid.* — probatur ex *lege positiva* permittente mutationem *Orationis Deus veniae largitor* in orationem pro *patre et matre* etc., 46 — hoc idem confirmatur *decreto Briocen.* 12 Aug. 1854 ad 10, 47 — probatur *ex recto liturgico sensu*, 49 — melioris notae auctores *uno ore sustinent primam orationem* in quacumque missa de requie *pro ea esse dicendam anima*, pro qua applicatur, 50 — concluditur saltem secundam esse debere pro anima, *pro qua sacrificium applicatur*, 51 — huiusmodi sentiendi modus S. R. C. innititur, 52 — non valet difficultas ex cantu missae desumpta, *ibid.* — expenduntur momenta, *quibus innituntur dissidentes*, 53 — de *tono* Orationum, 478 — Orationes extraliturgicae in missa *de requie cum cantu* iuxta usum vigentem in Belgio, non sunt illicitae, 538 — de orationibus 2a et 3a pro com-

mem. *S. Hilarionis* in missa *S. Francisci Borgia*, 689 — vide *Expositio Sacramenti.*

Oratorium, de oratorio privato *in coemeterio* constructo, 117 — Episcopis adempta fuit a Tridentino *facultas concedendi privilegium celebrandi* in oratoriis privatis, 118 — *signum principale* quo *Oratorium publicum* a *privato* dignoscitur, *ibid.* — requisita pro oratoriis publicis verificari videntur in oratoriis in *coemeteriis erectis* 119 — si istae capellae *oratoria publica declararentur*, multa inconvenientia obvenirent, *ibid.* — concluditur ista oratoria non *posse habere ut publica*, 120 — vide *Episcopus, Missa, Benedictio.*

Ordinatio pro Musica Sacra, vide *Cantus Sacer.*

Organum, de sonitu organi vide *Cantus Sacer.*

P

Palmae, vide *Benedictiones, Processiones.*

Paramenta, vide *Benedictio.*

Patena, vide *Eucharistia.*

Patronus, dubium Episcopi Tirasonen. *quoad dioecesis Patronum* et responsiones S. R. C. 329 — vide *Translatio.*

Paulus (S.) 1[us] Eremita, vide *Lectiones.*

Petrus Aloisius Praenestinus, incipit eius vita, 163 — de ipsius *patria*, 164 — de *praeciso* loco natali, 165 — ignoratur *tempus praecisum* illius nativitatis, 166 — de Aloisii *uxore* et familia, *ibid.* — arbor *genealogicus* Petraloisii, 168 — de primaeva Petri Aloisii aetate, 170 — utrum Romam *fortuito* vel *parentum suasione* se contulerit, 171 — de *primis* in musicae arte Magistris, *ibid.* — de Petraloisii *progressu* in musica, 247 — de locis ia *quibus moratus est arte satis percepta, ibid.* — pueros *Capellae Iuliae* in Basil. Vaticana musicam docet, 248 — primigenia *opera*, 249 — Iulius Papa III inter *Cappellanos Cantores Pontificios* eum cooptat, 250 — Paulus IV aditum Pontificiae Capellae Cantorum, *uxoratis prohibet*, 251 — magnis honoribus afficitur a *Pontificibus successoribus* Pau-

li IV, 252 — *Magister Cantorum ducitur* in Lateranensi Bas., 373 — scribit *Lamentationes* et *Improperia, ibid.* — denuo *Moderator fit Iuliae Vatic. Capellae*, 376 — moderatus est musicam in *Romanorum Principum aulis* ac *quorumdam Purpuratorum*; *ibid.* — eius delectio a *S. Philippo Nerio facta*, in musicae magistrum *Vallicelliani Oratorii*, 377 — amicitiam *Philippi II Hispaniarum regis* obtinet, *ibid.* — consilium capit *una cum uxore Mantuae commorandi*, 378 — Ioannes M.[a] Nanini *musicalem ludum* Petraloisio moderandum credit, 379 — Congregationem instituit, quae a *S. Caecilia nunc nomen obtinet, ibid.* — de quibusdam ipsius *operibus*, 383 — demandatum sibi negotium *alacri animo* suscepit, 413 — de missa *Marcelli*, 414 = exponitur *mens Concilii Trid.* in musica prohibenda in Eccl., 415 — de caeteris Petraloisii *compositionibus, ibid.* — compositiones *alla Palestrina* nuncupatae *absque organis concinendae sunt*, 560 — Petraloisius in suis compositionibus *divini cultus splendorem pro obiecto habebat*, 561 — ultima eius *infirmitas*, 562 — S. Philippus Nerius *eius lateri adstat, ibid.* — ultima Petraloisii *verba* et eius *mors*, 563 — de eius *funeribus* et *sepulchro*, 564 — *festa centenaria* facta Romae et Praenestae hoc anno, 565 — elenchus *praecipuorum eius operum*, 567.

Pileolus, vide *Eucharistia*.

Pixis, vide *Benedictio SSmi Sacramenti in pixide*.

Plausus, Leonis Papae XIII, 65.

Pluviale, adhiberi nequit *supra cappam*, 494 — vide *Matutinum defunctorum, Missa SS. Cordis*.

Pontificalia, quonam tempore Praelatis Episcopo inferioribus concessa fuerint ab Ecclesia, 454 — quid vero hac super re ab Ecclesia dispositum sit, *ibid.* — de *Protonotariis Apostolicis* ipsorum *distinctione et origine*, 459 — difficile est assignare tempus, in quo *cum Praelatis adnumerati fuerint, ibid.* — de ipsorum *praecedentia* super Archiepiscopos, *ibid.* Sixtus V, *confirmat et auget* eorumdem privilegia, *ibid.* Pius IX, nonnulla *Protonotariorum*

pri vilegia *declarat et limitat*, 460 — non potest opponi contra ipsorum privilegia *Constitutio 29 Aug. 1872*, *ibid.* — num limitatio *quoad Pontificalia Romae celebranda* per Protonotarios ab ultima *Constitutione Apostolica* facta, comprehendat *Regulares Abbates* sive in suis, sive in alienis Eccl. celebrantes, 462 — solvuntur obiectiones prout in casu, 464.

Purificatio B. M. V., vide *Processiones.*

Praecedentia in processionibus, suffragium super duos dubiis circa locum in processionibus tenendum a *Consodalitate Tertii Ordinis*, 258 — decretum S. R. C., Nucerina Paganorum, 267.

Praecedentia, de quadam cl. A Carpo sententia *super praecedentia duorum festorum Deiparae*, vide *Octava.*

Praefatio, praefatio propria concessa pro *festo primario S. Theresiae Virg.* cum propria missa etiam in *eius festo secundario dicenda est*, 723.

Preces, in *functionibus non stricte liturgicis* preces vernaculo idiomate recitare licet, 540.

Processiones, Sacramenti processio post *Completorium* vel *Missa* fieri potest a Sacerdote, *alio ab agente Vesperas*, 101 — quid processio liturgica, 389 — quotuplex, 390 — de processionum *origine* et *antiquitate*, *ibid.* — de cuius auctoritate fieri possint et debeant, *ibid.* — Ordo in processionibus servandus *circa personas*, 391 — ordo tenendus inter *diversas familias* seu *Regularium*, seu *Tertiariorum*, seu *Confratrum*, *ibid.* — quare Sodalitates *indutae esse debeant*, 392 — de *Cleri habitu* in processionibus, *ibid.* — quinam ex Clero *uti valeant stola* in processionibus, *ibid.* — quid circa *Crucem et Vexilla* animadvertendum, *ibid.* — observanda super Sanctorum Reliquiis, quae in *processionibus deferri solent*, 393 — quid servandum *circa cantum* in processionibus, 394 — de processionibus in specie, 541 — de origine et institutione processionis *in festo Purificationis*, *ibid.* — quinam *finis* huius processionis, et *quinam praecipui ritus*, 542 — utrum *egredi extra Ecclesias* possit vel debeat,

ibid. — de antiquitate processionis in *Dominica Palmarum*, *fine* huius processionis et *praecipuis ritibus*, 543 — de huius processionis *obligatione*, 544 — de *Litaniarum* processione, 577 — de *praecipuis ritibus* huius duplicis processionis, 578 — de *obligatione* huius processionis, 579 — Regulares ad hanc processionem *compelli possunt ab Episcopo*, *ibid.* — quis et quando processionem institut in *festo Corporis Christi*, 580 — quibus de causis huiusmodi processio instituta fuerit, *ibid.* — Cui competat *Sacramentum deferre in hac processione*, 581 — nequit a *pluribus Sacerdotibus* in processione Sacramentum *successive deferri, ibid.* — non potest Sacramentum *super currum triumphaliter deferri, ibid.* — plura *erigere licet altaria in viis*, ibique in laudem Sacramenti *aliquid canere*, et populo *benedicere*, uti etiam in aliis Ecclesiis, *ibid.* — de huius processionis *peculiaribus ritibus*, 582 — quid iudicandum de *Puerorum usu* hac in processione, *ibid.*

Processus Beatificationis, vide *Beatificatio.*

Professio Solemnis, vel *renovatio votorum*, utrum et quomodo *intra missam* peragi valeat, 517 — S. R. C. decretum, 669.

Protonotarii Apostolici, vide *Pontificalia.*

R

Reductio Missarum, circa missarum reductionem, Urgellen., 442.

Regina caeli, vide *Angelus Domini.*

Regulares, vide *Processiones.*

Reliquiae, vide *Altare SS. Sacramenti*, *Eucharistia*, *Consecratio altaris*, *Processiones.*

Renovatio votorum, vide *Professio solemnis.*

Repositio, in translatione Cathedrae *S. Antioch. Petri* et *S. Benedicti Abb.* est reponendus prius S. Benedictus, 243.

Resignatio Beneficiorum, postulatum circa beneficiorum resignationem, 121.

S

Saccharum, immisceri nequit in vinum *auferendae agredinis causa*, 235.

Sacerdotes, sive Saeculares sive Regulares, utentes ritu *a Romano diverso* in Ecclesia Latina, servare tenentur omnia decreta particularia S. R. C. *ipsum ritum* spectantia, 229 — non autem *ritus particulares* generalibus decretis parere debent, 231.

Scapulare B. M. V. a Bono Consilio, decretum, 133 — formula benedictionis, 135 — *indulgentiarum* elenchus, 137 S. R. C. decretum approbationis, 138.

Semiduplex, vide *Octava*.

Servitium chorale, petitio reductionis *servitii choralis*, *Asculana* decr. S. R. C. 439.

Signa honoris, non *eadem* debentur Canonizatis et Beatificatis, 75 — quandoque ex benignitate Romanorum Pontificum *indulta sunt Beatis* signa Canonizatorum *propria*, 76.

Si iniquitates, haec antiph. *antequam cadaver e domo efferatur* solum habet initium ut in semiduplicibus, 434.

Simplex, vide *Octava*.

Simulacrum B. M. V. Perdolentis, de cultu exhibito cuidam simulacro *Virginis Perdolentis Trivent.* in Eccl. S. Crucis, S. R. C. decr. 195 — super relato decreto animadversio, 196.

Simulacrum SS. Cordis, exponi potest in *altari expositionis SS. Sacram.*, 539.

Sit nomen Domini Benedictum, ad hunc versum *caput detegendum est* sive canatur, sive recitetur sub organo, 310.

Sodalitates, vide *Processiones*.

Stola, extra missam non prohibetur usus stolae *non ex serico confectae*, 189 — vide *Color*, *Expositio Solemnis*, *Processiones*.

Suffragia Sanctorum, vide *Titularis Ecclesiae*.

Supellectilia Sacra, vide *Benedictio*.

Symbolum, de Symbolo in missa Tituli Oratorii publici, 537 — vide *Translatio.*

T

Tabernaculum, vide *Expositio Sacramenti in Pixide, Altare SS. Sacramenti.*

Thronus, vide *Expositio Sacramenti in pixide, Eucharistia, Altare SS. Sacramenti.*

Thuriferarius, de loco thuriferarii in *SS. Sacramenti expositione*, 367.

Thurificatio, in missa solemni in Cathedr. Ecclesiis Celebrans *triplici* ductu, Canonici *duplici* et Ministri simplices Presbyteri *unico ductu* thurificantur, 489.

Thus, reprobari nequit consuetudo *thus in thuribulum imponendi* in Sacrario ante *missam solemnem*, 428.

Titularis Ecclesiae, in consecratione Eccl. *quae prius tantum benedicta fuerat* Episcopus propria auctoritate antiquum Titulum *mutare non posse videtur*, 315 — Episcopus in actu Dedicationis antiquiori titulo *novum etiam addere potest*, 718 — optime celebrabitur III. Dom. post Epiph. festum Titul. *S. Familiae* quocumque die celebratus antiquitus fuerit, 316 — Commem. Tituli *S. Familiae* in suffragiis ante *caeteros Sanctos* facienda est, *ibid.* — an omittendae essent commemorationes *de B. M. V., de S. Ioseph, et de SS. Corde Iesu*, 317 — ubi Titul. est *Nativitas Domini* antiphona congruentior in commem. Titul. ad Vesp. est *Gloria in excelsis*, 493 — de duplici Titul. decr. S. R. C. *Castri Maris*, 513 — de consuetudine quarumdam precum pro defunctis in *festo Titularis*, 721 — vide *Octava.*

Translatio, cum festum aliquod impeditur die sua in *primam diem liberam* et non ultra transferendum est, 109 — de *Symbolo* et iure translationis in *festo secundario* Patronorum vel Doctorum, casus, 522 — num ius habeant Translationis *festa secundaria Patronorum* locorum ac *Doctorum* Eccl. *ritu tantum duplici* condecorata, 524 —

utrum in eorumdem *festis secundariis Symbolum Nicenum* in Missis locum habere debeat vel possit, 525 — quaenam ergo ex duabus sententiis, prout in casu, in *Calendariorum dispositione* servanda in posterum sit *ubique locorum*, 531 — vide *Octava*, *Festum*.

U

Umbraculum, vide *Altare SS. Sacramenti.*

V

Velum humerale, vide *Benedictio SS. Sacramenti.*

Verba, de mutatione *verborum Sacri Textus* in officio *S. Familiae*, 419.

Vesperae, quomodo ordinandae die 30 Iunii pro *Clero Romano* et pro Basil. *S. Laurentii in Damaso*, 492 — vide *Commemorationes.*

Vestis candida, de *vestis candidae* qualitate pro baptizando, 362.

Vestes Sacrae, vide *Benedictio.*

Vexilla Sodalitatum, vide *Processiones.*

Vigilanti Studio, super hoc decreto relatio, 445.

Virgo B. a Cruce, vide *Simulacrum.*

Vincentius a Paulo (S), additio ad calcem VI. Lect. et ad Martyrologium, 511.

Vota Solemnia, vide *Professio solemnis.*

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1894.